EUSTATHIUS

In

DIONYSIUM

PERIEGETAM.

EUSTATHII
DIACONI, A SUPPLICIBUS LIBELLIS, ET ORATORUM MAGISTRI,

Postea


ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS,

COMMENTARII
in
DIONYSIUM *PERIEGETAM.*

ALEXANDRO POLITO.

De Cler. Reg. Scholarum Piarum,

Interprete.





COLONIÆ ALLOBROGUM,
Apud Hær. Cramer & Fratres Philibert.

M. DCC. XLI.

FRANCISCO III.

LOTHARINGIÆ ET BARRI DUCI, MAGNO DUCI ETRURIÆ, REGI HIEROSOLYMORUM,

ALEXANDER POLITUS
De Cler. Reg. Scholarum Piarum

S. P. D.



AGNA jam inde ab antiquiſſimis temporibus, fundatoque Etruſcorum imperio,

Magne Dux, FRANCISCE LOTHARINGE, fuit gloria ac dignitas Etruriæ. De antiquissimis illis temporibus priscæ historiæ testantur, Etruscorum opes ante Romanum imperium longè latèque patuisse, pristinæque eorum gloriæ atque potentiæ argumenta minimè obscura esse superum & inferum mare, quibus Etrusci nomen dedissent, alteri Tyrrheno, communi Etruscæ gentis vocabulo; alteri Adriatico, ab Adriâ, coloniâ Etruscorum. De pos-

posterioribus autem temporibus, posteaquam Romani imperii fortuna inclinata fuit atque eversa, quis nescit, quod non modò nostræ, sed etiam alienæ historiæ loquuntur, principes Etruriæ populos, Florentinos, Pisanos, Senenses, ita de Etruriæ principatu inter sese contendisse, ut non minus fortasse inde in Etruriam gloriæ, quàm olim in Græciam ex Atheniensium & Spartanorum de principatu Græciæ contentionibus redundaverit? Præ-

terquam quod Pisani, anteaquam a Florentinis subigerentur, tantis inter ceteros Etruscos fuisse opibus feruntur, ut non terras modò, sed etiam maria, per totam longè Europam, Asiam atque Africam, Etrusci, hoc est, sui nominis famâ impleverint. Potentissimi hi populi quum ex immodicâ libertate in unam postea Etruscam Rempublicam sub MEDICEIS Magnis Etruriæ Ducibus coaluerint, mirum, quantum inde Etruriæ ornamenti atque

que

que dignitatis accesserit : cum, quæ dispersa erant Etruscæ cujusque gentis decora atque insignia, in unum dignitatis atque imperii nomen Magni illi Duces coëgerint. Sed si superiora illa tempora, ut sæpe ego soleo, cum his nostris confero, & præsentem Etruriæ fortunam mecum ipse accuratiùs perpendo, certissimè ego existimo, meliùs cum Etruriâ, atque ad ejus gloriam & dignitatem accommodatiùs, agi nunquam potuisse, quàm

cum ſummum Etruriæ imperium tibi, FRANCISCE LOTHARINGE, eſt divinitus demandatum. Neque ego jam loquor de ſalute Etruriæ, quæ, ardente inteſtinis bellis atque diſcordiis Europâ, tota planè periiſſet, niſi tute ei periclitanti commodùm ſubveniſſes. Sed, quod ad Etruriæ dignitatem attinet, dico, reſtitutam per Te natalibus ſuis Etruriam: hoc eſt, regiam illam dignitatem, qualem ipſa a principio habuerat, cum in populos duodecim

cim divisa, tamen universa regis unius summo imperio parebat, multòque etiam majorem, veluti postliminio, per Te tandem Etruriam recepisse. Neque verò mihi hîc sermo de genere ipso dominationis regiæ, quod genus dominationis viri sapientissimi ceteris omnibus regendarum rerumpublicarum formis, ac regimini in primis populari, quale certè aliquando Etruscorum hominum fuit, longè anteponunt. Sed dico, Etruriam, cum Te regem suum, rex

Hiero-

Hierosolymorum, FRANCISCE, accepit, regem accepisse dignum sese, priscâque gentis suæ majestate, quæ gens totius Italiæ antiquissima memoratur: regem nimirum, cujus familiæ annales, jam inde ab ultimâ vetustatis memoriâ, & heroum præstantissimorum multitudine, & virtutum heroicarum splendore, & rebus præclarè ac fortiter gestis, clarissima aliarum quarumque gentium monumenta aut exæquent, aut longè etiam superent. Jam verò ad

Etru-

Etruriam transmissa sunt insignia omnia gentis & gloriæ & dignitatis Lotharingicæ; jamque in fastis Etruscis adscripta tot illa nomina ac tanta Lotharingorum heroum: quorum omnium loco tu mihi unus, solusque esto, FRANCISCE III. Dux Lotharingiæ, idemque de Lotharingis, Prime Magne Dux Etruriæ: in quem sanè unum omnia majorum Tuorum, regum ac ducum Lotharingiæ, belli ac pacis ornamenta confluxisse simul divinitus videntur. Quid

enim

enim fuit, quòd Divus Carolus Cæsar, quem nobis nuper fata magno noſtrûm omnium dolore eripuerunt, tot ille provinciarum ac regnorum dominus, quo nemo alter quiſquam ex omni mortalium numero magis ad imperandum factus videbatur; tamen nuſquam alibi ambitioſior viſus fuit, quàm in TETE ornando atque augendo, quem etiam, collatâ Tibi in matrimonium filiâ ſuâ natu maximâ, regnorumque ſuorum herede, TERESIA Auſtriacâ heroinâ,

ge-

generum ſibi adſcivit, niſi quia major quædam in TETE, quàm in uno homine, & major etiam, quàm heroica, virtus regia relucet; atque adeo quæ in ſuperioribus illis omnibus Ducibus Lotharingis belli paciſque artes enituerunt, in TETE illæ uno reſplendent univerſæ? Neque verò falsò ego aut temerè abhinc tribus annis, cum abſenti Tibi, quandoquidem præſenti non licuit, orationem de laudibus tuis panegyricam, maximâ hominum frequentiâ, hîc Piſis dice-

dicerem, vaticinabar, maxima Tibi eſſe divinitus deſtinata. Quod quidem vaticinium meum, ex reginâ jam conjuge nato Tibi nuper filio, regnorum ampliſſimorum herede, eodemque magno Etruriæ principe, JOSEPHO, magnâ ex parte eventus ipſe comprobavit. Aditum quum Tibi virtus ad tantam hanc amplitudinem atque gloriam patefecerit, habent etiam bonæ litteræ, atque doctrinæ, quòd lætentur, ſibique gratulentur, maximaque ſibi à patrocinio

Tuo incrementa certò ſpe-
rent atque polliceantur.
Namque ab omni hominum
memoriâ fuit illa ſemper op-
timi cujuſque Principis laus,
ut litteras amaret ac foveret,
litterarumque ſtudioſos ho-
mines benevolentiâ atque
beneficiis liberaliſſimè com-
plecteretur. Itaque ſummi
illi principes ſuis erga litte-
ras meritis id viciſſim à lit-
teris conſecuti ſunt, ut lau-
des ſuæ ad poſteritatis me-
moriam celebrarentur. Quæ
quidem pulcherrima prote-
gendarum litterarum laus

Tibi jam, FRANCISCE, propria esse videtur, qui ita curas cogitationesque tuas ad litteras ornandas atque amplificandas conferas, ut ex litterarum apud Etruscos felicitate maxima pars Etruscæ felicitatis proficiscatur. Etsi verò liberalissima quæque litterarum optimarumque artium studia maximum quemque regem valde decent; tamen in primis ad plurimos usus, atque ad varias belli pacisque commoditates Geographia. Quod luculentè demonstrat *Strabo*

initio Rerum Geographicarum. Atque hinc eſt, MAGNE DUX, quòd ego munus Te ſatis dignum cenſui, Periegeſeos Dionyſianæ interpretem doctiſſimum atque luculentiſſimum, Euſtathium. Eſt enim Periegeſis, brevis quædam Geographia: quam quum verſibus expreſſerit, & ſub unum veluti conſpectum *Dionyſius* poſuerit, fuſiùs eam deinde ex veteribus Geographis, maximèque ex *Strabone*, ceterorum Geographorum principe, expo-

nit atque explicat Eustathius. Is est Eustathius, Archiepiscopus Thessalonicensis, vir temporum suorum longè doctissimus, & de Græcis litteris optimè meritus, cujus labori ac diligentiæ debemus in primis, dum Diaconum ageret, fusissimos in Homerum Commentarios, Commentariosque breviores in Dionysium Periegetam. Et commentarios quidem in Homerum verteram ego jampridem Latinè : quorum etiam nonnulli, dum licuit,
in

in lucem prodierunt. Ceteri enim ut in ſcriniis adhuc meis latitent, infelicitatis & calamitatis eſt meæ, donec Deo ſublevare me jacentem atque afflictum viſum fuerit. Illorum breviorum Euſtathii in Periegetam Commentariorum interpretationem hanc meam Latinam, φιλόσοφόν τι χρῆμα καὶ βασιλικὸν, Tibi lubens meritòque offero ac dedico, Tuis ut ea ſub auſpiciis in publicum prodeat, extetque in eâ obſervantiæ erga Te meæ æternum ad

posteritatem monumentum. Vale. Pisis Kal. Junii, MDCCXLI.

ALE-



AREXANDER POLITUS,
De Cler. Reg. Scholarum
Piarum,

LECTORI SUO

S. P. D.



NTEREA dum expecto, donec Deus magno illi meo edendo Eustathiano in Homerum Commentario succurrat; nequid EUSTATHII, *quod publicè quidem extaret, intactum à me relinqueretur,*

b 4 *visum*

viſum eſt mihi Euſtathii in Dionyſium Periegetam Παρεκβολὰς *in manus ſumere, &, ſi quid eæ opis a me requirerent, opem iis & medicinam afferre. Commentariorum Euſtathii in Periegetam, quod equidem ſciam, duæ extant interpretationes Latinæ, utraque uno eodemque anno MDLVI. edita, altera Pariſiis Abele Matthæo Juriſconſulto interprete; altera Baſileæ per Bernardum Bertrandum, apud Joannem Oporinum. Cogitaverat quidem Latine eos Commenta-*

rios

rios interpretari, jamque manum operi admoverat, Eugenitus neſcio quis Pardus: Sed, propter alias occupationes, ab incepto eum deſtitiſſe, teſtatur Bertrandus. Sic & de eâ interpretatione cogitaſſe duntaxat ego ſuſpicor Vincentium Marinerium Hiſpanum; non autem eam perfeciſſe, quod de Marinerio affirmare videtur Bibliotheca Hiſpanica. Itaque Baſileenſi editioni diſertè præſcriptum ab Oporino, tunc primùm per Bertrandum eos Euſtathii Commenta-

rios in Latinum sermonem conversos. Erat igitur, cur novâ mihi interpretatione supersedendum existimarem. Sed, quum utramque illam interpretationem diligentiùs inspicerem, & cum Eustathio ipso conferrem, vestigio temporis deprehendi, utrâque illâ interpretatione nihil unquam peiùs agi cum Eustathio potuisse; & Abelem illum in primis Matthæum famæ suæ securum nimis fuisse, qui tam falsam, tamque insulsam atque ineptam interpretationem suam pro verâ

genuinâ eruditis hominibus obtrudere ausus fuerit, eamque Carolo Lotharingo Cardinali, viro sanè doctissimo, dedicare. Ac venia quidem fortasse Abelis adolescentiæ dari posse videbatur. Sed, quum idem ipse Abel maximam auctorum partem, quos citat Eustathius, sese & vidisse & revolvisse prafiteatur, miror hominis confidentiam, qui ea jactitet, quorum maximam partem minimè omnium intelligit. Nam si rectè intellexisset, certè quidem non tam malè, neque tam præ-

præpoſterè contraque Euſtathii mentem interpretatus pleraque fuiſſet. Ne verò, Lector, arbitrere, multò, quàm par eſt, acerbiùs, de homine loqui, cui tribuenda etiam laus videtur, quòd fecerit, quod potuit, ecce tibi exempla nonnulla, quæ mihi feſtinanti ultrò in oculos incurrerunt: in quibus planè neſcias, quid plus mirere, hominiſne inſcientiam, an in tantâ litterarum luce temeritatem. Verba hæc Euſtathii Num. I. ubi de figurâ terræ habitabilis: ὥστε, τῶν δύο κώνων

ὁμοῦ

ὁμοῦ κατὰ τὰς βάσεις ὄντων, τὸ μὲν κατὰ τὰς κορυφὰς ὀξὺ, πρὸς ἕω κεῖσθαι καὶ δυσμάς· τὸ δὲ κατὰ τὰς βάσεις εὐρὺ, πρὸς νότον, καὶ βορρᾶν. *Quæ Abel ille Matthæus ſic eſt interpretatus:* Vel etiam hi anguli alio modo ſe habent ad baſes, ut ipſum, quod ſupra vertices, vel cardines elevari dicitur, ad ortum & occaſum vergat; alterum, quod inferiùs fundamentis ſupponitur ac deprimitur, ad auſtrum & boream. *Num. II. Euſtathius:* οὗ δὴ ἀκεσάμενοι τὰ σκάφη καμόντα τῇ δυσχερείᾳ τοῦ πλοῦ, δίέτριβον

βον χρόνον τινὰ, ἐν ᾧ Κάνωβος ἀποθνήσκει. *Abel*: Quo in loco, inde cum adversâ tempestate ſolvere nequeunt, Canobus vitâ exceſſit. *Euſtathius paullò poſt de Canobo ſtellâ*: ὃς ἐν τῷ μεσουρανεῖν τρίτον λέγεται ζωδίου μέρος ἀπέχειν. *Abel*: ab intuitu medii cœli diſtat a zodiaco tribus gradibus. *Euſtathius item*: καὶ οὕτω μὲν ὁ μῦθος αἰτιολογεῖ τὸ περὶ τὴν αἱμορροΐδα φυσικὸν σύμπτωμα. *Abel*: quæ ratio dedit quoque cauſam naturali morbo quòd ita vocetur, qui circum hæmorroidem eo modo accidit.

dit. *Num. VII. Euſtathius:* Φησὶν οὖν ὁ παρὰ τῷ γράψαντι τὰ Ἐθνικὰ, Οὐράνιος οὗτος ὀνομαζόμενος. *Abel:* Propterea ab eo, qui de gentibus ſcripſit, cœleſtis dictus eſt, *Sinus nimirum, ut Abel putat, Erythræus. Num. VIII.* Τὸν δὲ Ὑρκάνιον κόλπον, τὸν καὶ Κάσπιον, ὀλίγον μὲν λέγει, ὡς πρὸς τὴν ἑσπερίαν θάλασσαν, τὴν συρομένην ἀπὸ Γαδείρων, ἕως καὶ εἰς Παμφυλίαν. *Abel:* Hyrcanium porrò, ſeu Caſpium ſinum, modicum eſſe refert, quoniam citra Heſperium non longiùs progreditur, quàm a Gadiris ad

ad Pamphyliam. *Ubi & malè Bertrandus :* Hyrcanum porrò ſinum, qui & Caſpius dicitur, parvum dicit eſſe versùs Heſperium mare. *Num. XIII. de mari, ſeu ſinu Siculo :* διὸ καὶ κυρτὸν αὐτὸν ὠνόμασεν, ὡς μὴ κατ' εὐθυωρίαν περιιόντα μέχρι τῆς Κρήτης, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν Ἰόνιον παρεκνεύοντα. *Abel :* Quoniam verò in Cretam non prolabi rectâ inſpicitur, ſed pauliſper conſiſtere in Ionio ſinu, ideo ipſum ambitum Siculum mare eſſe rectè dixit. *Num. XIV. Euſtathius de Ione, a qua,* *ſe-*

ſecundum Æſchylum quidem & Lycophronem, Ionius ſinus: διενήξατο γὰρ ἐκείνη, βοῦς γενομένη, κἀνταῦθα. *Abel*: Ipſa enim, ut eſt mutata in vaccam, his quoque locis extitit atque comparuit. *Num. XX. Euſtathius*: τὸν δὲ Θρακικὸν τοῦτον Βόσπορον οἱ μέν φασιν εἶναι τὰ κατὰ Χαλκηδόνα καὶ Βυζάντιον στενά. *Abel*: Aiunt autem, ipſum eſſe anguſtiam inter Carthaginem & Byzantium. *Sic & ſæpe poſtea* Χαλκηδὼν *Abeli*, Carthago; *&* Χαλκηδόνιοι; Carthaginienſes. *Euſtathius paullò poſt*: Ἰστέον δὲ καὶ, ὅτι ἀκρι-

βέστερόν φασιν οἱ λέγοντες, ὑπὲρ Χαλκηδόνα εἶναι τὸ στόμα τοῦ Πόντου. *Abel*: Intelligendumque eſt, eos diligentiùs res examinare, qui referunt ad Carthaginem Ponti oſtium adeſſe. *Euſtathius infra*: οἱ δὲ μέρος τὶ αὐτῆς (Προποντίδος) τὸ ἐντὸς Περίνθου, ἤτοι Ἡρακλείας, τῷ Ἑλλησπόντῳ ἀπονεῖμαι. *Abel*: Alii non ab Helleſponto removent partem quandam Propontidis, in Perintho, ſeu Herculeâ. *Euſtathius rurſus, ubi de petris Cyaneis, quas Pindarus, propter fabuloſum illarum motum, vivas*

vas dicere ausus est : καὶ ἐπιμένων τῇ σκληρᾷ ταύτῃ ῥοπῇ, τεθνάναι φησὶν αὐτάς. *Abel*: & quòd ita strigoso impetu afficiebantur, atque interiisse. *Ubi nihilo meliùs Bertrandus* : easque cum super invicem jacerent, mortuas esse. *Num. XXI. Eustathius de lateribus Ponti borealibus* : σχῆμα ἔχειν φησὶ τῶν τοῦ τόξου δύο κεράτων, διὰ τὸ καὶ αὐτὰ ὁμοίως ταῖς τοῦ τόξου κέρασιν ἐπὶ δισσὴν κυρτοῦσθαι στρεφάλιγγα, ἑκατέρωθεν τοῦ μετώπου τοῦ Κειοῦ. *Abel*: obtendunt arcus duo cornua, quæ instar arcus veri Scythici reflectuntur,

tuntur, & duo maria efficiunt, quibus frons Arietis rectè convenit re & nomine. *Num. XXII. Eustathius de Chersoneso Tauricâ:* παρακειμένη δυσμικὴ τῷ στόματι τῆς Μαιώτιδος. *Abel:* quæ adjacet ostio Mæotidis bipartito. *Num. XXIII. Eustathius:* τὰ πρὸς τοῖς Γαδείροις, τυτίςι, τὰ ἑσπέρια. *Abel:* quæ ducuntur a Gadiris, & tendunt ad vesperam. *Num. XXIX. Eustathius:* καὶ τι ὄρνεον ἀετῶδες καταῤῥάκτης καλεῖται, ὡς ἄνωθεν καταῤῥάσσον ἐν τῷ θηρεύειν τὰ ὄρνεα. *Abel:* Et aquilæ morem,

rem, dum ipsa sursum in captandis avibus clangendo ciet magnum impetum, Catarractam imitari dicimus. *Num. XXX. Eustathius ex Herodoto de Ægyptiis*: καὶ ὅτι τῶν Αἰγυπτίων οἱ Ἡλιουπολῖται λογιμώτατοι. *Abel*: & tanquam solis cives summâ ratione valuisse. *Et paullò post*: διὸ καὶ ἐλάχιστοι, φασὶν, εἰσὶν ἐν Αἰγύπτῳ φαλακροί. *Abel*: quamobrem in Ægypto homines nascuntur parvæ staturæ, & frequenter calvi. *Num. XXXII. Eustathius de fratre Laomedontis, Titho-*

thono: ὃν πρὸς τῇ Κέρνῃ ἀφορίζει ὁ Λυκόφρων. *Abel*: quem Lycophron in Cerne exterminavit. *Ibidem de Heptapoli*: περὶ δὲ τούτου καὶ Ἑπτάνομος, ἢ καὶ Ἑπτανομία ὠνομάσθη, καὶ τοῦτο μὲν ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ἑπτὰ ἔχειν νομοὺς, ὁποίους τοὺς Λιβυκούς. *Abel*: Heptanomus, ſive Heptanomia, quòd ſeptem leges habebat, quales Libycas. *Num. XXXIII. Euſtathius de Pharo inſulâ*: πυρσεύουσα τοῖς πλέουσι, πρὸς τὴν δυσχέρειαν τοῦ κατάπλου. *Abel*: unde luceſcit navigantibus, dum adverſâ tempeſtate laborant. *Et*

paullò

paullò post ex Geographo: ἡ Φάρος, νησίον περιμήκες πρὸς ἔσχατα τῇ ἠπείρῳ. *Abel*: Pharus, inquit, insula est, quæ utrobique adjacet continenti. *Et rursus*: καὶ ἐνέγκαι τὸ προςαχθέν. *Abel*: indeque præsidium auferendum. *Num. XXXIV. Eustathius de Serbonide palude*: ὡς ἀνατολικωτέρα τοῦ Πηλουσιακοῦ ςόμαλος. *Abel*: quòd illa maximè sita est in ostio Pelusiaco ortum versus. *Num. XXXV. Eustathius*: πολυσχημονεςάτη δὲ ἠπείρων ἡ Εὐρώπη. *Abel*: plures tamen rerum omnium species

cies ipſa producit. *Num. XXXVIII. Euſtathius de electro* : λίθος δέ τις χρυσοειδὴς, ἐξ οὗ καὶ λαβαὶ μαχαίραις γίνονται. *Abel* : Sed eſt lapis gladio ſecabilis, & auri ſpeciem præ ſe ferens. *Numer. XXXIX. de oſtio ſacro Iſtri* : ὅπερ ἔζευξέ ποτε Δαρεῖος. *Abel* : quod Darius aliquo tempore tranſmiſit. *Et paullò poſt ex Herodoto de Iſtro* : καὶ ἴσον ἀεὶ σχεδὸν αὐτὸν ἑαυτῷ ῥέειν φησίν. *Abel* : ac eundem prope refluere ad ſe ipſum ac reverti contendit, *& rurſus ex Ariſtotele* : ὅτι οἱ τριχίαι μόναι

ἀναπλέ-

ἀναπλέουσιν ἐκ τοῦ Πόντου εἰς τὸν Ἴστρον εἶτα, ὅπου σχίζεται, καταπλέουσιν εἰς τὴν Ἀδρίαν. *Abel*: Solos Trichias ex Ponto in Istrum remiges esse, deinde navigare in Adriaticum, quò fluvius excurrit. *Num. XL. De iis Romanis, quos Aurelianus ex Daciâ deductos, mediâ in Mœsiâ collocavit, ita Eustathius*: ἐν μέσῃ τῇ Μυσίᾳ καθίδρυσεν. *Abel*: in mediâ Mysiâ ædificavit. *Et paullò post*: ὁπηνίκα ἔλαφον ἡ Ἄρτεμις εἰς θυσίαν ἀντέδωκεν. *Abel*: quamobrem cervum Dianæ sacrificavit. *Sermo est de A-*

 chille.

chille. Num. XLI. Euſtathius: καὶ ὅτι τὸν ἤλεκτρον ἐνταῦθα λίθον τινὰ νοητέον, καὶ οὐ κατὰ τὸ λεγόμενον τῶν αἰγείρων δάκρυον. *Abel*: At videas, quo pacto tale electrum non ampliùs lacrimabundum ſit, ut ante relatum eſt; ſed eſſe ipſum lapidem, *&c. Euſtathius paullò poſt de Boryſthene amne*: ῥέων καλὸς παρὰ θολεροῖς. *Abel*: fluitque per Tholeros mirè famoſus. *Num. XLII. de pelle Marſyæ, quam ei Apollo detraxit*: ὁπηνίκα Μαρσύας ἐκεῖνος ὁ Μουσικὸς ἀπεδάρη τὸ σῶμα ὑπ' Ἀπόλλωνος. *Abel*: Ob Mar-

Marſyam Muſicum, cujus corpus transformatum ab Apolline. *Euſtathius ibidem de Thraciâ Aſiaticâ ex Xenophonte*: ἀρξαμένην ἀπὸ τοῦ στόματος τοῦ Πόντου, μέχρις Ἡρακλεί-ας. *Abel*: quæ cœpit ab oſtio Ponti uſque ad inſulam Herculeam. *Ibidem*: ἱστορία δέ τις ἱερὰ καὶ περὶ τὰ τῆς Λιβύης που νότια ὑπὲρ Ἀλεξάνδρειαν θράκην τινὰ ὀρεινήν φησιν, ἐν ᾗ καὶ Ἀσκητὴν ἱστορεῖ γενέσθαι περίπυστον. *Abel*: Et in hiſtoriâ ſacrâ invenias quoque aliam Thraciam Orenem, ſitam in Africâ, versùs auſtrum, ſupra

pra Alexandriam, in qua aiunt esse urbem Ascetam. *Num. XLIV. Eustathius*: Σημειῶσαι δὲ, ὅτι καὶ ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ κρηπῖδας ἔφη τὰς προῤῥηθείσας τριγωνικὰς πλευράς. *Abel*: sed animadvertere oportet ad ipsam appellationem crepidarum, quæ tria latera sunt, ut ei placet, in trigoni formam redacta. *Numer. XLV. Eustathius de insulis quibusdam Tyrrhenicis*: ἠπείρων ἀποσπάσματα λέγονται. *Abel*: divulsæ sunt a continenti Epiro motâ & concussâ. *Num. XLVI. Eustathius de Tyr-*

Tyrrhenis : βόρειοι κεῖνται ἐκ τῆς ζεφυρείτιδος τοῦ Ἀπεννίου ὄρους πλευρᾶς. *Abel* : Hi ab Apennii zephyro boreales ſemper eſſe exiſtimantur. *Et paullò poſt de Tarcone* : ὃν διὰ τὴν ἐκ παίδων σύνεσιν, πολιὸν γεγεννῆσθαί φασιν. *Abel* : Is propter animi moderationem, inquit, prudentiam & ſapientiam, qua imbutus erat a puero, rector conſtitutus civitatum, ſemperque ſenex habitus eſt. *Et de Pelaſgis* : ἦλθόν ποτε καὶ ἐκεῖ, μακρὰν ἀπὸ τῆς κατὰ Ἀρκαδίαν Κυλλήνης. *Abel* : a Cyllene, quæ in Arcadiâ longâ eſt.

eſt. *Et paullò poſt*: τοῦ καὶ ἐπ' ἄκρου καὶ λόφου θάψαντος αὐτὸν θανόντα. *Abel*: quem ipſe mortuum in cœnaculo ſepelivit. *Numer. XLVIII. Euſtathius de Campaniâ*: ζηλωτὴ δὲ ἡ τοιαύτη γῆ δι' ἀρετὴν, καὶ διὰ τοῦτο περιμάχητος. *Abel*: Laude digna Campania eſt, tumque etiam munitiſſima locis, quæ adversùs injurias belli atque hoſtium ſunt. *Ibidem de Parthenope*: τὴν παρθενίαν φυλάξασα. *Abel*: cum illa votum caſtitatis feciſſet. *Num. XLIX. Euſtathius*: ἡ δὲ Λευκανῶν πόλις Λευκανὴ βαρυτόνως ἐλέγετο.

το.

τοῦ. *Abel* : eorum oppidum Leucanam, secundâ productâ syllabâ. *Num. LII. Eustathius de Partheniis* : ὁμόφρονες ὄντες πάντες, ὡς ἀλλήλων ἀδελφοὶ νομιζόμενοι. *Abel* : & se fratres vocasse. *Ibidem de Tarante sitâ*: ἐπὶ χερρονήσου, ὡς καὶ τὰ πλοῖα ὑπερνεολκεῖσθαι ῥαδίως ἑκατέρωθεν, ταπεινοῦ ὄντος τοῦ αὐχένος τῆς χερρονήσου. *Abel*: in Cherroneso, cujus ductus intimus instar colli exilis est, ipsaque longè & latè utrinque navibus patens. *Num. LIII. Eustathius de Enetis* : ὅτε τὸν ἡγεμόνα Πυλαιμένην ἀποβαλόντες,

πτες, ἦλθον εἰς Θράκην. *Abel*: quo tempore a duce ſuo Pylæmene deſciſcentes, Thraciam peragrarunt. *Neque ibi melius Bertrandus*: duce Pylæmene dejecto. *Euſtathius ibidem*: ὁμοιοπαθεῖ δέ, φασι, τῷ Ὠκεανῷ ἡ κατ' αὐτοὺς θάλασσα, ἀμπώτεις ὁμοίως ἐκείνῳ ποιοῦσα, καὶ πλημμυρίδας, ἀφ' ὧν τὸ πεδίον λιμνοθαλάσσης μεστὸν γινόμενον. *Abel*: mare, cui adjacent, ferè ac Oceanus, Ampotides & Plammyrides habet, quibus agri limoſi ſtercorantur, *& rurſus*: πᾶσαν τὴν μετὰ τοὺς Καλαβροὺς, Ἀπουλίαν ἐκάλουν, καὶ

τὸ

τὸ ἔθνος, Ἀπῦλοι. *Abel*: omnes viros Apulos, poſt Calabros, & Apuliam vocari. *Num. LIV. Euſtathius*: Τούτων δὲ πρόκειται χερρόννησος Ὕλλις, Ἑλίκη μάλιστα Πελοπόννησος. *Abel*: Horum ſunt, Cherſonneſus Hyllis, Helice, Peloponneſus maxima. *Num. LV. Euſtathius*: τὰ Κεραύνια ὄρη, οὕτω καλούμενα διὰ τὸ συχνοὺς ἐκεῖ πίπτειν κεραυνούς. *Abel*: Dicuntur Ceraunii, quòd in eo loco crebrò tonitrua concidunt, quos Græci κεραυνοὺς vocant, *& rurſus*: Εἰσὶ δὲ καὶ πρὸς ἄρκτον τοῦ Βορείου Καυκάσου ὄρη Κεραύνια. *A-*

d *bel*:

bel: Ceraunii quidem montes in arctum borealis Caucaſi tendunt. *Num. LVI. de Peloponneſo*: ὅμως δὲ νῆσος μὲν λέγεται, ὡς παρὰ βραχὺ τοιαύτη οὖσα, περὶ τὸν ἰσθμὸν δηλαδὴ, τουτέστι, τὸν ὀλιγοστάδιον αὐχένα. *Abel*: tamen inſula dicitur, quæ ſe habet ad iſthmi formam redactam in breve ſpatium latitudinis. *Num. LVII. de Eurotâ & Alpheo amnibus*: ὁ μὲν Λακωνικὸς, ὁ δὲ, &c. *Abel*: Alter eorum Laconicus dicitur. *Num. LX.* Μοψοπία, ἀπὸ Μόψου, ἄλλου παρὰ τὸν μάντιν τὸν τοῦ Τειρεσίου. *Abel*: Mopſopia

ſopia a Mopſo quodam præter eum, qui vates Tireſii fuit. *Num. LXI.* ὃν ἡ μήτηρ Ἄρνη λάθρα τεκοῦσα, περὶ βοῶν ἔθετο κόπρους. *Abel*: quem cum mater Arna clam peperiſſet, inter boum ſtercora celavit, ac nutrivit. *Num. LXV. de Gadiris inſulâ*: οὐ πολὺ μείζων ἑκατὸν σταδίων, κατὰ τὸ μῆκος· πλάτος δ' ἔσθ' ὅπου καὶ σταδιαῖον. *Abel*: centum ſtadiis prolixa ſunt, aut aliquantò pluribus, aliterque uno ſtadio. *Num. LXVI.* Λέγεται δὲ καὶ, ὅτι εἰς τούτους κομισθέντες πέραθέν ποθεν δύο λαγιδεῖς, ἄῤῥην καὶ θήλεια,

 οὕτως

οὕτως εἰς ἐπιγονὴν πολλὴν ηὐξήθησαν, ὥστε καὶ οἴκους ἀνατρέπειν ἐξ ὑπονομῆς, καὶ δένδρα. ὅθεν καὶ ἠναγκάσθησαν οἱ ἐκεῖ πρεσβεῦσαι πρὸς Ῥωμαίους διὰ χώρας αἴτησιν. εἰσὶ δὲ γεώρυχοι καὶ ῥιζοφάγοι οἱ λαγιδεῖς, οὓς καὶ λεβηρίδας ἐκάλουν τινές. *Abel* : Ferunt, ad eas insulas duos lagidas aliunde venisse, marem & feminam, qui in tantam natorum creverunt multitudinem, ut ii arbores domosque everterent, pastus quærendi causâ : ex quo fuisse illis necessarium legatos mittere Romam, qui pro

pro se & regione intercederent. Lagides enim agros fodiunt, quò radices eruant victus causâ, quos leberidas nonnulli vocaverunt. *Ubi nec bene Bertrandus* λαγιδεῖς *vertebat* leporum catulos. *Ibidem Abeli alia a Cyrno est Corsis, quæ Eustathio* ἐν τῷ Τυρσηνικῷ πελάγει Κορσὶς ἀπὸ Κόρσης δούλης βουκόλου. *Paullò post Eustathius ex Geographo de Corsis*: οὕτω βοσκηματώδεις, ὥστε καὶ ἀνδραποδισθέντες, ἢ οὐκ ἀνέχονται ζῆν, ἢ ζῶντες ἀπειθίᾳ καὶ ἀναισθησίᾳ τοὺς ἔχοντας ἐπι-

 πι-

τρίβουσι. *Abel:* homines adeo feri, qui ex servorum statu sunt, se vivere non sentiant: vel usque adeo imbecillitate sensus recalcitrantur, ut dominorum suorum aut pœnæ nullam rationem habeant. *Num. LXVII. Eustathius de Æoli insulis, ex Dionysio:* ἐπώνυμοι, φησὶν, ἀνδράσι Πλωταὶ, τουτέστι, φερωνύμως καλούμεναι Πλωταί. *Abel:* Plotæ vocantur nomine, quod convenit nautis. *Et paullò post de caussâ, cur Homerus Æoli insulam* Πλωτὴν *vocaverit:* καὶ

τοῦτο

τούτου ζήτει τὴν αἰτίαν ἐκεῖ. *Abel*: cujus nominis cauſam perpendit. *Num. LXIX.* οὗ δήπου κάλλιστός ἐστιν ὁ Ἀόνιος σίδηρος. Τοιοῦτος γὰρ μάλιστα ὁ Χαλυβικὸς μεμαρτύρηται. *Abel*: atqui non prævalet ferrum Aonium, immò Chalybicum longè optimum eſſe perhibetur. *Num. LXXVI.* ἔνθα καὶ ἡ λεγομένη Ἀποβάθρα, ὅπου ἡ Ξερξικὴ σχεδία ἐπήγνυτο. *Abel*: ubi eſt quæ dicitur Apobathra, locus memorabilis ob claſſes Xerxis ibi ſubmerſas. *Neque meliùs Bertrandus*: ubi Xerxis navis dicitur eſſe congelata.

gelata. *Euſtathius paullò poſt* : Ἴϛρον δέ τινά φασιν ἱϛορεῖν, τέσσαρας γενέσθαι μεγάλους κατακλυσμοὺς, ὧν ἐφ' ἑνὶ διαῤῥαγέντα τὸν Ἑλλήσποντον ἀφορίσαι τῆς Ἀσίας τὴν Εὐρώπην. *Abel*: Ferunt, Iſtrum quendam magno aquarum impetu quatuor alveis in Helleſpontum ſimul excurrere, Aſiamque dividere ab Europâ. *Num. LXXVII. de Scyro inſulâ ſic appellatâ* διὰ τὸ τῆς νήσου ταύτης σκληρὸν, καὶ οἷον σκυρῶδες, ἤτοι λιθῶδες. Πρόκειται δὲ, *inquit Euſtathius*, τῆς τῶν Μαγνήτων γῆς ἡ Σκῦρος αὕτη, ὥσπερ καὶ ἡ Πεπάρηθος. *Abel*: Scyrus Græ-

co

co ſermone vocatur, ideo quòd eſt petroſa, & magnetes profert, ſicuti & Peparethus. *Num. LXXVIII.* Λέγεται γὰρ, ὅτι ὁπηνίκα ὁ τοῦ Δαρείου στρατηγὸς Δάτης τριακόσια τάλαντα λιβανωτοῦ ἐθυμίασεν ἐν τῷ βωμῷ τοῦ Δηλίου Ἀπόλλωνος, καὶ ἀνέπλευσε, τότε ἡ Δῆλος ἐκινήθη πρῶτα, καὶ ὕστατα. *Abel*: Nam ſimul atque Dates, ut aiunt, dux exercitus Darii obtulit in ſacrificium triginta talenta Libanoti Apollini Delio, ipſo redeunte mota eſt Delus priùs ac poſteriùs. *Num. LXXIX. Euſtathius de Me-*

lo insulâ: εἰς ταύτην Ἀθηναῖοί ποτε πέμψαντες, ἡβηδὸν τοὺς ἐνοικοῦντας ἀπέσφαξαν. *Abel*: Hujus autem insulæ viros Athenienses extinxerunt, misso illuc Hebedo. *Sic etiam* misso Hebedo *Bertrandus. Paullò post Eustathius de Nusiâ insulâ, sic vocatâ, quasi Dionysiâ*: ἐπεὶ Διόνυσος τὴν Ἀριάδνην εἰς αὐτὴν ἐκ τῆς Νάξου ἤγαγε, Μίνωος τοῦ πατρὸς διώκοντος αὐτήν. *Abel*: Dionysia enim vocanda erat a Dionysio, qui Ariadnem e Naxo in eam insulam, jussu Minois patris, adduxit. *Videtur*

tamen

tamen Abel, pariter atque Bertrandus, pro Διόνυσος *legisse in Eustathio* Διονύσιος. *Numer. LXXX. Eustathius:* ἐν ταύτῃ τῇ Σάμῳ καὶ ὄρος ὑψηλὸν λέγεται εἰς πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ὀργυιὰς, οὗ κάτωθεν ὄρυγμα, ὥς φησιν Ἡρόδοτος, πολυστάδιον, δι' οὗ ὕδωρ, ὀχετευόμενον διὰ σωλήνων, παρεγένετο εἰς τὴν πόλιν ἀπὸ μεγάλων πηγῶν. *Abel*: In Samo esse montem altissimum perhibent, cujus anfractus infra centum quinquaginta ulnis patens, veluti per ductum magnum aquæ in terram Solenorum subter illabitur, fontibus exu-

exuberans ampliſſimis. *Et infrà* : οὗ μέμνηται καὶ Ἀρχίλοχος, ὁμολογῶν ἄχραντον τὴν αὐτοῦ ἀσπίδα ἐν τῇ φυγῇ πολέμου ῥίψαι παρ' αὐτοῖς. *Abel* : Et meminit alicubi horum populorum Archilochus, affirmans ipſe Achrantum telum projeciſſe in fugâ belli contra eos. *Num. LXXXII. de Melane ſinu* : συνάπτει γὰρ τῷ Αἰγαίῳ. *Abel* : ſic enim confertur cum Ægæo mari. *Et rurſus* : περὶ ὃν καὶ ἡ Αἶνος κεῖται, πόλις Αἰολική. Φασὶ γὰρ, ὅτι ἐν τῷ Μέλανι κόλπῳ ἡ Αἶνος πρὸς τῇ ἐκβολῇ τοῦ Ἕβρου. *Abel* : Aiunt, ſinum

Mela-

Melanem eſſe circiter Ænum oppidum Æolicum, versùs Eurum. *Meliùs Bertrandus*, ad oſtium Euri, *ut Eurus amnis intelligatur, qui eſt* Ἕβρος, *ſive* Εὖρος. *Num. XCV. Euſtathius de Amazonibus ex Herodoto*: ἀφικνοῦνται εἰς τὴν Μαιῶτιν· καὶ ἐξελθοῦσαι, καὶ ληϊζόμεναι τὴν Σκυθικήν. *Abel*: In Mæotin deflectunt, ſolventes inde & in Scythiam appulſæ. *Num. XCVI. Euſtathius*: τὸν δὲ τοιοῦτον Καύκασον, περὶ ὃν καὶ ὁ τοῦ Προμηθέως πλάττεται ἀνασκολοπισμός. *Abel*: Ejuſmodi Caucaſum, in quo de fabu-

ſabulâ Promethei teſtimonium impietatis aſſignaverunt. *Ibidem*: καὶ ὄις ἀγραύλυς. *Abel*: Et agreſtes aſinos. *Et paullò poſt de Scythis Nomadibus ex Arriano*: θρέμματα δὲ κεκτῆσθαι μόνα, ἅπερ ἄγεσθαι αὐτοῖς ἔμελλεν, ἄλλην γῆν ἐξ ἄλλης ἀμείβυσιν. *Abel*: Et alimenti tantùm ferre curam habuerunt, quantùm illis ſufficeret in alienam oram migraturis. *Et rurſus*: καταπέχοντες τὴν Ευρώπην, ὅτε ὁ Δαρεῖος ἐκεῖ στρατεύσας ἠρέθισεν αὐτύς. *Abel*: peragrarunt Europam, quippe tempore Darii militiam exer-

xercentes. *Num. XCVIII. de Phaside amne*: καταῤῥέει δὲ εἰς τὴν Κολχίδα τραχὺς καὶ βίαιος, περατὸς ἑκατὸν γεφύραις, κατὰ τὸν Γεωγράφον, διὰ σκολιότητα. *Abel*: labitur autem per Colchidem violentus, atque centum alveis, id est, voluminibus, secundum Geographum. *Eustathius infrà*: Ἰστέον δὲ, ὅτι, κατὰ τὸν Λυκόφρονα, ἐστὶ Κιρκαῖόν τι ὄρος καὶ περί που τὰ τῆς Ῥώμης ὄρεια. *Abel*: Estque Cyrcæus mons alius, secundùm Lycophronem, inter montana loca Romæ. *Neque aliter Bertrandus*: inter

Romæ

Romæ montes. *Numer. XCIX.* Τοὺς δὲ Ἴβηρας τούτους Ἀρμενιστὶ καὶ Μηδιστὶ ὁ Γεωγράφος ἐσκευάσθαι φησί. Λέγεται δὲ καὶ, ὅτι τούτων οἱ ὀρεινοὶ μαχιμώτεροι. *Abel*: Geographus Iberos cum Armeniis & Medis confundit, inter quos & Orinos commemorat. *Num. CII. Eustathius de mari Caspio*: ἄλλως γὰρ ἀπέρατής ἐστιν. *i. e.* Κασπία θάλασσα. *Abel*: nec aliàs circumveniatur. *Et infrà*: ὅτι δέ τινα δαιμόνια ὕλας πλοῦνταί τινας, πολλοῖς δοκεῖ. *Abel*: aliis quoque placet, in ſylvis nonnulla alia eſſe dæmonia, quæ

quæ terrorem inferunt. *Numer. CIII. de Cadusiis*: ὧν τραχεῖα ἡ γῆ. *Abel*: quorum regio angusta est. *Et infrà de Parnasso monte Bactrio*: καὶ ζητητέον, εἴτε οὕτω γραπτέον αὐτὸ, ὁμωνύμως τῷ Εὐρωπαίῳ Παρνασῷ. *Abel*: vide, non Parnassum ipsum voces, eo more quo & Parnassus in Europâ scribitur. *Num. CV. de Sacis*: μεγάλα ἰσχύσαι ποτὲ τοὺς Σάκας, καὶ μέχρις Εὐξείνου καταχλήσασθαι γῆν ἀρίστην· καί τινα γῆν Ἀρμενίαν, *&c.* *Abel*: Sacas aliquid magni interdum molitos esse, atque principa-

tum ſuum propagaſſe uſque ad Pontum Euxinum, ubi regionem Ariſtam illi tenuerunt : præterea alteram quandam Armeniam, *&c.* *Num. CVII.* καὶ Μεγάβυζος δὲ μαθὼν, ὅτι ἑπτακαίδεκα ἔτεσιν, ὥς φησιν Ἡρόδοτος, πρότεροι Βυζαντίων Χαλκηδόνιοι τὴν χώραν ἔκτισαν, *&c.* *Abel*: & Megabyſus cum intellexiſſet hos Chalcedonios Byzantios collocaviſſe operam decem & ſeptem annos in ædificandis ædibus ac civitate, *&c.* *Paullò poſt* : ἀλλὰ καὶ πρῶτοι χαλκὸν ἐκεῖ ἐνεδύσαντο Κουρῆτες μετὰ Διός.

Διός. *Abel*: & ibi primùm Curetas Jovis ænea templa construxisse. *Eustathius item de pueris Mosynœcorum*: καὶ οὐ πολλοῦ δέοντας ἴσους τὸ μῆκος καὶ τὸ πλάτος εἶναι. *Abel*: ac ferè proportione sui corporis æquales. *Et de Mosynœcis*: καὶ γάρ, φησὶ, καὶ ἐγέλων, καὶ ἑαυτοῖς διελέγοντο, καὶ ὠρχοῦντο, ἐφιστάμενοι, ὅποι τύχοιεν. *Abel*: & in omni actione, seu deambulent, seu saltum moveant, sive risum, semper soli inveniuntur. *Numer. CVIII. de Cimmeriis ex Herodoto*: τὴν χερρόννησον ἔκτισαν. *Abel*:

bel: Cherronneſum occupaſſe. *Et infrà*: οἱ γοῦν Καππάδοκες ἀμφότεροι. *Abel*: nam ſinguli Cappadoces. *Num. CX. de Mariandyno*: καὶ οἱ Μαριανδυνοὶ ἀκμῇ θέρους ἐθρήνουν αὐτόν. *Abel*: & a Mariandynis ſummo ætatis flore eluctus eſt. *Num. CXI.* Θυνοῦ καὶ Βιθυνοῦ, παίδων Φινέως κατὰ ποίησιν, ἤτοι ποιητῶν, καὶ θετῶν. *Abel*: natos Phinei, ut poëtæ conjiciunt, vel adoptivos tantùm. *Ubi etiam Bertrandus*: Thyno & Bithyno, filiis Phinei, ſecundum poëtas. *Num. CXIV. de Phrygiâ*

τῇ

τῇ περὶ τὴν Οἴτην, *ſic vocatâ* παρὰ τὸ ἐκεῖ πεφρύχθαι τὸν Ἡρακλέα καυθέντα. *Abel:* ubi Hercules, refrigerii gratiâ, conſtitit. *Num. CXV. Euſtathius:* Μιλήτου, Ἰωνικῆς πόλεως, ἀποίκου Ἀθηναίων. *Abel:* Miletum Ioniæ urbem. Hanc Athenienſes primi occupaverunt. *Ibidem de Epheſiis a Crœſo obſeſſis:* ἀμηχανοῦντες δὲ οἱ πολῖται ἀνέθεσαν τὴν πόλιν τῇ Ἀρτέμιδι, ἐξάψαντες ἐκ τοῦ ναοῦ τῆς Ἀρτέμιδος σχοινίον εἰς τὸ τεῖχος. *Abel:* Epheſios, armis deficientibus, contra muros urbis effigiem Dianæ inimicis

posuisse. *Et rursus* : κατὰ παραγραμματισμόν. *Abel* : allusione quâdam vocis, seu litteræ. *Ibidem de gente Amazonum* : ἀπὸ μητέρων ἐγενεαλογοῦντο. *Abel* : a parentibus priscis orta est. *Et rursus*: διὰ τὸ σαύρας πάσασθαι. *Abel* : a locustis, quas comedebant. *Ibidem ex Geographo* : πεποίηκεν (ὁ Μαίανδρος) τὴν Πριήνην μεσόγειον τεσσαράκοντα σταδίων προσχώματι, ἐπὶ θαλάττῃ πρότερον οὖσαν. *Abel* : Prienem maris insulam longo incremento latente terram quadraginta stadiorum efficit. *Num. CXVI.* οἶνος ἐλ-

λόγι-

λόγιμος ἀρετῇ ἐστι κατακεκαυμένη τῆς. *Abel*: vinum eſt naturæ ſingularis, & virtute comburendi præditum, quia torridæ plagæ ſubeſt. *Numer. CXVII. de Armeniis puellis illuſtribus, poſteaquam meretricium fecerunt, in matrimonium collocatis*: εἶτα πρὸς γάμον ἐκδίδωσθαι, μηδενὸς ἀπαξιοῦντος ταῖς τοιαύταις συνοικεῖν. *Abel*: & non aliter ad nuptias convolant, quàm cum ab omnibus refutantur. *Num. CXVIII.* κεῖνται δὲ, φησὶν, οἱ Λύκιοι πρὸς θάλασσαν. *Abel*; & ſiti ſunt in mari.

 Ibi-

Ibidem de Aſpendiis ex Arriano: ἀλλά τε οὖν αὐτοὺς ἐλύπησεν ὁ βασιλεὺς, καὶ τάλαντα ἑκατὸν ἔλαβεν ἀντὶ τῶν πεντήκοντα. *Abel paullò liberiùs*: etſi tamen illos functos eſſe ſuo virili officio commemoratur, quotquot erant. *Numer. CXIX.* οὓς Λυκάονας πρὸς ἀνατολὴν λέγει ὡς ἠπειρῶτας μέσην χθόνα οἰκεῖν. *Abel*: Lycaones qui in Epiro ſunt medii ortum verſus. *Ibidem ex Geographo*: Οἱ Κίλικες οἱ ἐν Τροίᾳ μεταστάντες εἰς Συρίαν, ἀπετέμοντο παρὰ τῶν Σύρων τὴν νῦν Κιλικίαν. *Abel*: Geographus ſcribit, eos,

quos

quos vocant Cilices, origine Troianos fuiſſe, atque diſtingui a Syriis. *Numer. CXXI.* Διὸ καὶ χρησμὸς ἐξέπεσεν ἐν ὑπερβολῇ τοιοῦτος. *Abel*: quamobrem ſic acceptum eſt ab oraculo in ironiam. *Et infrà*: ποταμόν τε φασὶν εἶναι ἐκ μέσου πεδίου ἀνιόντα, καὶ οὕτω βιαίως τοῦ μυχοῦ ἀνατέλλειν, ὥστε τῷ καθιέντι ἀκόντιον εἰς τὸ τῆς γῆς βάθος ἀντιπεράττει τὸ ὕδωρ, καὶ μόλις τὸ καθιέμενον βαπτίζεται. *Abel*: ipſum adeò violenter e medio campo regredi ac reducere curſum ſuum in profunditatem terræ, ut ejus a-

qua videatur jaculo fortiùs, ſi ita loqui liceat, erumpere. *Num. CXXIX. de Apameâ*: ἐν μεσογαίῳ κειμένη, πρὸς νότον Ἀντιοχέυσιν. *Abel*: media inter Phœniciæ urbes verſus Antiochios auſtrales. *Ibidem de Seleuco Nicatore*: εἰς ὃν τότε τὸ τῆς Ἀσίας περιελήλυθε κράτος. *Abel*: contra quem olim Græcia copias ſuas duxit. *Et rurſus*: τὴν Σελεύκειαν ἡ ἱστορία ἔρυμα φησιν εἶναι ἀξιόλογον καὶ βίας κρεῖττον. *Abel*: & in hac Seleuciâ hiſtoria recenſet fuiſſe latronum latibulum, quia

locus

locus dereliᶜtus eſt. *Numer. CXXXI.* τὸ ἔζωσαι καὶ ἐν ἄλλοις φθάσας εἶπεν ἐστὶ ὁμοίας σημασίας. *Abel*: quo verbo uſus eſt per ſimilitudinem. *Ibidem*: ὡς εἴπερ μὴ εἶχε καὶ χωρὶς τῆς τοῦ ἀμεταβόλου διπλέης ἐκλείπεσθαι ἢ τῆς παρὰ προθέσεως παραλήγουσα, καθάπερ καὶ παρ' Ὁμήρῳ ἐν τῷ, Αἴσιμα παρρειπών. *Abel*: plura exempla de iis invenias apud Homerum, & alios veteres authores Græcos. *Num. CXXXII.* ὅτι οὕτως ἐκεῖ Ζεὺς τὸν Διόνυσον ἐλύσατο παρὰ μηροῦ εὐραφέος. *Abel*: ferunt, Jovem Bacchum olim

lim ſibi devinxiſſe. *Et paullò poſt:* μῆλα δὲ λασίοις ἐβαρύνετο μαλλοῖς. *Abel:* & pecudes inter paſcendum demiſſis lanis veſtiebantur. *Ibidem de tibicine Arabio, qui* δραχμῆς μὲν ηὔλει, τεττάρων δ' ἐπαύετο. *Abel:* drachmam cantet, tum quartò ſileat. *Num. CXXXIII.* Εἰσὶ δὲ καὶ ὀλιγόδουλοι, καὶ διακονοῦνται τὸ πλέον ὑπὸ συγγενῶν, καὶ εἰσιν αὐτοδιάκονοι, καὶ ἀντιδιάκονοι. *Abel:* & raro ſerviunt, niſi cognatis operam præſtent, vocanturque αὐτοδιάκονοι, & antidiaconi. *Num. CXXXV.* Τινὲς δὲ διὰ

τῶ

τῷ ἡ κλίνουσα, Τίγρης Τίγρητος, τῷ λόγῳ τῶν εἰς ης Ἰαμβικῶν. *Abel*: atque etiam Tigris Tigritis apud Iambicos poëtas. *Numer. CXXXVI. Euſtathius ex Geographo*: λέγει δὲ καὶ οὕτω σφοδρῶς διαβάλλειν αὐτόθι τὸν Τίγριν, ὥστε τὴν λίμνην, ἁλμυρὰν οὖσαν καὶ ἄνιχθυν, γλυκεῖαν ἐν τούτῳ τῷ μέρει γίνεσθαι, καὶ ἰχθύων πλήρη. *Abel*: in quam Tigris, ait, eo impetu dejicitur, & inde exilit, ut nihil de ſe mutet, vel poſt ſe aquarum relinquat. *Numer. CXXXVIII*. συνεπωπτέραν δὲ αὐτῆς (Σεμιράμιδος) τὴν Νίτωκριν. *Abel*:

Abel : & eâ multò seniorem fuisse Nitocrin. *Et paullò post de muro Babylonis* : τὸ δὲ τεῖχος εἰς ὕψος ἀνέτεινε ν' πήχεων, οὗ τὸ πάχος εἰς τριάκοντα πήχεις διέστησεν, ὡς καὶ τέθριππα ἐπ' αὐτοῦ ἐναντιοδρομεῖν ἀλλήλοις. *Abel* : muri ei erant alti cubitis quinquaginta, profundi triginta, supra quos quatuor simul junctæ quadrigæ facilè concurrere poterant. *Ibidem*: ἔκτισε δὲ καὶ δεξαμενὴν μεγάλην, ἢ κῆπον ἐπήγειρε θαυμαστὸν, ἐπιλεγόμενον κρεμαστόν· ὃς τετράπλευρος μὲν ἦν, ἑκάστην δὲ πλευρὰν εἶχε τετράπλεθρον. *Abel*: erat

rat

rat & in eâ locus recessus, tumque hortus ibi propendens admirabili opere, & quadrilaterâ formâ, cujus angulus quilibet in jugera quatuor exibat, & dictus Cremastus. *Num. CXL. Eustathius de Dionysio, posteaquam ad Asiam transiit*: τότε δὴ πλατύτερον τοῖς ἱστορουμένοις ὑπεξέρχεται, ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν εἰς Ἀρραβίαν λεχθέντων, καὶ τῶν περὶ Μηδείας ἱστορηθέντων, καὶ τῶν νῦν δὲ ἐκτεθέντων. *Abel*: quantùm attinet ad historiæ indagationem (*quasi nimirum in enchiridium suam de situ Orbis* com-

commentationem redegit) ut conſtat hoc loco, & paulò poſt, cum de Medeâ meminit, ac de Arabiâ, tumque etiam de Aſiâ, *&c.* *Num. CXLI.* ὅπου γε καὶ αἱ παρονομαζόμεναι αὐτοῖς Περσικαὶ ἐμβάδες, ὥς τινές φασιν, ὑπόδημα εὐτελὴς ἦν. *Abel*: quare cothurni Perſici generis calceamenti locum habuerunt, quòd ornatè & artificiosè fierent apud Perſas. *Ibidem de Perſide* : νοτιωτέρα τῶν Κασπίων οὖσα πυλῶν. *Abel* : quia auſtrum versùs Caſpias Pylas, ſive portas habet. *Num.CXLIV.*

de

de Gedroſis : ὥςε αὐτοὺς ἀναλογώτερον καλεῖσθαι Γεδρωσιανούς. *Abel* : unde Gedroſiani per comparationem meliùs dicti ſunt. *Num. CXLV.* τὸ δὲ κουράλιον τοῦ τῆς Γοργόνος αἵματος ἀποςάξαι μυθεύεται. *Abel* : Coralius ideo quòd ſanguinem Gorgoni ſtiterit. *Num. CXLVI. de Indiâ* : διὸ καὶ θερμότατος παρ' αὐτοῖς ὁ ἥλιος τὸ ἑωθινὸν, ὥς φασιν οἱ παλαιοί· καὶ πολλῷ μᾶλλον, ἢ ἐν μεσημβρίᾳ, κατὰ τὴν Ἑλλάδα. *Abel* : tumque magis ipſa ferveſcit, quippe quæ poſita eſt ad orientem, quàm quæ ſub meri-

 die

die pars Græciæ eſt. *Ibidem:* ἐξ οὗ, φασὶ, καὶ εὐήτριοι σινδόνες ὑφαίνονται. *Abel:* unde Sindones pannum ſuum inficiunt. *Et paullò poſt:* ῥίζαι καλάμων μεγάλων καὶ τῇ φύσει, καὶ τῇ ἑψήσει γλυκεῖαι. *Abel:* radices autem calamorum maximæ guſtui dulcorem naturaliter adferunt. *Num. CXLVIII. de Indo amne:* τοῦτον λέγεται ζεῦξαι πλοίοις Ἀλέξανδρος, Ἡφαιστίωνος γεφυρώσαντος. *Abel:* & eo modo hunc Alexandrum tranſmiſiſſe, Hephæſtione navium præfecto. *Numer. CXLIX.* καὶ εἶναι καὶ τὸν Ἀλέξανδρον

δρον διὰ τοῦτο, κατὰ τοὺς κόλακας, οὐκ ἀπεοικότα οὔτε τοῦ Ἡρακλέος, ἀλλ' οὐδὲ μὴν οὐδὲ τοῦ Διονύσου, διὰ τὸ καὶ αὐτὸν ὁμοίως ἐκείνοις ἀποδημῆσαι. *Abel*: etſi fortaſſe neque Hercules neque Bacchus antea, neque etiam Alexander unquam eò uſque pervenerunt. *Quid plura? Nihil eâ* Abelis Matthæi *interpretatione monſtroſius atque inſulſius, nihil etiam ſæpe alienius ac falſius. Et velim ego, quod eſt in proverbio, Augiæ ſtabulum perpurgare, ſi velim ſordes omnes illius interpretationis eluere. Præ-*

terquam quòd nihil eâ interpretatione perturbatius, atque inordinatius: quippe quum Abel, *neglecto penitus explicationum Eustathianarum ordine, arbitratu omnia suo susque deque misceat, atque confundat. Quò magis mirer, Poëtam nescio quem, non sanè malum, neque illepidum*, Abelis Matthæi *gloriæ applaudere his versibus potuisse*:

Describsit totum lepido Dionysius orbem
Carmine, quo nullum tersius Hellas habet.
Maximus enarrat tanti monumenta Poëtæ

Eusta-

Euſtathius, ſæcli ſplendor honoſque ſui.
Ambos Matthæus Latio donavit honori
Tam ſcitè, ut veneres ſervet uterque ſuas.
Seu verbis egit numerorum lege ſolutis,
Seu Latio Graiis reddidit ille modos.
Huic ſi noſtra viros aliquot proba Gallia ferret,
Artibus ingenuis ingenioque pares;
In Latium doctæ mox migraretis, Athenæ,
Porrigeres rectas, Græcia tota, manus.
Perge modo hoc benè de cunctis, Matthæe, mereri,
Et ſtudiis homines perge juvare tuis.
Sic te æterna manet pro tantis gloria geſtis,
Et tandem hac felix ibis in aſtra viâ.

Adeò multa dantur aliquando amicitiæ, multa etiam ambitioni. Tolerabilior multò,

tò, multòque etiam Latinior, interpretatio illa Bernardi Bertrandi *: quæ tamen & ipsa errores habet minimè ſanè omnium contemnendos : quales, præter illos pauciores, paullò ante notatos, hi etiam plures ſeſe mihi ſtatim in oculos dederunt. Num. III. Euſtathius de Rhodiis, qui incurſionem in Helenam, eò appulſam, fecerunt :* τῶν δὲ Ῥοδίων τῆς Ἑλένης καταδραμόντων, (περιῆλθε γὰρ αὐτοὺς μνήμη, ὧν ἐν τῇ Τροίᾳ κακῶν ἔπαθον, δι᾽ αὐτήν). *Bertrandus*: Rhodiis verò Helenæ causâ excurrentibus, (illis

(illis enim in mentem venerant mala, quæ Troiani ejus causâ passi fuerant. *Num. VI.* ἀκόλουθα οὖν ὁ Διονύσιος νοεῖ τοῖς σοφοῖς. *Bertrandus*: Reliqua verò Dionysius eruditis animo volvenda permittit. *Ibidem de Saturno stellâ*: ὃς εἰς ψύξιν τίθεται, ψυχρὸς ἀπὸ τῶν ἀποτελεσματικῶν ἐκλαμβανόμενος. *Bertrandus*: quod (*sidus Saturni*) naturâ frigidum est, ut ex eventibus comprobatum est. *Num. XI.* Γαλάτης ῥοῦς, ἤτοι τὸ Γαλατικὸν πέλαγος. ἀντὶ κλητικοῦ γὰρ εἴρηται. ὥσπερ καὶ Αἰσχύλος Σκύθην οἶμον λέγει τὸν

Σκυθικόν. *Bertrandus*: Galliæ ﬂuxus, ideſt, Gallicum mare: veluti & Æſchylus Scythiæ viam vocat, Scythicum ſinum. *Num. XIV.* Φασὶ δὲ καὶ τοὺς Δαλματεῖς δι᾽ ὀκταετηρίδος ποιεῖσθαι τῆς χώρας ἀναδασμὸν κατά τινα ἀναγραφήν· καὶ οὐδὲ νομίσμασι χρῆσθαι. *Bertrandus*: Ferunt etiam, Dalmatas per octo annorum ſpatium de novo terram aratris findere, neque legibus uti. *Numer. XX.* Τὸ μέντοι πλαζομένας, ὅπερ ὁ Διονύσιος ἐνταῦθά φησι, δίδωσι νοεῖν, ὅτι δύνανται καὶ αὗται, κατὰ τὰς ἑρμηνείας, Πλαγκταὶ λέγεσθαι. *Bertran-*

trandus: Ceterùm vox illa, *vagantes*, qua hoc loco auctor utitur, conjecturam facit, illas esse posse, quæ ab Homero Planctæ dicuntur. *Ibidem de Ponto Euxino, qui dictus olim* Ἄξενος, ἢ διὰ τὸ μὴ ἔχειν νήσων καταγωγάς, *&c.* *Bertrandus*: vel quòd non habeat in insulis littora. *Num. XXV. de Carthagine, cujus portus satis commodus*: ἱδρυμένη ἐπὶ χερρονήσῳ. *Bertrandus*: quippe in continente sita. *Num. XXIX. de Nilo* ἕρποντι ἕως καὶ εἰς τὴν καλουμένην πόλιν Συήνην· Σῖεκ

ὑπὸ Αἰθιόπων κικλήσκεται. *Bertrandus* : uſque ad civitatem nominatam Syenen , quæ Siris ab Æthiopibus vocatur. *Num. XXXVIII.* τὸ γὰρ μέταλλον τοῦ χρυσοῦ τῷ ἡλίῳ ἀνάκειται. *Bertrandus* : Metallum enim auri , ſoli accumbit. *Num. XLII. de utre ex pelle detractâ Marſyæ* : ὁ ἀσκὸς κρεμασθεὶς καὶ τῷ χρόνῳ κατενεχθεὶς ἔπεσεν εἰς τὴν Μίδου λεγομένην κρήνην. *Bertrandus* : uter exuſtus & delatus ceciderit in Midæ fontem. *Ibidem de mysâ , ſeu myſo arbore* : ὅπερ τὴν ὀξύην δηλοῖ , κατὰ τὴν γλῶσσαν τῶν Λυδῶν.

Λυδῶν. *Bertrandus* : quod quidem acumen linguâ Lydicâ ſignificat. *Numer. XLVI. de Evandro* : καὶ λόφον ὀχυρωσάμενος, ὃν Παλλάντιον ὠνόμασεν ἀπὸ τοῦ υἱοῦ Πάλλαντος, τοῦ καὶ ἐπ' ἄκρου καὶ λόφου θάψαντος αὐτὸν θανόντα, καὶ τὸν Ἡρακλέα ξενίσαντος. *Locus hic quidem Euſtathii depravatus: quem tamen tantùm abſuit, ut Bertrandus corrigeret, ut errorem etiam cumularet illâ interpretatione*: colliquе nomen Pallantio a Pallantis filio impoſuit, qui mortuum ipſum in vertice collis ſepeliverat, & Herculem

lem hoſpitio receperat. *Num. XLVII.* παρὰ τῷ Θεοκρίτῳ φαίνεται ἔν τινι ἀμφιβαλλομένῃ γραφῇ. *Bertrandus*: Videtur etiam apud Theocritum in obſcuro carmine. *Numer. XLIX. de Brettiis*, οἳ τὰ πρῶτα ποιμαίνοντες, ὕστερον ὑπὸ ἀνέσεως ἐλευθερώσαντες ἀπέστησαν. *Bertrandus*: qui primò paſcentes, poſtea intermiſſione liberati, abſtinuerunt. *Num. LVIII.* Ὅτι ἐν δυσὶ στίχοις μετέλαβε γοργῶς καὶ ποικίλως τέσσαρα τοπικὰ ἐπιῤῥήματα. *Bertrandus*: Cæterùm Dionyſius in duobus verſibus venuſtè quatuor

tuor nomina fluviorum comprehendit. *Num. LXV. ex Geographo*: ἀποικία γέγονε Φοινίξιν ἕως Ἰβηρίας, τῆς τε ἄλλης, καὶ ἔξω στηλῶν. *Bertrandus*: Phœnices uſque in Iberiam, inquiens, & Allam, & extra Columnas, colonias duxerunt. *Num. LXXXVI.* τάχα δὲ ὁ μὲν ῥηθεὶς λέβης πλοίου εἶδος ἦν, ᾧ καὶ ὁ λῃστρικὸς λέμβος ἔοικε παρηχεῖσθαι. *Bertrandus*: At ille lebes ferreus, navis erat genus, quo nomine etiam piratica ſcapha vocatur. *Num. XCI. de Icariâ inſulâ ex Geographo*: λέγων,

ὅτι καὶ ἔρημόν ἐστιν αὐτὴ νησίον, νομὰς ἔχον, αἷς χρῶνται οἱ Σάμιοι. *Bertrandus* : deſertam ait eſſe inſulam, iiſdemque conſuetudinibus uti, quibus utuntur Samii. *Num. XCIII.* τὴν ὑπ' αὐτῷ χώραν, Ἤπειρον καλουμένην πρότερον. *Bertrandus* : regionem prius a ſe Epirum dictam. *Num. C.* αἱ Βάκχαι αἱ τοῦ Διονύσου ὀπαδοί. *Bertrandus* : Bacchides Dionyſii miniſtras. *Sic & alibi* : ὁ Διόνυσος *Bertrando* Dionyſius. *Unde & diximus ſupra videri Bertrandum pro* Διόνυσος *legiſſe in Euſtathio* Διονύσιος. *Num. CV.*

ἀθλου-

ἀθλοῦντων γὰρ ἄλειμμα τὸ ἔλαιον. *Bertrandus* : defeſſi enim oleo unguntur. *Num. CVI.* Φασὶ δὲ καὶ τὴν βύσσον ἀπὸ βοτάνης συνάγεσθαι. *Bertrandus* : Aiunt autem purpuram ex herbâ colligi. *Num. CXXII.* Κύδνος ὁ ἐν Ταρσῷ ποταμὸς, οὗ ἐκβολαὶ μετὰ τὴν Ἀγχιάλην πόλιν. *Bertrandus* : Cydnus Tarſi fluvius, cujus fontes poſt Anchialam civitatem ſunt. *Num. CXXXI. Euſtathius de Dionyſio* : Πολὺ καλαχέει τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας ἐγκώμιον, ἐνδιατρίβων αὐτῇ. *Bertrandus* : Multis encomiis felicem celebrat Ara-

Arabiam. Nam in illâ degebat. *Ibidem Euſtathius :* ἀπὸ τοῦ τῶν Ἀράβων ἔθνους, μὴ πάνυ, ὡς ἔοικεν, εὐδοκιμούντων τὰ εἰς ᾠδήν. *Bertrandus* : ab Arabum gente, quæ delectare ſolet Muſicâ. *Num. CXXXIX. de Theſeo, quem parùm abfuit, quin Medea de medio tolleret,* εἰ μὴ ὁ πατὴρ γνωρίσας τὸν ἐκ πολλοῦ ἐπὶ διαδοχῇ τῆς Βασιλείας ποθούμενον παῖδα, περιεσώσατο. *Bertrandus :* niſi pater illum ſervaſſet, videns illum deſiderare regnum. *Num. CXLIX. de Macedonibus, qui Herculem antea in Indiam*

diam eò, quò postea Alexander, penetrasse sibi persuaserint, ἀπὸ τοῦ ἰδεῖν αὐτόθι βοῦς ἐγκεκαυμένας ῥόπαλον, τὸ τοῦ Ἡρακλέος παράσημον. *Bertrandus* : eò quòd illic boves vidissent clavam incendentes, quæ quidem signum erat Herculis. *Atque hæc etiam satis de erratis quibusdam Bernardi Bertrandi. Me verò piget, atque etiam pudet, gravia hujusmodi utriusque illius interpretationis errata (sunt enim & alia complura) longiùs persequi, nequid videar alienis velle lau-*

dibus detrahere. Ἡμεῖς γὰρ, οὐ μυῖαι τοῖς ἕλκεσιν ἐφιζάνουσαι, μέλισσαι δὲ, τοῦ τῶν μουσῶν λειμῶνος τὸ κάλλιστον ἀπανθίζουσαι. *Quæ tamen errata, veluti in exemplum, tibi ob oculos poſita eſſe volui, inde ut perſpicias, quàm neceſſe mihi fuerit, qui Euſtathium ad Homerum primus omnium Latinum fecerim, Euſtathium ad Dionyſium Periegetam, malè ab aliis Latinum factum, Latinè de novo interpretari. Accedit, quòd neutra illa antiquior interpretatio integra eſt, aut perfecta; ſed*

Euſ-

Eustathium dimidio ferè, & plusquam fortasse, quàm dimidio, truncatum ac mutilatum exhibet. Horridior atque incultior Abel Matthæus; sed & idem alicubi fusior, atque ad investigandas Eustathii sententias curiosior. Cultior atque tersior Bertrandus; sed & ipse sæpe brevior, & contractior, atque in compluribus locis, Grammaticis præsertim, in Eustathium multò negligentior. Uterque tamen Grammatica maximâ ex parte omittit: quæ certè rectè expli-

plicare, multò eſt difficilius. Prætermittit etiam uterque, peſſimo exemplo, quod rite atque ex ordine præmittendum omnino erat, longiuſculam Euſtathii ad Johannem Ducam epiſtolam: quâ epiſtolâ fusè atque eleganter Euſtathius aperit, quid ſibi ipſè potiſſimùm in toto ſuo commentario propoſuerit. Illud denique uterque, quamvis diverſis locis, & ſuo quiſque conſilio, feciſſe veluti ex compoſito videtur, ut Euſtathii eam tantùm partem Latinis hominibus daret,

quæ

quæ ſibi maximè placuiſſet. Ego verò totum tibi atque integrum Euſtathium trado, purum, germanum, ſincerum, talem denique prorſus Latinè, qualis ipſe eſt Græcè. Namque in primis Græcum ipſum Euſtathium recenſui, & cum reliquis ſcriptoribus, quorum teſtimonio uſus eſt Euſtathius, quibuſcum potui, omnibus, diligenter contuli, atque ad fidem præſertim duûm optimæ notæ MSS. Codicum emendavi, utriuſque membranei, quorum alter meus, alter

multò præstantior, & aliquantò etiam antiquior Cajetani Moniliæ, Viri clarissimi. Unde etiam est, quòd interpretatio hæc mea aliquibus in locis à vulgatâ Eustathii scripturâ discedit: quia nempe interpretationem meam non ad vulgatam illam & falsam, sed ad veram & emendatam scripturam accommodavi. Deinde, quod ad Eustathium in Homerum, id ipsum hîc ad Eustathium in Periegetam præstare conatus sum, ut Eustathium Latinum Latini homi-

homines non minùs intelligant, quàm Græci Eustathium Græcum; itaque Eustathium interpretarer, ut & ego eum perfectè exprimerem; & tamen hic commentarius, quantùm in me fuit, non è Græco translatus; sed primùm Latinè ad usum Latinorum hominum compositus videretur. Ubi etiam insertum habes Latinèque à me conversum commentariorum horum supplementum, quod, ad ingentem lacunam explendam, ex M S. Codice Bibliothecæ Cla-

Claromontanæ ſecum ab amico communicatum, publici jampridem juris fecerat Joh. Albertus Fabricius in Bibliothecâ ſuâ Latinâ. Neque jam eſt, benigne Lector, quòd ego te diutiùs in horum commentariorum limine detineam. Nam de animadverſionibus in Euſtathium meis, quibus & Euſtathium ipſum, & Dionyſium, & antiquam Geographiam, & quidquid ad antiquam Geographiam in Græcis Latiniſque ſcriptori-

toribus pertinet, operosè ſatis curioſèque illuſtro, res eſt alterius loci ac temporis. Vale.

Libri approbatio, ejusque edendi potestas ALEXANDRO POLITO permissa à Præposito CL. REG. SCHOLARUM PIARUM GENERALI.

JOHANNES FELIX à Præsentatione B. V.

CLER. REG. PAUP. MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM PRAEP. GENERALIS.

Quod à nobis vehementer petiisti, ut Eustathii in Dionysium Periegetam commentarios, Latinè à te versos atque illustratos, typis edi permitteremus, id non solùm tibi volentes libentesque, pro nostrâ hac in parte auctoritate, indulgemus; verùm & enixè suademus: ut id

id operis, quod egregiè abs te elaboratum, per eos, quibus commisimus, intelligimus, tandem aliquando in lucem proferatur. Ad hoc enim necessariam omnem facultatem, quæ in nobis est, præsentium vigore tibi impertimur. Datum Romæ in ædibus nostris S. PANTALEONIS. III. *Kal. Maii* MDCCXLI.

INDEX
HISTORICUS, GEOGRAPHICUS ET MYTHOLOGICUS.

A

† Ægyla.

Aido-

Apol-

Cher-

Erida-

†† 2 Gan-

Hep-

Laco-

Liguf-

Euſtath. in Dionyſ. † † † Mæotis

O

Phry-

Tau-

FINIS.

EUSTATHII

DIACONI, A SUPPLICIBUS LIBELLIS
atque Oratorum Magiſtri,
Poſtea etiam
ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS,
De ſuis
In DIONYSIUM Periegetam *Commentariis*

EPISTOLA
Ad venerandum admodum & colendum

DUCAM JOHANNEM,
SUPPLICUM POSTEA LIBELLORUM
Magiſtrum,

ANDRONICI CAMATERI,
Sebaſti admodum venerandi, Magnique
Drungarii, Filium.

Epiſtolam ſequitur Procemium in id operis:

Procemium ipſi deinceps Commentarii.

ALEXANDRO POLITO Interprete.



PINDARO, summo illi quidem Lyrico Poëtæ, quum carmen deberet, debitumque hoc suum diutiùs extraheret, placuit ipsi sibi dicam oblivionis impingere. Itaque & debiti hujus sui, quod erat melos dulce atque jucundum, sese ille in oblivionem venisse dicit, & cor explicatum sibi vult atque apertum, legere ut possit, qua in parte mentis suæ sit ille homo inscriptus, cui rem debitam procrastinabat. Mihi verò, Vir admodum Venerande, optime, atque sapientissime, tametsi in mentem venit, debere me Tibi Commentarium, quem pollicitus fueram, & hoc promissum meum in longum me satis tempus differre; tamen nihil mihi prorsus commissum est per oblivionem. Non sic ego ex sopore laboro, neque sanè dormito, ubi perquam

ſobrium & vigilantem me eſſe oportet? Quò enim aliò præterea curam cogitationemque convertam, quaſi ſcilicet pro nihilo habeam voluntatem tuam? Qui animi tui ſententiam mihi totam pateſeciſti, ut nihil jam omnino optandum mihi ſit, quod non tibi etiam ſummopere expetendum videatur. Non igitur oblivio me cepit promiſſorum meorum, neque Latona illa oblivionis habet, quòd glorietur de hoc noſtro qualicunque Mercurio, ſeſe eum certamine viciſſe, trophæumque de eo ſtatuiſſe. Sed aliud quiddam repentè oblatum excidere me fecit promiſſis, pollicitationemque meam labefactavit. Reputabam enim, id tibi operis parvi eſſe futurum, neque te ea valde anxieque curaturum, de quibus inter nos collocuti ipſi fueramus. Cogitabam namque progreſſus in Litteris tuis, reputabam ingenii tui magnitudinem, animi quibuſdam veluti gradibus altius adſcendentis incrementa in mentem reducebam. Itaque, quum nervos omnes induſtriæ in eo a te poſitos animadverterem,

rem, ut ad majora contenderes, nullo ſanè modo perſuadere mihi ipſe poteram, curæ id tibi utique unquam fore, de quo ſermonem habueramus; neque te, qui magnis jam doctrinarum atque eruditionis divitiis affluere cœperas, exiſtimabam, rem hanc minimam, quæ tibi in nominibus eſſet, meminiſſe. Tu verò ita, & tam avidè ligurire ea didiciſti, quæ ad liberales diſciplinas pertinent, ut ne ea quidem, quæ maximè exigua eſſe videntur, quoquam infra cadere & perire facilè patiaris; iſque te & tam cupidus ſapientiæ amor ſubiit, cujus beatas copias expeteres, ut ne eruditionis quidem veluti ramenta prætermittas, quæcumque etiam non magno prorſus in pretio habentur. Certè quidem non vis debitum nobis remittere, niſi id retribuamus; neque novas nobis tabulas decernis; ſed tabulis iis rationum, quæ in animo tuo ſunt repoſitæ, evolutis atque explicatis, quum in eas tabulas nomina noſtra relata repereris, gravis atque violentus invadis, ac

propemodum etiam suffocas, neque tete dimissurum nos affirmas, nisi debitum persolverimus: tametsi exiguum sane illud sit, modicæque æstimationis, tale denique, quod ut condonetur, tamen eum, ad quem nihil inde perveniat, non magnâ admodum molestiâ, neque incommodo affecerit. Tu verò usuræ etiam nobis actionem intendis, itaque pluris litem æstimas. At enim id quidem dubiis ille Lyricus facere poterat: qui, quum copiis omnibus eloquentiæ atque doctrinæ circumflueret, præterea verò ære sese alieno obstrictum esse cognosceret, usuram quoque ad sortem libenter adjecit; &, quum id, quod debebat, carmen nimirum, redderet, cumulum etiam quendam accedere voluit, & hunc τόκον, seu usuram, appellavit. Nobis verò id ipsum non valde erit in promptu. Non enim nobis quoque, pariter atque illi, eruditionis atque eloquentiæ chrysitis ad metalli oratorii ubertatem aureas venas aperuit; sed summâ eloquentiæ atque doctrinæ inopiâ laboramus.

Benè

Benè igitur nobiſcum agi putandum fuerit, ſi vel ipſam ſortem, ac caput debitionis, rependere nobis licuerit. Itaque ecce tibi habes, ſapientiſſimum ac venerandum mihi caput, ſi non habeo ego dicere, quod tibi in optatis ſit, niſi memet ipſe glorioſiùs atque ſuperbiùs efferam, at debitum quidem certè, quod quum tute jam ſæpe repetieris, nos nunc tandem perſolvimus. Ac ſcio equidem, id operis, propterea quòd longè a magnificentiâ abeſt, plerіſque omnibus non ſatis dignum viſum iri, quod legatur. Neque enim pauci in hoc tali ſcribendi argumento arrogantes acerbeque faſtidioſi atque magnifici. Veruntamen longè mihi ſecus ſuffragia feruntur. Namque ego judico, unumquemque, cui quid muneris committatur, atque demandetur, rectè illud pertractare, oportere, itaque adminiſtrare, ut non facilè reprehendi poſſit, ſive magnum illud ſit, ſive parvum; &, qui id boni eſt aſſecutus, quique injunctum ſibi munus pro dignitate effecit, hunc ego ſanè hominem, ſo-

lertem ipsum & probum, & ingenii dexteritate præditum, & joco, quod aiunt, & serio, vocaverim. Novisti igitur & ipse, tete mihi præcepisse atque imperasse, ut, quæ optima sunt atque præstantissima *Periegeseos* DIONYSII, quæcunque nimirum tum ad reliquam cognitionem conferre aliquid possunt, tum ad explicationem aptam atque opportunam, tum ad phrasin atque elocutionem scriptionis, tum ad usus atque experientiæ copiam, ea tibi, veluti quosdam flores, decerperem; utque, siquid forte aliud adjici oportebat, ad illius symbolas contribuerem, eo quia transcursu quodam admodum brevi atque compendiario utitur DIONYSIUS, & *Periegesin*, seu Descriptionem orbis terrarum, in angustum coarctat. Id verò nos etiam præstitimus pro eo, quod tibi gratum ac placitum erat; atque omne id quidem, quod non per sese bonum esset, atque utile ad tractandum atque exponendum, manere in DIONYSII Libro sivimus otiosum atque neglectum; quodcunque verò usui esse posset

iis,

iis, qui prorsa sese oratione ad scribendum applicant, aut etiam aliter quomodocunque DIONYSII æmulatione ducuntur, id totum commovimus, studiosèque atque eleganter delegimus, & sic inde tibi sapientiæ craterem, & hunc quidem vino puro, atque à flocium folliculo, vinaceorumque asperitate purgato, expletum miscuimus. Jam verò etiam tibi hanc veluti medullam quandam eruditionis atque sapientiæ apponimus, quum, quidquid ossecum poëticæ duritiei erat, tanquam ostracismo, relegaverimus: ita ut hac certe ratione cum Poëtico illo Chirone comparandi videamur, qui Thetidis filium medullis enutrivit. Jam verò multò nos meliore conditione, quàm ille, usi fuerimus, quippe qui neque ferarum medullas colligamus, neque eas Achillis apponamus, Thessalo illi adolescentulo, ab eximiâ pedum velocitate celebrato, quæ utique laus gregario cuique, & de vulgo homini obtigerit; sed viro omnibus numeris absoluto, planèque beato, ex regiâ stirpe orto, animi magnitu-

nitudine, doctrinæque atque eloquentiæ studiis præstanti, vegetâ corporis proceritate spectabili, & habitu quidem oris atque adspectu, simulacro cuidam Gratiarum; intus verò, qualem quis perfectum vereque quadratum hominem descripserit. Id igitur quum ita nos, quemadmodum tua voluntas est, faciamus, siquid dulce ac suave est DIONYSIANÆ Poëseos, totum id in edulium, quod ad amicitiam conciliandam pertineat, apparamus. Quin & præterea suave quoddam condimentum adjicimus, quod & aliunde administramus, &, quantum opus est, tum ad commensuram atque congruentiam, tum pro loci & rerum opportunitate, deligimus. Itaque has istas epulas multò illustriores atque splendidiores reddimus, conditas nimirum à nobis, multisque hinc inde exquisitis scitamentis instructas atque adornatas: adeo ut quidquid hoc est in convivas excipiendos comitatis, non parcum sit nobis omnino atque exile. Neque tamen quidquam addimus minimè aptum, quodque cum DIONYSII

Perie-

Periegesi cohærere minimè omnium possit (esset enim res supervacanea, vanaque ambitio, scientiæque frivola opinio, & longæ cujusdam Geographiæ simulatio simul atque adulteratio); sed in verbis ipsis DIONYSII immoramur; & alia quidem, in modum veluti paraphrasis, commutamus, itàque explicamus; alia verò verbis ipsis enunciamus; &, siquid adjici oporteat, id quoque adjicimus; itaque tenuem ipsam narrationem, moderatè crassam, pene dixerim, atque pinguem reddimus, argumentumque ipsum operis, quod parvum est atque exiguum, paullatim magnum atque amplum facimus. Non igitur parvipendendum prorsus id operis, siquidem perfectè atque integrè absolutum fuerit id, quod est demandatum. Hac istâ certè de caussâ facilè adducor, ut confidam, hoc ipsum opus venerabili admodum Celsitudini tuæ non vanum atque irritum esse evasurum, tum quia pro animi tui sententiâ perfectum illud est atque elaboratum; tum quia, qui in sinu DIONY-

SIUM

SIUM gestat, atque amat, is quoque erga id operis similiter facilè afficietur. Bonus enim hic DIONYSIUS, dulcis carmine, elocutione celer atque incitatus, historiâ varius atque omnigenus, talis denique, qui, oculo & magisterio Musarum, multorum hominum urbes viderit, & ingenium agnoverit. At verò noster hic Commentarius tali huic DIONYSIO adjumento est atque subsidio ad ea, quæ auditor humaniorum Litterarum studiosus percipere avidiùs desiderat. Sive enim discipulos provectiores cursim atque succinctè alloquitur aliquando DIONYSIUS, hic iste Commentarius statim eos reminisci facit earum rerum, quas didicerant, quippe qui, propter tironum adhuc simplicitatem, res scitu peropportunas amplificet atque dilatet; sive ille etiam aliter verba ad tirones facit, certè præsens hic Commentarius, propter eos, qui acroamatis delectantur, plura commemorat atque edisserit: & non supplet ille quidem, quasi mutilum atque imperfectum, dicentem DIONY-

SIUM;

SIUM; sed, quæ ille tractat, fusiùs persequitur, ut prorsam orationem decet; quumque, siquid dulce, totum id ex illius narratione, ut ita dicam, exsugat, aliâ eam ratione pinguiorem efficit, &, quod tenuiter dictum est atque jejunè, copiosiùs diducit, itàque auditoris gulam delinit. Quin & laboris magnitudinem adimit, ut, quæcunque quis auditione aliunde erat collecturus, ea hinc sine labore, per commentarium quendam comparare possit, quantum quidem modus patitur, jam verò etiam alicubi, quantum operis necessitas requirit. Curæ namque fuit DIONYSIO generalis quædam atque universalis terræ descriptio, gentiumque recensio. Unde verò aut locis aut gentibus, appellationes, & quid in iis locis atque gentibus fieri contigerit, non valde ille sibi commemorandum arbitratur. At verò nobis, quod ad nos quidem attinet, hoc istud, cohærenter atque appositè ad verba ipsa DIONYSII, servabitur. Quod cum præstare conamur, non *Periegetam* ipsum corri-

corrigimus, nec quidquam eorum, quæ nimirum deficiunt, minùs commodè supplemus, ut diximus etiam supra; sed necessitatem ipsam narrationis metricæ, propter auditionis cupediam, emollimus. Siquis enim discendi sese studiosum intelligat; deinde verò verba DIONYSII audiat, cum is regionis Bœotorum, & Locrorum, & Thessalorum, & Macedonum duobus versibus de solo nomine meminit, nihilque ampliùs de iis enarrat, nonne hic opportunè, liguritione veluti quadam, cupiat de iis latiùs aliquid atque copiosiùs addiscere? Concupiverit etiam, opinor, hic iste discendi studiosus de Mysis quidquam, itemque de Bebrycibus, audire. Neque verò conquiescere eum faciet tenue, aut nudum nomen Libyæ, neque porro Asiæ, neque tandem Europæ, nisi siquid de his cognoverit, quod rationem ipsam nominis contineat. Ac similiter se res habet in aliorum locorum inquisitione. Et certè quidem de urbibus. Hanc igitur cupiditatem si nos auditoribus exple-

pleverimus, & de unaquaque re, ubi opus eſt, parum quid dixerimus, munere noſtro defungemur, non tam ambitiosè, quàm appoſitè ad rem atque opportunè. Et DIONYSIUS quidem univerſam terram pugillo veluti comprehendit, ita ut ea inde coanguſtetur, neque ſeſe ut plurimùm uſque adeo exerat, ut ad eam capiendam utraque manu opus ſit. Verùm hic commentarius latiorem eam ſenſim aperit, & talem, ut utraque quis manu habeat ipſam apprehendere: ideoque habet fortaſſe neſcio quid amplius elegantiæ atque venuſtatis. Itaque duplex veluti eſt nobis, quidquid hoc eſt boni, tum quia, ſiquid optimum eſt DIONYSII, & quomodocunque commodum ad uſum, ſive etiam ad cognitionem, hoc inde totum eſt corrogatum, tum etiam quia, ſi quid his aliunde conſonum eſt, &, pro cognationis ratione, contubernio veluti conjunctum atque conſociatum, id accuratè adjectum eſt; quantum intra modum ſatis eſſe videbatur. Quare, ſi quidquid hujus eſt Commen-

mentarii, operam suam commodat DIONYSIO, eique opitulatur, jure etiam habuerit communem benevolentiæ, gratiæque ac favoris societatem. Sic enim, quum sapiens sit HOMERUS, bonus quoque atque perutilis is est, qui illum explicat atque enarrat; & commune est ambobus bonum lucri aut vectigalis. Idque similiter fit in DIONYSIO, aliisque doctis atque sapientibus Scriptoribus. Itaque hoc istud donum atque munus, quo venerandam Celsitudinem tuam prosequimur, fuerit nobis DIONYSIUS, non ampliùs Poëta; Sed qui metrum dissolverit, & prorsâ tete oratione majori ex parte alloquatur, neque ille in rebus frivolis atque futilibus ineptè garrulus; sed qui, qualis sit, ipse sese latiùs retegat, atque ex compositione metricâ in orationem pedestrem plerunque resolvatur; quique non canat modò, sed etiam dicat, ubi nimirum nobis cantus minimè omnium est tempestivus, itaque pro simplici veluti bilinguis evadat; neque sit ille prorsùs sublimis, neque me-

tricâ figurâ omnia eloquatur; ſed alicubi etiam pedetentim lentoque gradu procedat; neque è ſcenâ metricâ univerſa enuntiet; ſed frequenter etiam extra perſonam Poëticam colloquatur; neque ille ad vulgus, quæ lyræ Thebanæ phraſis fuerit, interpretibus indigeat; ſed jam ex ſeſe ipſo, ubi res poſtulat, perſpicuitatem, interpretis minimè indigentem, habeat. Et tibi, veluti ex bono prato, flores hi pulchri perferuntur, aut etiam, tanquam ex arbuſtis & variis & pulchris, fructus jam maturus ac generoſus. Et aliis quidem DIONYSIUS, tanquam in fodinâ quadam metallicâ, chryſitin affatim ſuam ad operam improbam & laborioſam apponit; tibi verò purum ipſum putumque aurum, nullâque egeſtæ tractæque ſimul terræ admixtione fœdatum, ſed aliâ etiam ratione expolitum eximieque defæcatum ſuppeditat. Itaque qui in deliciis DIONYSIUM habet, is quoque hunc iſtum commentarium, & quidquid rerum memorabilium in eum acervatim congeſtum eſt, in de-

liciis facile habuerit, eumque in cestum adscripserit, & pro ornamento quodam multipliciter constructo, atque elaborato putaverit. Si igitur & tu amas DIONYSIUM, neque hanc nostram loquacitatem odisti, utrâque ratione hoc donum gratum tibi atque acceptum fuerit, tum DIONYSII, tum EUSTATHII caussâ; jam verò etiam quia imperata nos fecimus. Et hujusmodi quidem nobis hoc ipsum opus. Verùm, antequam ad opus aggrediamur, pauca tibi quædam proponenda, quibus & DIONYSII dispositionem atque ordinem tibi demonstremus, & rem ipsam periegeseos commendemus, &, quid ea valeat, quidque Geographiæ propositum sit, quodnam denique institutum sit Chorographiæ, repræsentemus. Itaque quis, ex rhetorum præceptis artificiosius, tanquam in brevi & compendiariâ oratione, præclara quæque atque magnifica Periegeseos exposuerit.

Qui per proverbia locuti sunt, iis terrarum sub cœlo orbem circumscribere

atque

atque definire, in joco positum fuit, veluti quod minimè omnium fieri unquam posset. Veruntamen ii, qui scitè atque ingeniosè periegesin commenti sunt, illud audacter ad rem contulerunt, nec tale esse comprobarunt, quod non posset fieri; itaque adagium illud compresserunt, & rei, quæ fieri non posse videbatur, vires & facultatem, ut fieret, fabricarunt. Enim verò sic propemodum fecerunt, quicunque descriptam terræ habitabilis tabulam excogitarunt, quum unius fortasse unguiculi spatio immensum terrarum orbem alicubi conclusissent, &, quod crassitudinis terrestris comprehendi nequaquam potest, id ii tabellâ planâ brevissimâ, atque adeo modico intervallo, circumscripsissent. Cui certè auso initium dedisse proditum est ANAXIMANDRUM, qui discipulus fuit THALETIS. HECATÆUS autem fertur, post ipsum, eodem prorsus audaciæ animum atque manum adjecisse; posteà verò DEMOCRITUS; quartus denique EUDOXUS. Quòd si Carthaginem, pellis bu-

bulæ menſurâ definitam, miraculi locò habet Dionyſius, quaſi ſcilicet rem novam atque inauditam, ſi urbis tantæ ſpatium, corii ſegmento circumſcriptum, ſub menſuram ceciderit; quantæ unquam admirationi fuerit, ſpatium illud immenſum orbis terrarum breviſſimâ membranulâ coarctare, atque reſtringere? Sic commodum audax Philoſophia, ſic in parvis maxima oſtendit, atque repræſentat: quæ ſanè non hac modò terræ coarctatione, ſive contractione, juveniliter gloriatur, quòd eam in breve admodum ſpatium compreſſerit; ſed etiam coelum ipſum contrahendo imminuit, & tale illud ac tantum in milium, ut ita dicam, infarcit. Aliud hoc adagium, ſecundùm adagium illud, quod ſupra expoſitum eſt, quippe quod rem non poſſe fieri præ ſe ferat, & tamen ipſum quoque eò artificiosè evadat, ut rem fieri poſſe oſtendat. Ac profectò tale quid faciunt ii, qui coelum hoc tantum, ſphæram hanc inerrantem, quæ omnia intus includit atque conſtringit, in tumorem

parvum

parvum sphæricum, seu orbicularem folliculum, atque, ut quis dixerit, minutulum milii granum convolvunt, &, quidquid hoc est universitatis, in disci volubilitatem rotundatum atque contractum, studiosis quibusque cupidisque hominibus in manum dant; &, quod fabula quidem comminiscitur, Thessalas mulieres præstigiis & incantationibus uti, quibus Lunæ insidientur, eamque e coelo in terram detrahant; id ipsum ii aggrediuntur, non in unum aliquem aut alterum superiorum planetarum, sed in ipsum universum coeli orbem, immensum sanè atque interminatum, quippe qui illum cum ipsis astris, ipsis zonis, omnibusque coelestibus circulis atque segmentis ad nos deducant. Et Juppiter ille quidem apud Homerum coelestis, in Olympi sedibus conspicuus atque decorus, fremens minatur, sese inferiora cum ipsâ terrâ ipsoque mari transformaturum: quum ipse deorsum versus sese nunquam tractum iri jactantiùs glorietur. Veruntamen Philosophus fortiùs

atque validiùs repugnat, ſacramque illam Jovis majeſtatem coërcet: &, quamvis illum cum ipſo coelo deorſum pertrahat, tamen coeleſtem eundem Jovem non ſub tartaro collocat, perinde ut ille, cum patrem ſuum Saturnum præcipitem egit; ſed ſiderum ſpectatoribus, & quomodocunque aliter harum rerum peritis, dat atque exhibet in manum: itaque, quum hoc coelum ſub coelo, ut ita dicam, artificiosè conſtituerit, in ipſo, veluti ſpeculo quodam, ſuperiores atque inferiores motus curioſis quibuſque repræſentat. Quoniam verò qui coeleſtia indagare vult, & de iis philoſophari, ei ſanè ex inferiori hoc loco nequaquam licet alas ſurſum verſus movere, coelum ipſum ſolerti artificio invadit quodammodo atque comprimit; eoque huc detracto atque depreſſo, rem ſic propoſitam perficit. Vel aliâ etiam ratione, quum in coelo minimè omnium poſſit hominem conſtituere, qui, tametſi ſtirps atque propago coeleſtis & ſit & appelletur, tamen verſatur in terrâ;

terrâ; coelum ipſum deducit, terræque proximum collocat, ut ille, qui 'eſt in terrâ, ſic poſſit coeleſtia excolere, eaque bene atque eleganter elaborare. Et fit deſcenſus veluti quidam coeli ad incolas terræ, multò certè aptiùs atque congruentiùs, quàm Heſiodi fabula coelum ipſum deducat ad concumbendum cum terrâ; immo verò & honeſtiùs atque magnificentiùs, tum aliis de cauſſis, tum quia de coelo ait Heſiodus, deſcenſu illud ſuo noctem inducere; at verò coelum hoc, quod Mathematicæ diſciplinæ contemplatio ad terram propiùs admovet, non poteſt certè inducere unquam tenebras; ſed cognitionis artificioſæ lumen miniſtrat. Neque quis hoc loci Homericum illud uſurpaverit: *coeloque ruit nox*; ſed illud, idque maximè:

Diſrupto immenſus coelo reſplenduit æther.

Inde enim, ſerenato coelo, ſplendidum lumen emicat Mathematicæ diſciplinæ.

Tale igitur coelum habeat Aratus circumducere, & quicunque alii ad illius exemplum Poëticè, vel etiam aliter prorsâ oratione, has istas sphæras coelestes volvunt ac versant, perinde quasi ipsi, Musæ veluti quædam, ut decantatæ illæ a Poëtis, sphæris illis assideant, easque ad motum sonorum, musicæque harmoniæ concentu modulatum accommodent. Verùm DIONYSIUS, qui nobiscum nunc versatur, terram ipsam excolit, atque ad hanc, pro metri dignitate, omni curâ atque contentione laborat; itaque orationis alâ levis fertur, terramque universam habitabilem velociùs circumit, quàm quæ a communi omnium sermone aquilæ jactitantur, quibus Juppiter ille fabulosus totam sub coelo terram est dimensus. Itaque auditorem suum secum ipse deducit, seu subducit, facitque eum secum, veluti circumvolitantem simul Icarum Dædalus, alas concutere: nisi quòd hic quidem casus est tutus, & quoquò versus, citra periculi offensam, utrique penitus inno-

innoxius, atque a Solis omnino insidiis immunis. Nonne igitur terrestris illius Mercurii profectio, & virga aurea, quam ille, secundùm Homerum, tenens, terramque & mare alis circumvolitat, ipsa hæc est viaque & ratio periegeseos, atque descriptionis Geographicæ, & is, qui in manu est describentis, stylus, seu penicillus, qui orbis terrarum tabulam delineat? Quibus sanè, pedibus veluti ac manu, deductus quisque discendi studiosus, quàm maximâ potest, alarum celeritate, totâ terrâ sine labore perlustrandâ atque obeundâ, procedit, quatenus nimirum mente hanc percurrit, ductuque orationis, perinde quasi manu per eam ductus, perdiscit. Atque ita quidem hoc loci terrestrem quis Mercurium sibi in animo repræsentaverit. Verùm, cum is, qui Periegetæ munere fungitur, sese ab inferioribus erigens, coelum ipsum per circuitum obit, lineasque ducit, polosque versat, & stellas metitur, ac tantùm non manu superiora attingit, digitoque illa præmonstrat;

itaque e terrâ ſubvolans, coeleſtia ſingillatim enarrat atque exponit; tum verò minimè omnium terreſtris hic eſt Mercurius; ſed, ut loquar cum Poëta, virgam eandem in manibus tenens, volat, robuſtus, Argicida, virgâ aureâ præditus. Ac proinde dixerit quis feſtiviùs atque elegantiùs, vim rationis ejus, quæ eſt in tradendâ periegeſi, multò aptiùs atque accommodatiùs, quàm Homerus dixerit de diſcordiâ, primùm quidem parvam attolli, dum inferiora fermè atque terreſtria penitus circumſpicit; poſtea verò, quàm in terram ingreſſa eſt, caput in coelum infigere, quando is, qui Periegetam, orbiſque terrarum deſcriptorem agit, coelum contemplandum ſuſcipit. Atque ita quidem, veluti in ſummâ atque epitome, Periegeſeos quis præſtantiam celebraverit, præter ea, quæ paullò poſt dicentur. Quæ verò præterea oratione præcipere oportet, hæc ſunt: Mercurii quidem, qui per coelum graditur, perfectum, tanquam in metro, interpretem,

Ara-

Aratum tironibus supereſſe, qui ea, quæ apparent in coelo, pulchrè atque eleganter deſcribat; Mercurii verò ejus, qui veloces circa terram alas expandit, miniſtrum, certè quidem in præſens, eſſe Dionysium, quem intelligentia ipſa Muſarum perducit, ut idem ipſe poſtea magnificè de ſeſe jactitat, facitque ſine errore univerſam terram circumire. Sortitus autem eſt appellationem Periegetæ, *quaſi Deductoris*, a verbo περιηγεῖσθαι, *circumducere*, *circumcirca deducere*, *perducere*, quod quidem notat narrationem, quæ fit minutatim, ducendo veluti per ſingula, ſinguliſque commemorandis atque perſequendis, quo etiam ſenſu Oratorum quidam dicit: περιήγησαί μοι τὰ ἐν ᾅδῃ. *Perſequere mihi res inferorum ſingulas.* Hoc eſt, expone, narrando per partes atque ſingillatim. Alter verò περιήγησιν ὕβρεως, *expoſitionem contumeliæ*, vocat hujuſcemodi explicationem, quæ fit per ſingulas partes. Verùm hoc ipſum, quod eſt περιηγεῖσθαι, *per partes perſequi*, dicitur etiam περιο-

ριοδεύειν, *circumire*, *seu per circuitum persequi*, *perlustrare*. *obire*; ut cum quis dicit περιοδεῦσαι τὴν Πελοπόννησον, *per circuitum persequi*, *atque obire Peloponnesum.* Idem autem est etiam dicere καταγράφεσθαι, *describere*, & μετρεῖσθαι, *metiri.* Sic enim & infra alicubi DIONYSIUS ipse ait, mare sese quoddam καταγράψεσθαι, *descripturum*, atque ἀναμετρήσεσθαι, *remensurum.* Quum autem veteres multum studii atque operæ in verâ Geographiâ posuerint, quam Alexander, ut ferunt, ceterorum aliorum maximè exploravit atque exquisivit, ex virorum peritissimorum descriptione, quam ei descriptionem Xenocles thesaurorum custos atque præfectus dederat; scire oportet, DIONYSIUM id, quod boni eximiique erat, undique corrogasse; quumque ea, quæ alii fusiùs atque copiosiùs conscripserant, ipse in epitomen contraxisset, brevissimam hanc atque accuratissimam Geographiam in conspicuo dilucidoque Enchiridio ad studiosorum quorumque conspectum expo-

posuisse, nihilque eorum prorsus, quæ Geographorum sunt, atque ad eos pertinent, dereliquisse. Nam & historiis Poëma adornat, &, quæ locorum, aut gentium propria sunt, alicubi enarrat, & viam præit, ducente veluti per manum veritate historiæ, quæ certè virtus & præstantia est Geographiæ; & nonnulla etiam alicubi ad Mathematicarum disciplinarum rationem interserit; denique meliorum quarumque rerum Geographiæ nullam penitus prætermittit, cujus non gustum aliquem in suam hanc Poësin injecerit: eo quia, tametsi paucis Poëma hoc versibus exposuerit, tamen strictim & summis veluti digitis universa bona attigerit, atque, instar seminis, bonum omne Geographiæ in id ipsum Poëma immiserit. Talem autem quum ipse semet præstet, tamen Geographi appellationem nequaquam complectitur, non solùm propter Libelli hujus parvitatem; sed etiam quia sunt & alia Geographi munera, quæ ne leviter quidem ipse attingit. Itaque ipse

semet

ſemet ad appellationem magis univerſalem atque generalem ſuſtollit: quæ quidem eſt Periegeſis. Sciendum namque eſt, terræ περίοδον, *circuitum*, & περιήγησιν, *circumſcriptionem*, idem valere, & in unam notionem atque ſignificationem venire. Quare etiam Amaſenſis ille Geographus in his iſtis frequenter vocibus verſatur, qui non Geographiam modò, ſuam ipſius ſcientiam vocandam eſſe cenſeat; ſed neque etiam recuſet, quominus eadem, Περιήγησις, *Circumſcriptio*, & Περίοδος, *Circuitus*, appelletur. Atque ita quidem terræ περίοδος, *circuitus*, *ſeu circuitio*, & περιήγησις, *circumſcriptio*. pro polyonymiæ ratione, quæ eſt in multis ejuſdem ſignificationis verbis, in unam eandemque notionem conveniunt: & ſunt nomina generalia, quæ tum Geographiam, tum Chorographiam, ſeu Topographiam, ambitu ſuo comprehendant. Quarum quidem Geographia, ut veteres aiunt, contemplationi in genere adhæret, ut ſi quis unum aliquod totum corpus depinxerit.

Et

Et eſt Geographia, ſecundùm illos, picturæ imitatio, qua tota, quæ comperta eſt, pars terræ per lineamenta deſcribitur unà cum iis, quæ ſunt cum eâ in univerſum ferè connexa atque conjuncta. Proprium autem ejus eſſe aiunt, terram hanc, quæ cognita eſt atque explorata, unam & continentem oſtendere, ut ſeſe habet naturâ & poſitione; quoad ea duntaxat, quæ in totis atque generalibus circumſcriptionibus cum terrâ ipsâ cohærent. Et talis quidem Geographia: quum ejus munus atque officium ſit, integrè penituſque occupari in conſiderandâ universâ terrâ, quatenus totum quiddam eſt, non ſecundùm minutam atque particularem ſingulorum locorum deſcriptionem atque recenſionem. At verò Chorographia, eſt quidem & ipſa, ut Geographia, periegeſis, ſeu deſcriptio, & circuitio terræ, niſi quòd non totius terræ, ſed partis cujuſdam ipſius, atque, ut ita dicam, χώρας, aut χωρῶν, *loci*, *atque regionis*, *ſeu regionum*, aut locorum quorundam.

Quare

Quare neque Geographia vocatur, descriptio nimirum universæ terræ; sed Chorographia, hoc est, descriptio loci alicujus. Aiunt autem veteres de Chorographiâ, Chorographiæ finem versari atque hærere in eo, ut sese ad partem studiosè applicet, hoc est, in particularia quæque incumbat, eaque persequatur, contra quam facit Geographia. Hæc enim toti terræ totius veluti corporis rationem atque integritatem adjungit. Chorographia verò partem unam aliquam terræ capessit, perinde ac siquis, præciso ex toto corpore aliquo membro, auriculâ duntaxat, seu oculo, ipsum delineet ac depingat. Sic enim Geographia totum terræ corpus exponit, quæ minimè omnium in minimis versatur; Chorographia verò, quæ in minutis tenuibusque corporibus occupatur, simul etiam brevissima quæque maximèque exigua describit; exempli causâ, portus, pagos universos, populos, fontes, omnes urbes, omnia flumina, viarum divortia atque diverticula,

aliaque

aliaque multa hujus generis, non quòd non talia persequatur, atque in iis immoretur ars Geographica; sed quia rarò, neque planè necessariò: quippe quum hunc sibi finem propositum habeat, ut, ubi totam terram circumscribit, in suis hisce descriptionibus generatim loquatur. Verùm enim verò Chorographia, nisi brevissima quæque atque minima persequatur, ne Chorographia quidem dici poterit. Itaque quum Geographia & Chorographia has inter sese differentias habeant, nihil quidem habet DIONYSIUS cum Chorographo commune; sed ad Geographum proximè accedit, quippe qui universam terram integrè perfectèque circumscribat, & per circumscriptionem quandam totius, strictim atque percurrendo circumeat; quumque Geographus sit, pene dixerim, compendiarius, non locum aut loca *Periegesi* suâ enarrare constituat; sed Geographiam professus, hoc ipsum Poëmatium, quod in manibus habet, breviter exponat, quemadmodum ipse

C jam

jam inde ab exordio præluserat, cum Poëseos hujus suæ perbrevis atque in conspectu positæ argumentum magnum, uno ut verbo dicam, proscripsit, sese terram latèque patens mare Versibus dicturum; & sic terram simul & mare uno pugillo complexus fuit, hoc ipsum utique, quod in fabulis monstrosè confictum est de Typhone. Est autem hic iste DIONYSIUS, veterum judicio, scitus atque elegans in figmentis, quippe qui, veluti pictor quidam præstantissimus, flores consectetur, & pro commensu aptâque partium compositione, quam propriam esse aiunt picturæ, nomina bene composita, ac pro coloribus verborum flores, seligat. Quin & creber est atque frequens in expletione sententiarum repetitioneque verborum, atque in his istis figuris, propter perspicuitatem, frequenter resplendet. Ad hæc, ut videbitur, acribus sæpe vocibus utitur, atque adeo explicationibus etymologicis. Est etiam, ubi ex animi prorsus sententiâ loquatur, quod utique diffi-

difficile eſt facere in *Periegeſi*. Alicubi quoque regia ingeniosè encomia interſerit. Tum Gnomologiâ, quæ ſapientiæ pars eſt, in ſententiis loquendis rarò ille quidem, eo quia *Periegeſeos* ita neceſſitas requirit, ſed tamen uſus eſſe, deprehenditur: qui & ad metrum canit, & dialectos variat, & fabulâ non illibenter, quantum ſatis eſt, utitur, & figmentorum probabilitatem adhibet, &, cum per occaſionem licet, eſt in deſcriptionibus atque enarrationibus profuſior, & hiſtorias adnectit, & per omnia prorſus rerum laudandarum genera procedit; itaque, ut ſupra ſcriptum eſt, Geographorum more, hominem manu ad veritatem ducit. Præterea verò, pro Mathematicarum diſciplinarum ratione, philoſophatur, ubi de Oceano illo Cronio, ſeu Saturniô, diſceptat, & de inſulâ illâ decantatâ Thule, & de climate illo ſub Cancro. Quin & naturam alicubi proſpectat, ut cum cauſſam reddit, cur Troglodytarum terra vario ſit ac multiplici colore. Jam verò etiam

ſub finem ipſum hujus Libelli, ad Theologiam adſcendit, cum terrenarum rerum differentias contemplatur. Et Muſas quidem invocat, ut in conſuetudinè eſt Poëtis; ſed tamen opus pertractat, ut Philoſophus. Ac etiam fortaſſe, ad elegantiorem quandam magiſque decoram ſpeciem novitatis, non eas primas Homericè interpellat, neque, ſtatim atque carminis carceres perrumpit, ad eas accurrit; ſed, cum *Periegeſeos* ſummam attingit, tum demum eas ipſas alloquitur. Præterea etiam laudandus eſt ab ordine facili atque diſtincto, qui in ipſo operis initio cernitur. Finem namque & propoſitum hujus operis, jam inde ab ipſo initio, paucis verſibus; deinde verò non multò poſt, *Periegeſeos* utilitatem atque fructum exponit, cum eum fructum eſſe ait ſcientiam atque doctrinam auditoris, & quam quis doctrinam atque eruditionem accepit, ab eo rurſus aliis traditam, qui minimè accepiſſent, & honoris amplitudinem, qui inde provenit docenti. Quanquam ad

ad plura etiam alia, eaque maximè necessaria, utiles esse periegeses, Veteres declarant: qui tum vitæ utilem periegesin esse aiunt, tum hominis, qui hujus peritus ac sciens fuerit, intelligentiam augere, tum imperatoribus maximè atque regibus expedire. Atque alia etiam afferunt hujuscemodi. Narrant præterea, propter hujus utilitatem, Herculem & Liberum patrem in longa sese itinera dedisse, quòd climatum cognoscendorum studio ducerentur; ideoque etiam Alexandrum Eoum, seu Orientalem Oceanum ambitiosiùs visere atque inspicere voluisse. Dicitur quoque Sesostris ille Ægyptius, quum magnam terrarum partem obiisset atque perlustrasset, circuitionem illam suam tabulis consignasse, eamque tabularum descriptionem dignam censuisse, quam non Ægyptiis modò, sed etiam Scythis, ad admirationem impertiretur. Ferunt item, PLATONEM, hujus rei studio, non in Siciliam modò, sed etiam in Ægyptum, peregrinatum fuisse. Et Ulysses

ſes ille Homericus non minùs, quàm cæteris ſuis ornamentis atque laudibus, inde commendatur, quòd multorum hominum urbes viderit, & ingenium cognoverit. Itaque ex multis veteres colligunt atque concludunt, dignam eſſe periegeſin philoſophis atque regibus. Atque hæc quidem commoda, hi fructus, hæ utilitates *Periegeſeos*.

DE GENERE DIONYSII,

Et de hoc iſto ejus

POEMATE.

DIONYSIUS genere Afer fuiſſe traditur, alioſque etiam libros dicitur conſcripſiſſe, tum *Lithiaca*, ſeu de Lapidibus; tum *Ornithiaca*, ſeu de Avibus; tum *Baſſarica*, ſeu Dionyſiaca. De quibus quidem *Lithiaca*, propter ſtyli ſimilitudinem, ipſa quoque, fœtus genuinus DIONYSII ſunt judicata;

BAſ-

Bassarica verò, quum, propter elocutionis asperitatem, minimè digna hoc DIONYSIO censerentur, ad DIONYSIUM Samium auctorem sunt relata; *Ornithiaca* denique, ad alium quendam DIONYSIUM Philadelphensem, quem, propter improprium loquendi genus, *Hypocenum*, seu subinanem, cognominarunt. At verò hoc istud Poëma, historicum veteres vocant, quippe quod constet ex descriptione locorum, ex narratione rerum, ex commemoratione temporum, ex recensione denique genealogiarum, quas partes esse aiunt historiæ. Et quidem ex descriptione locorum, eo quia huc unicè hic liber, tanquam ad finem, refertur, ut terræ loca per circuitum, veluti perducendo, commonstret: ex narratione rerum, ubi tum alia quædam enarrat, tum mores atque consuetudines gentium exponit: ex commemoratione temporum, ut cum temporis meminit, quo ipse vixit, non sub Consulibus nimirum,

ſed ſub Imperatoribus: ex recenſione denique genealogiarum, ut cum Sauromatas ait originem ab Amazonibus ducere, atque a ſervis Locros Epizephyrios. Iidemque etiam veteres Libri hujus procemium, ſeu exordium, commendant, eo quòd virtutes procœmii proprias contineat. Dicunt enim, procœmiorum virtutes eſſe, propoſitionem, attentionem, benevolentiæ conciliationem. De quibus, propoſitio, atque argumenti ſumma, finem hunc ſibi præſtitutum habet, ut ſequentis tractationis ſcopum exponat; attentio verò auditorem convertit, totumque in ipſo opere eſſe facit; benevolentia denique animorumque conciliatio auditores movet, ut æquos ſeſe præbeant atque ignoſcant dicenti. Itaque DIONYSIUS, cum Libri hujus finem atque inſtitutum in Procemio, ut aiunt, proponit, ſeſe nimirum verſibus & terram & latè patentia maris æquora dicturum, tum attentionem ſibi conciliat, excitato tanquam ad magnum hoc promiſſum animo

mo auditoris, tum verò etiam hoc modo totius libri caput ac summam paucis exponit. Ubi verò hominum nationes discretu perquam difficiles vocat, ibi sanè benevolentiam excitat atque contrahit, quasi nimirum veniam impetraturus, sicubi in gentium tam multarum, quæque præ multitudine vix discernantur, commemoratione labori impar videatur. Multum quoque hoc istud Poëma, quemadmodum supra dictum est, habet perspicuitatis, & maximè distinctionis atque ordinis, non a repetitionibus modò, sicuti diximus, crebrisque sententiarum explendarum clausulis; sed etiam a frequentibus, iisque præviis expositionibus: quandoquidem sæpe DIONYSIUS, distinctionis atque ordinis caussâ, dicendi etiam modos exponit, cum tali sese modo expeditam doctrinam deprompturum esse prædicit. Ad hæc sæpe auditorem ad animum attendendum invitat, ut ne is nimirum resupinus hunc ipsum Poëtam inordinatè atque confusè *Periegesin* suam per-



EUSTATHII,

ARCHIEPISCOPI THESSALONICENSIS;

COMMENTARIUS

IN

DIONYSIUM PERIEGETAM.

ALEXANDRO POLITO

Interprete.

Incipiunt Excerpta ex argumento proposito, & reliqua Corollaria.

I. PERIEGETÆ hic sanè Exordium ex Ode Pindaricâ desumptum est. Sicuti enim PINDARUS in Corinthii cujusdam laudibus celebrandis, qui certaminis victor evaserat, ita exorditur:

tur: *Olympiorum victricem si domum collaudem, agnoscam beatam Corinthum.* Qua nimirum urbe domus illa, tanquam ejus pars, continetur atque includitur; sic etiam DIONYSIUS, ad illius exemplum, hoc loci ait: *Exorsus terramque & spatiosum mare canere, & flumina, & urbes, & hominum nationes. Oceanum profunde fluentem memorabo.* Qui nimirum Oceanus terram, quæque terræ ambitu continentur, circumplectitur atque comprehendit, & in quo terra est universa. Similiter igitur ambo hæc exordia composita sunt atque figurata. At enim universam terram esse in Oceano, paullò post aliter explicat in illo versu:

Oceani nunquam lassi vis undique fertur.

&,

Oceanus terram circumfluit omnem.

Idque sanè concordat cum Homerico illo, ἀψοῤῥόου ὠκεανοῦ, *refluì Oceani.* Omnino enim planèque refluus Oceanus, qui

qui in semetipsum ruit, nimirum redit atque in circuli figuram circumagitur; itaque in se ipso terram intus includit, quemadmodum etiam dicit ORPHEUS in *Hymno de Jove & Junone*, in his versibus :

> *Oceanum indomitum circùm refluentibus undis,*
> *Undique quo magnus terrarum cingitur orbis.*

Quippe quum Oceanus terram complectatur, sicuti etiam opinatur ERATOSTHENES, cujus in multis imitator hic est, qui *Poëmatium* hoc *De Situ Orbis* conscripsit. Quare etiam terram coronatam esse ait, circulo nimirum, hoc est, Oceano, insulæ instar, comprehensam atque inclusam. Quoniam verò hoc ipsum, quod dicit, terram esse coronatam, tacitè quodammodo indicat, circuli exacto accuratoque circumactu, & perfectâ æqualis undique distantiæ circumferentiâ, terram ab Oceano contineri (quod quidem minimè verum est,

ut

ut videtur etiam HERODOTO, ubi is affirmat, sese minimè eos recipere, qui terram dictitant, tanquam ex torno, orbiculatam esse atque rotundam) ad correctionem sui, subjicit illud: *Non tamen tota διαπρὸ, penitus*, nimirum per totum, seu in totum, circularis ac rotunda, sed nimirum, ut explicabitur, fundæ instar, oblonga. Tali namque est figurâ terra habitabilis, ut videtur etiam POSIDONIO. Quapropter in conos duos terra hæc habitabilis dividitur, ut postea ait DIONYSIUS, quorum unus ille est, qui Asiam efficit; alter, qui ex Europâ atque Africâ perficitur. Fundæ autem hujuscemodi, quam terra nobis habitabilis repræsentat, quæ in acutum quidem desinunt, sunt ea ad Orientem, & Occidentem, quas quidem certè Solis vias appellat; quæ verò latiora sunt, sita ea sunt ad Septentriones atque ad austrum: ita ut, conorum duûm basibus simul positis, ea, quæ acutiora in verticibus sunt, ad Orientem, & Occidentem jaceant; quæ verò

verò in basibus latiora, ea sanè ad Austrum, & Septentriones.

II. Verùm, quum terram hanc immensam, atque interminatam, insulam vocet, oppidò quàm abjectè, & minùs decorè; vide, ut appellationis hujus humilitatem, adjecto splendido ac nobili epitheto, aliâ ratione erigit, remque ipsam altiùs extollit, quippe qui non simpliciter insulam eam vocet, sed ἀπείριτον appellat, quod quidem idem est atque *ἀπείρονα*, *finis ac termini expertem*; itaque eam ab aliis insulis distinguat, quæ certè, eo quia non immensæ sunt, neque interminatæ, dicuntur εὐδείελοι, hoc est, εὔδηλοι, *claræ atque conspicuæ*, beneque undique definitæ. Dicit enim, in illo totam terram, ceu insulam immensam, esse coronatam. Etsi verò terra habitabilis latior est ad austrum, & Septentriones, quemadmodum dictum est; tamen scire oportet id, quod de veteribus tabularum descriptoribus proditum est, descriptionem eos ac delineationem Europæ latiùs ad

Septentriones protendisse, multas ut illas gentes, quæ in eâ continentur, distinctè possent inscribere ; Africam verò, quippe inclusarum in eâ gentium magnitudine longe exsuperantem, propterea quòd multum ibi regionum inhabitabile est atque incultum, coarctasse, ut nequis in tabulâ locus vacuus, ut aiunt, inesset. Terram porro habitabilem assimilat σφενδόνῃ, *fundæ*, sive genus id sit fundæ, quo lapides funduntur, sive funda sit ipsa, ac pala annuli. Quòd siquis minimè omnium vult hoc admittere, atque approbare, spoliet is etiam hoc nomine τὴν σφενδόνην, *fundam*, annuli. Videtur enim & ipsa talis olim antiquitus jam inde ab initio fuisse, ut ea in utramque partem latiùs pateret ; ab alterâ verò utraque parte, ad exemplum fundæ cognominis, qua lapides jaciuntur, in angustum cogeretur. Veteres autem notant, in mundo etiam muliebri σφενδόνην, *fundam*, vocari ornamentum quoddam simile fundæ, qua longè lapides funduntur, quippe quum

quum & ipſum latum ſit in medio atque ad frontem cadat; extremitatibus verò tenuioribus atque ſtrictioribus, retro ſit alligatum. Sed & eſſe aiunt apud Comicos fundam retro inverſam, quæ ὀπισθοσφενδόνη appellata, contra quam eſt hæc iſta *σφενδόνη*, *funda*, quòd illa, riſus movendi cauſſâ, circumpoſita ſit capiti, &, quæ latiora ſunt, retro atque ab occipite habeat; quæ verò ſtrictiora, atque ipſum ligamen, circa frontem.

III. Univerſam terram, tametſi unica ea ſit naturâ atque continens, tamen homines in continentes tres diviſerunt. Hoc verò per paraphraſin ductum eſt ex HERODOTO, ubi is narrat, terræ, tametſi una ea ſit, tamen tria de mulierum nominibus nomina impoſita fuiſſe. Tum DIONYSIUS de induſtriâ atque ſtudioſiùs tria hæc talia terræ ſegmenta uno ſoloque verſu comprehendit; his verbis:

Et primùm Libyam, deinde Europen, Aſiamque.

D Scien-

Sciendum autem eſt, eum & nunc & poſtea Libyam, ſeu Africam, longè ceteris præferre, non neceſſitate quadam Geographicæ deſcriptionis; ſed quia, tanquam Afer, patriam ſuam amat, itaque gentem ſuam reliquis omnibus gentibus anteponit. At verò Geographus ille Amaſenſis, quippe qui non ita erga patriam ſuam afficiatur, deſcriptionem orbis terrarum aliter pertractat, initioque ducto ab Europâ, in Africam tandem deſinit. Fines Africæ, Occidentalis quidem, Gades, de quibus infra ſuo in loco; Orientalis verò, oſtium Nili Canobicum, de quo pauca hæc admodum nobis dicenda: Demortuo Phrontide, Onetoris filio, qui Phrontis præſtantiſſimus Menelai gubernator erat, Menelai claſſem, aquilone vento actam, ad Rhodum appulſam fuiſſe, gubernatore ſubrogato Canobo Amyclæo. Rhodii autem quum in Helenam incurſionem feciſſent (venerat enim iis mentem malorum, quæ propter eam apud Troiam perpeſſi fuiſſent) fugiſſe & Rho-

do

do Menelaum, atque in Phoenicem navigasse, inde in Ægyptum pervenisse: ibi, navibus refectis, quæ navigationis difficultate jam jam fatiscebant, aliquantulum temporis commoratum fuisse: interea loci demortuum esse Canobum: quo honorificè sepulto, Menelaum in demortui memoriam urbem condidisse, totiusque classis turbam maximè inutilem ibi ad habitandum reliquisse, urbemque ipsam de gubernatoris nomine Canobum nuncupasse. Ubi etiam Helenium est insula, ab Helenâ denominata. Aiunt autem, urbem hanc Canobum, pedestri quidem itinere, ab Alexandriâ urbe distare stadia centum & viginti; atque a gubernatore illo Canobo stellam, quæ ibi ferè appareat, Canobum esse denominatam, minimè omnium iis conspicuam, qui in climate Græciæ habitant; sed quæ à Rhodo apparere incipiat: quæ quidem stella, cum coelum medium tenet, tertiâ signi unius parte distare dicitur ab orizonte. Verum Ethnicorum Nominum scriptor

D 2 ait,

ait, Canopum quidem urbem ſcribi per ϖ' oportuiſſe; ſed tamen id ſcriptum per β'. Ab hoc igitur Canobo, gubernatore Menelai, vel certè a Canobo urbe, cognominatum eſt, ut videtur, oſtium Nili Canobicum, ubi Dionysio teſte, borealis maximè eſt receſſus Ægypti: quippe quum partes Ægypti Septentrionales ad partem illam maris terminentur. Hoc autem Canobicum oſtium Nili quidam etiam vocatum aiunt Herculeum: qui iidem narrant, Herculem, quum, ex Euryſthei regis mandato, mala aurea ferret, totamque Africam vellet inviſere, ad oſtia Nili veniſſe; indeque ab eo unum certè de illis oſtiis, Canobicum nimirum, Herculeum vocari: eundemque etiam Ægyptios ab omni vi in libertatem aſſeruiſſe, quumque ad Ammonis penetraſſet, rem ibi ſacram magnificè feciſſe. Atque ita quidem nonnulli. Verùm Geographus diſſentit, cum oſtium quidem Herculeum habere memorat templum Herculis; at verò Canobicum, initium eſſe

ait

ait partis ejus Ægypti , quæ Delta eſt nominata. Atque ille etiam oſtendit , Canobitas genio atque deliciis indulgere , quo quidem loci Canobiſmum dicit , &c , quæ ibi eſt , procacitatem atque petulantiam. Eſt etiam , ut a quibuſdam proditum eſt , inſula Canobus. At verò de gubernatore illo Canobo hæc iſta etiam feruntur : reclinantem ſeſe in littore ad capiendum ſomnum Canobum , in hæmorrhoidem incidiſſe. Serpentis genus , hæmorrhois , cui nequaquam in rectum oſſea ſpina protenta eſt , qua corpus continetur. Hanc igitur hæmorrhoidem narrant , Canobi recubitu attritam , illum in cervice momordiſſe. Quum verò poſthac evadere homo non poſſet , jamque ex morſu illo moreretur , Helenam valde commiſeratam , compreſſo ſerpente illo hæmorrhoide , ſpinam ejus , tunc adhuc rectam , perfregiſſe , ſpinæque vertebras ejeciſſe , itàque ſerpentem ultam fuiſſe ; indeque ab eo tempore hæmorrhoides dorſi ſpinas fractas habere. Atque ita

quidem fabula, ratione redditâ, explicat, quod ipsa fert natura hæmorrhoidis. Verùm id sermonis facilè aliquando ad hominem notandum atque irridendum accommodabitur, siquis, viperinâ vir malitiâ atque malignitate, spinâ etiam dorsi malè pravèque afficiatur. Canopum urbem dicit per periphrasin, ubi ita loquitur: τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου. *Fanum percelebre Canopi Amyclai.* Hoc est, urbs ipsa Canopus. Sic etiam infra, quum uno simplicique verbo dicere velit, ὠκεανὸς, *oceanus*, dicit per periphrasin; ἀκαμάτου ῥόος ὠκεανοῖο, *indefessi fluxus oceani*; ipse nimirum Oceanus. Fanum autem Canopi, quasi templum, aut locus Canopo, proprio quodam jure, dedicatus.

IV. Europæ & Asiæ terminus quidem australis, Hellespontus; maximè verò australis, Nilus. Verùm ad Septentriones Europam ab Asiâ disterminat Tanais, qui per Sauromatarum Scytharumque regionem pervolutus, in Mæotin paludem delabitur. Sciendum autem est,

eſt, non quæcunque generatim Tanaidi ſunt ad Septentriones, ea Europæ attribui; ſed tantùm quæcunque ad occaſum ab eo ſeparantur: at verò quæcunque Tanaidi ſunt ad orientem, ea quidem Aſiæ accenſeri. Ergo, ut infra ait, Tanais ſecernit:

Solis in occaſum Europam, terram Aſida in ortum.

Tamen non ait, Tanain ſecernere Europam ad Septentriones, Aſiam verò ad meridiem. Unde & ipſos Mæotas, & Sauromatas Aſianos eſſe commemorat, eo quia non eos diſterminat Tanais ad occidentem. Præterea verò hoc loci ait, Tanain in Scythiam delabi, regionem planè borealem. Alibi quoque dicit: Σκυθικοῖς ἐπιτρέχει πεδίοις, *Scythicos incurſat campos.* Atqui Scythæ, DIONYSII quidem ſententiâ, ſunt Aſiatici. Non igitur generatim, quæ Tanaidi ad Septentriones ſunt, ea ſunt omnia Europæa; ſed quæcunque in occaſum ab eo finiuntur atque terminantur. Sciendum

autem eſt, hunc ipſum fluvium, quem ideo Græci ſuâ linguâ Tanain vocant, quia τεταμένως, *porrectis longè extentisque aquis*, fluit, apud accolentes quidem Barbaros, ut nonnulli aiunt, Silin nominatum fuiſſe. Conſtat porro, alia quoque eſſe apud Barbaros flumina, quæ tamen appellatione ad Græci ſermonis conſuetudinem aptentur. Talis namque Nilus & Thermodon, & Araxes, & fluvii plerique alii. Quin & Eridanus, non Barbarum nomen eſt, ex Herodoti ſententiâ, ſed Græcum, a Poëtâ quodam, ut ait, factum. Tanaidis verò etſi alii ignotos eſſe fontes velint; tamen Herodotus ex palude eum magnâ in paludem adhuc majorem, Mæotin nimirum, influere affirmat: ubi etiam ſcribit; Mæotin non multò minorem eſſe Ponto, quæ Ponti etiam mater, ut ait, vocitetur. Sed & illud ſcire oportet, ARRIANUM alium quoque Tanain Scythiæ fluvium commemorare, quem Alexander periculosè tranſmiſit.

Illud

Illud de Tanaide: *Σύρεται εἰς Σκυθίαν, καὶ εἰς Μαιώτιδα λίμνην, Trahitur in Scythiam, atque in Mæotin paludem*; itemque illud: *Συρόμενος Λιβύηθεν. Tractus e Libyâ*; aliaque hujus generis, dicta sunt, tanquam de serpentibus, per metaphoram, quippe quòd flumina, serpentum quodammodo instar, volvantur. Tale quoque illud: *Πόντος ὁλκὸν ἑλίσσων, Pontus tractum volvens.* Propriè enim *ὁλκὸς, tractus*, corpus serpentis.

V. Et DIONYSIUS quidem tres illas continentes, Africam, Europam, atque Asiam, maximas partes orbis terrarum, aquis inter sese *νοσφίζει, secernit*, hoc est, separat atque dividit; earumque partium terminos, propterea quòd sunt illi quidem notabiliores atque distinctiores, ex aquis intercipientibus notos ac manifestos facit. Verùm alii, quibus ne ipse quidem adstipulatur, eo quia non satis ii exactè, neque distinctè terminos illos designaverint, tres istas continentes maximas minoribus aliis continentibus inter sese separant atque discri-

minant: quippe qui Asiæ atque Europæ terminum esse dicant maximum & latissimum isthmum, qui est inter Caspium, & Euxinum: quo in isthmo, cum plerisque aliis locis, est etiam percelebratus ille Caucasus Promethei, & Orientalis Iberorum regio, sita inter Colchos & Albaniam. Ac ii rursus alium isthmum magnum, qui est inter Arabicum sinum & Ægyptum, terminum esse aiunt Africæ atque Asiæ. Isthmus autem quum ex consuetudine atque ex communiori usu vocetur angustus inter maria duo locus, vide, ut hanc ipse vocem per catachresin adhibuerit, qui continentes adeò latas, tamque amplè patentes atque extentas, hoc quidem loci isthmos vocare ausus fuerit, ut palam facit illud: Ἰσθμὸς τέταταί τις, *Isthmus quidam protentus est:* & illud: μακρὸς καὶ ἀθέσφατος ἐς νότον ἕρπει, *Longus & immensus in meridiem repit.* Quin & infra latum isthmum continentis, cum dicit, qui est inter Pontum Euxinum, & sinum Issicum: intra

intra quem innumeræ, inquit, gentes protenduntur. Hîc tamen audaciæ huic medetur; illisque verbis, τέταται, *extentus est*, &, μακρὸς καὶ ἀθέσφατος, *longus atque immensus*, & πλατὺς, *latus*, videtur palam confiteri, sese quidem bene novisse, quis propriè isthmus vocitetur; Sed tamen generaliùs vocem sese hanc usurpare de omni simpliciter continente, quam mare utrinque mediam intercepit, atque interclusit.

VI. Ἀκάμαντον, *infatigabile atque indefessum*, robur vocat Oceani, eo quia elementum illud nunquam deficit. Et sic etiam ignis dicitur ἀκάματος, *infatigabilis*, qui semper agit, & nunquam extinguitur. Quemadmodum terra, tametsi una sit, tamen in tres continentes dividitur; sic etiam Oceanus, quum unus sit, tamen a multis est ille cognomentis instructus. Terram enim quum in orbem circumplectatur, pro quatuor mundi cardinibus, quadrifariam & ipse penitus dividitur. Et Oceanus quidem ad zephyrum, Atlas dicitur Hesperius, mare

mare nimirum Hesperium, atque Atlanticum; qui verò est ad boream, mare dicitur congelatum, seu glaciale, & Cronium, seu Saturnium, & Mortuum, ut paullò post explicabitur. Qui ad orientem Oceanus, Eous is vocatur, atque Indicus. Oceanus denique ad austrum, is quidem & Erythræus nominatur, & Æthiopicus. Observandum autem est, ubi partem quandam Oceani dicit πόντον Κρόνιον, *pontum Cronium*, & rursus, Ἰνδικὸν κῦμα θαλάσσης, *Indicum fluctum maris*, itemque ubi ait, οἵ εἰσιν ἀπὸ νοτίας ἁλός, *qui sunt a mari australi*. &, σκιδνάμενος ἐκ Κρονίας ἁλός, *sparsus atque effusus a mari Cronio*; cum sanè Oceanum nequaquam flumen intelligere, ut plerique vulgò Poëtarum sunt opinati. Verba namque illa, πόντος, *pontus*, & κῦμα θαλάσσης, *fluctus maris*, & ἅλς, *mare*, nihil penitus ad flumina pertinent. Sentit igitur DIONYSIUS cum doctis & sapientibus viris, qui Oceanum, externum mare appellant. Quo loci apud DIONYSIUM zephyrus vocatur

Locrus,

Locrus, & rursus Locri Epizephyrii, eo quidem loci appellationum fit permutatio, quippe quum gentile nomen ad Zephyrum ventum transeat, ac rursus nomen Zephyri impositum sit genti Locrorum. Vocatur namque Zephyrus propter Locros Locrus, hoc est, Locricus: quemadmodum etiam infra Boreas Ismaricus ab Ismaro, urbe Thracicâ, ubi maximè Boreas vim suam erumpendo exerit, & bacchatur. Ac rursus Locri dicuntur Epizephyrii, tanquam siti ad ventum Zephyrum, qui per eos spirat. Quanquam & aliâ quidam ratione hos istos Locros vocatos velint Epizephyrios, ut suo opportunè loco explicabitur. Gens Scythica, Arimaspi. Atque hos quidem DIONYSIUS vocat ἀρειμανέας, seu ἀρειμανίους, *Marte furibundos, seu bellandi studio insanos, pugnaces, bellicosos.* Verùm ÆSCHYLUS μονῶπα στρατὸν, *unoculum exercitum*, nominat, propterea quòd, quum sint ii sagittarii peritissimi, ad sagittam benè certòque collineandam, oculorum

rum alterum occludunt. Ac fortasse, propter magnam eorum inter sese jam inde a pueris hac in re exercitationem, quemadmodum a veteribus proditum est, breviorem in orbem alter iis oculorum est contractus. Præterea verò, quia, ut fieri solet, tales procreantur ex parentibus, qui & ipsi tales extiterunt. Quod quum perpetuò fiat, ista hæc affectio in gentis proprietatem recidit. Non enim certè alioquin, ut aiunt, natura tam portentosum hominum genus protulisset. Atque adeò ipsa hæc gens Arimaspi, ut videtur etiam Herodoto, ex hac istâ re vocantur, quasi nimirum, ut ita dicam, unoculi. *Ari* enim, linguâ Scythicâ, unum est; *maspos* verò, oculus. Supra hos Arimaspos narrat HERODOTUS gryphas, auri custodes, incolere; at verò Hyperboreos adhuc supra ipsos ad mare. Qui etiam Herodotus ait, ut Hyperborei sunt quidam; sic esse Hypernotios quosdam, seu superaustrales; & decantatum illum Abarin, Hyperboreum fuisse,

fuisse, qui nihil fertur omnino comedisse, & sagittam per totum terrarum orbem circumtulisse. Oceanus, qui ad Arimaspos pertinet, tum congelatus, seu glacialis vocatur, tum Cronius, seu Saturnius, tum etiam Mortuus. Atque hujus quidem appellationis in caussâ est, ut ait, debilitas atque imbecillitas Solis, qui attenuare minime omnium possit atque dissolvere, & in aërem vertere sublatos sursum vapores. Tardiùs enim, inquit, Sol supra mare hoc lucet, & opacis semper nebulis crassescit propter coactarum nubium densitatem. Frigidus igitur prorsus hic locus; ideoque appellationes habet magno illi frigori cognatas atque convenientes. Cronius autem, seu Saturnius vocatur, eo quia stella Saturni in illa dicitur loca dominari: quæ quidem stella vim habere ponitur refrigerandi, quippe quæ a Mathematicis frigida esse existimetur. Quare ei etiam frigus attribuitur. Veruntamen fabula pudenda Saturni excisa projici illuc facit. Certe quidem apud

pud APOLLONIUM Poëtam intimus etiam recessus sinus Ionii dictus invenitur mare Cronium: qui ab insulâ quadam Croniâ (hoc enim nomen insulæ) id appellationis sortitus fuerit. Sicuti etiam ab Icaro quodam insulâ, ut nonnulli opinantur, dictum est mare Icarium. Et sanè hæc ista loca, quæ sita sunt ad Oceanum, permagno obnoxia esse frigori, claro argumento sunt Riphæi etiam montes, qui siti sunt supra Arimaspos: quibus ex montibus frigidus boreas spirat, ubi nunquam nix deficit.

VII. Orientem sic effert per periphrasin: *ubi primum sol mortalibus oritur atque apparet*, ubi nimirum est Oriens, ubi etiam dicit esse Oceanum Eoum, quem vocant, atque Indicum. Et Eoum quidem, propterea quòd, exoriente inde Sole, fit dies; vel, ut unum dicam pro altero, Eoum, idest, Orientalem. Ἠὼς enim, seu aurora, ipse etiam sæpe Oriens. Indicum verò, propter avolentes Indos. Sciendum namque

namque eſt, pleroſque Sinus viſum iri a gentibus, vel urbibus, atque omnino ab accolis, cognominatos, ut Sinus Hyrcanius, ut Iſſicus, ut Æthiopicus, & plerique alii. Erythræum mare atque Æthiopicum, aliud eſt a Sinu Arabico, qui Sinus derivatio eſt maris auſtralis, ſicuti etiam Sinus Perſicus, ut paullò poſt dicetur. Atque id quidem ſecundùm Dionysium. Verùm alii, Arabicum Sinum & Erythræum unum & eundem rati, memorant, Erythræum Sinum, fluminis inſtar, anguſtum eſſe, longèque protentum, ad ſtadia ſanè permulta, uſque ad oſtium, idque etiam undequaque peranguſtum. Vocatur autem Erythræus, ſeu Ruber, vel a terrâ rubrâ, quæ in fundo eſt, rubricæ inſtar, vel ab imminentibus montibus, tali præditis colore, in quos, ſtatim atque exoritur, Sol incurrens, viſu refracto, ſummum mare rubrum repræſentat. Tradit igitur is, qui Uranius nomine vocatur, apud Ethnicorum Scriptorem, adjacentes montes valde

rubros esse atque purpureos, &, cum eos Sol irradiat, inde a luce umbram in mare rubrum immitti, prolutisque montibus imbre confluentium in mare aquarum, consimilem, ut ait, colorem mare ipsum suscipere. Quidam tamen Rubrum dixerunt, eo quòd ille coeli tractus, ignis instar, Sole maxime rubescit. Quare etiam, inquiunt, dicti incolæ Æthiopes, quasi usti τὴν ὄψιν, *facie*, seu faciem habentes tostam atque exustam. Verùm Geographus, quæ a multis dicta sunt, paucis ipse complexus, hæc scribit de mari Rubro: Rubrum mare, seu Erythræum, dicitur a colore per refractionem repræsentato, sive a Sole supra verticem posito, sive a montibus rubescentibus ex ustione. Alii tamen appellationem arcessunt a fonte quodam, qui aquam in mare rubram rubricatæque similem emittat. Alii verò ab Erythrâ quodam, qui, propter armentum equorum a leæna in furorem actum, primus rate in quandam ibi insulam transmiserit, ibique habitaverit,

verit, illisque locis imperaverit. Quin etiam nonnulli hunc istum Erythram Persei filium fuisse dixerunt. DIONYSIUS tamen postea satis indicat, locum illum ab Erythræo quodam rege vocatum fuisse, cujus etiam sepulcrum ibidem esse affirmat. Rubricæ autem colorem, rubrum esse, ut scriptum est supra, sensui ipsi patet. Unde etiam Poëta, quum intinctas navibus facies attribuat, vocat eas *μιλτοπαρήους*, *genis rubricatis præditas*, seu *genas rubricâ illitas habentes*. Multus extentus est ad austrum terræ inhabitabilis atque incultæ *αὐλῶν*, *tractus*, seu *ἀγκὼν*, *cubitus aut flexus*, solibus fervidis ustus; qui quidem tractus Zona torrida vocatur; deserta illa quidem, atque ab habitatoribus vacua, propter nimium illic æstum caloris. Sciendum autem est, sic etiam ad Oceanum Septentrionalem intelligendum esse, locum similiter esse inhabitabilem; propter frigoris magnitudinem. · Quare etiam terra hæc habitabilis, fundæ instar, ut dictum est;

producta est in figuram oblongam, neque ea exactè in sphæram est conglobata, quippe exemptis iis partibus, quæ sunt utrinque inhabitabiles. Et quidem ad Septentriones magnam partem regionis Nomadum, propter frigus, ut diximus, esse inhabitabilem, ostendetur infra. Sciendum quoque est, extremas habitati orbis partes, quæ adjacent regioni propter caloris æstum, aut propter vim frigoris, intemperatæ atque inhabitabili, doctis ac sapientibus viris videri esse ἀποτεύγματα, nimirum ἀποτυχίας, *aberrationes*, a regione bene temperatâ atque constitutâ, & defectiones esse quasdam atque imminutiones: idque manifestum esse aiunt ex iis rebus, quæ ad vitam agendam pertinent. Vitam enim ægrè tolerant ii, qui in extremis illis partibus habitant, nudique ut plurimùm incedunt, & mutatis subinde pabulis vagantur. Quin & pecora iis parva, & canes. Ac fortasse etiam, inquiunt, Pygmæi, qui omnium maximè sunt ad meridiem, excogitati atque conficti sunt

prop-

propter horum parvitatem. Nemo enim quisquam fide dignus, sese eos narrat vidisse. Quod autem velim, observes, non apud Libanium modò atque Ælianum *οἱ ἥλιοι*, *Soles*, multitudinis numero; sed ecce tibi etiam apud DIONYSIUM, in his verbis: *μαλεϱοῖς κεκαυμένος ἡλίοις*, *fervidis ustus Solibus*. Sed Libanius quidem *τοὺς ἡλίους*, *Soles*, de diebus usurpat, cum iram ait *ἐπὶ πολλοῖς ἡλίοις*, *ad multos Soles*, asservatam fuisse. At verò alii fulgores Solis quotidianos, *ἡλίους*, *Soles*, vocant. Namque alioquin unicus Sol est atque solitarius; ideoque non vult in flectendo multiplicari; quemadmodum neque terra, tametsi regiones, ut postea videbitur, terræ appellentur; neque mare, etiamsi pelagos maria similiter vocari audiamus.

VIII. Oceani pelagos quum quatuor recensuisset, occidentalem, Atlanticum; septentrionalem, Cronium; orientalem, Indicum; australem, Æthiopicum; itaque quatuor mundi cardines percurrisset; subdit

ſubdit in modum complementi ſimul atque epiphonematis:

Circuit Oceanus totum ſic maximus orbem.

Perinde quaſi jam oſtenderit, totam cum terram, quemadmodum dixit ſupra, coronare atque redimire: tametſi Veterum aliqui contradicere voluerint. Sicuti etiam HERODOTUS, qui minimè eos probat, qui Oceanum ſcribunt terram in ambitum circumfluere. Diviſo, ut ſupra dictum eſt, in maria quatuor Oceano, quatuor maximos ejus ſinus narrat intus in terram evomi, unum, qui mare Heſperium gignit, quod a Gadibus uſque ad Pamphyliam pertinet, ubi etiam Cyprus; alterum, mare a Septentrionibus Caſpium, idemque Hyrcanium; tertium, a mari auſtrali, ſive auſtrali Oceano, Sinum Perſicum, ſitum e regione Caſpii; quartum denique, Arabicum, oppoſitum Euxino, ipſum quoque ab auſtro, vocatumque Arabicum propter accolentes Arabes. Sicuti etiam

Per-

Perſicum mare denominatur a Perſis; itemque ab Hyrcaniis & Caſpiis mare ipſorum cognomine. Hyrcanium porrò Sinum, eundemque Caſpium, parvum vocat, præ mari nimirum Heſperio, quod in Pamphiliam uſque a Gadibus trahitur: quem tamen Sinum aliis potiorem atque præſtantiorem commemorat, Perſico nimirum atque Erythræo. Ad hæc de Oceano ait, parvos quidem eum Sinus plures atque etiam, ut poſtea ait, innumeros, hinc inde evomere, quos etiam Sinus in mare introrſum mittit, nimirum maria intra orbem terrarum habitabilem efficit: at verò maximos quatuor, quos etiam, ut dictum eſt, nomine exponit. Caſpium mare PTOLEMÆUS lacus inſtar circumſcribit, idque ait pedibus circumiri. Quicum ſentit etiam Herodotus, ubi is affirmat, Caſpium mare per ſeſe eſſe, neque cum altero quoquam mari commiſceri. DIONYSIO tamen videtur diffuſum ipſum eſſe, atque a Septentrionibus diſperſum e ma-

ri Cronio. Dicit enim infra, celeriter ipſum in Septentriones profluentibus aquis tractum, Oceano admiſceri. Et ſic ii quidem inter ſeſe diſſentiunt. Verùm enim verò veteres hanc iſtam Periegetarum diſcordiam ſic artificiosè ſedant, atque ad concordiam adducunt, ut dicant, Oceanum illum Cronium ſeſe fortaſſe per loca abdita atque occulta emittere, atque adeò Hyrcanium Sinum producere. Itaque ſalvum atque integrum & dictum eorum permanebit, qui aiunt, Caſpium mare pedibus circumiri, & eorum, qui generari ipſum ex mari Cronio aſſeverant.

IX. Heſperium mare adeo magnum eſt, atque, ut ipſe poſtea alicubi ait, immenſum atque interminatum, ut ad tres terræ habitabilis continentes obliquis pelagis convertatur; itaque modò inſulas circumfluat, modò aut montium pedem, aut urbium, ſubradat. Ac vide de aquâ maris τὸ ὑποξύυσα, *ſubradens*. perinde ac ſi quis diceret, atterens prӕterfluendo. Et eſt urbana ſatis ac lepi-

lepida vocis translatio, tanquam de pedibus rasis atque attritis. Descriptionis suæ Geographicæ, seu Periegeseos, argumentum quum a principio, ut dictum est supra, sedulò atque unicè urgeret DIONYSIUS, simulque ut Philosophiæ studiosior esse videretur, & communem Poëtarum consuetudinem declinaret, speciosiori quadam concinniorique novitate, illud prætermisit, ut, quemadmodum Poëtam decebat, Musas invocaret. Atque ita quidem a principio hujus Periegeseos. Verum enim verò, quando in ipso jam opere versatur, & Poëtam sese reputat, neque sine Musis, fabularum nimirum cognitione, orbem sibi terræ obeundum esse intelligit; perspicuè atque apertè duces eas Periegeseos invocat, ducto ut ipsæ initio (hæc enim ejus verba) ordinatim *ἐνίσπουν*, *dicant*, vias illas obliquas atque tortuosas. Et observa, ut, quamvis alibi *τὸ ἐνίσπειν*, *dicere*, duplicet *τὸ ν*, tamen hoc loci, sicuti etiam infra, effertur ex naturâ suâ cum uno soloque *ν*.

E 5 X. Stant

X. Stant circa Gades Columnæ Herculis, ad fines ipsos ac terminos terræ, magnum certè miraculum. Aiunt, eas vel statuas esse Herculis, vel urbes dictas de illius nomine, vel etiam vertices ab eo denominatos. Est autem earum altera Europæa, Calpe a Barbaris vocata, Alyba secundùm Græcos; altera, Libyca, seu Africanâ, Abenna secundùm Barbaros nuncupata, Græcè Cynegetica. Magnum porrò miraculum dicit eas DIONYSIUS, vel propter excelsitatem (montes enim sunt, quorum altitudinem esse ferunt centum minimùm ulnarum) vel quòd mirum valde sit, eò usque Herculem pervenisse. Vocatæ etiam olim sunt Columnæ Saturni, postea quoque Columnæ Briarei, eo quia ad hos usque fines res illorum gestæ atque dominatus pertinuerunt. Gades verò, seu Gadira quæ vocantur, insula est prope ab Oceano, vittæ instar, secundùm veteres, prælonga, hoc est, veluti telæ segmentum angustum, longiùsque extentum, quod quidem fas-

fasciam nos vocamus. Diciturque etiam Gadira genere feminino. Sic autem vocatur, quasi γῆς δειρὰ, *terræ cervix*, hoc est, collum, propter illius continentis angustiam, quæ perbreve illic paucorumque stadiorum fretum utrinque complectitur atque constringit. Est etiam urbs ibi Gadira. At verò Geographus quosdam tradit Italicas illas apud HOMERUM Planetas petras, & Ponticas Symplegades, fabulosâ licentiâ ad fretum Gaditanum transtulisse, & has esse columnas existimasse, quas PINDARUS, propter freti angustiam, portas Gaditidas vocat, ubi Herculem ait ad has tandem extremas venisse. Verùm alii, ut idem ipse Geographus testatur, Columnas Herculis dictas eas volunt, quæ sunt ἐν τῷ κατὰ Γάδειρα Ηρακλείῳ, *in Herculeo Gaditano*: hoc est, positas in Herculis fano columnas cubitis octo, quibus in columnis perscriptus est sumptus impensus in ædificationem, atque structuram illius templi: ad quas quum qui navigabant, pervenissent, divulgan-

dum

dum curarunt, finem ibi esse terræ & maris. Alii tamen, inquit, Columnas putarunt, Calpen Europæam, montemque ei ab Africâ oppositum, Atylam, seu Atylicem. Alii denique Columnas nominarunt, vicinas ibi utrinque insulas parvas, quarum alteram, Junonis insulam nominant. Neque ineptè, inquit, parvæ hujuscemodi insulæ, eo quia facilè circumscribi, notarique ac definiri possunt, columnis comparantur. Namque ipsæ etiam eminentiam quandam, qualem columnæ & columellæ, referunt ac repræsentant. Quare etiam hæ istæ insulæ, Columnæ meritò appellentur. Atlas, qui Barbaris Duris, mons maximus in finibus Africæ ad occasum: a quo etiam Oceanus Atlanticus. Porro autem, propter nimiam atque immensam montis hujus magnitudinem, Poëtico more, vocat eum DIONYSIUS Atlantes *πολυσπερέας*, *longè sparsos ac latè*. Sicuti etiam Poëta Maleam dicit, & Maleas; Cretam, & Cretas; Athenam, & Athenas.

Præ-

Præterea verò τὸ πρόσωπον, *faciem*, propter emphasin, seu majoris significationis caussâ, multitudinis numero dicit alicubi πρόσωπα, *facies*; & τὸ τόξον, *arcum*, τόξα, *arcus*; & τὸ ἅρμα, *currum*, similiter, ἅρματα, *currus*. Verùm is, qui Ethnica conscripsit, gentem Libycam, seu Afram, dicit Atlantes. Quin & Ælianus, ut ait, Atarantes commemorat, & post illos sitos esse tradit Atlantes, qui etiam somnia nequaquam visere feruntur. Nomen autem mons accepit ab Atlante, viro indigenâ, de quo meliùs scriptum est in Commentariis ad Odysseam. Hìc verò, ut ait DIONYSIUS, ænea ad coelum columna procurrit, excelsa, densisque nubibus cooperta. Atque hoc fortasse loci DIONYSIUS medicinam quandam ex historiâ adhibet fabulæ illi de columnis gestatis ab Atlante. Hæc namque columna, cujus, ut idem ipse affirmat, non est verticem intueri, propter nubes, quibus cooperitur, videri facilè possit magnâ illâ altitudine usque

ad

ad ætherem pertinere, itaque coelum ſuſtinere dicatur, ut hac planè ratione Atlas mons ſit veluti bajulus quidam, ac geſtator columnæ, ſive etiam prorſus ac verè columna, ut videtur quidem HERODOTO. Quidam tamen pro χάλκεος κίων, *ænea columna*, ſcribunt hîc χάλκεος ἄξων, *æneus axis*; quaſi ſcilicet axis mundanus eò fortaſſe pertineat, ut ſcriptum pariter eſt ad librum ά Odyſſeæ. HERODOTUS porrò de his hæc ferè ſcribit: A Garamantum gente dierum decem itinere Atlantes, homines ἀνώνυμοι, *nominis expertes*, hoc eſt, communi quidem nomine Atlantes appellati: Sed ita tamen, ut nemo quiſquam proprium ſibi ac ſingulare nomen impoſitum habeat. Refert etiam, Atlantes tranſcendentem Solem exſecrari, diriſque & conviciis proſequi, eo quia ipſe eos torrendo atterit atque affligit; itemque Atlantem hunc montem anguſtum eſſe ac rotundum, eundemque maximè excelſum, ut neque ejus vertices conſpici poſſint, neque eos nubes unquam

unquam deficiant: unde & coeli columnam vocent indigenæ: gentem denique ipsam, atque ab eo denominatam, Atlantes, neque animantibus ullis vesci, neque somnia videre. Quemadmodum autem Atlantem, coeli columnam vocitatum diximus; Sic etiam sciendum, PINDARUM Ætnam, coelestem columnam appellasse.

XI. Ibericus Sinus, Europæ initium est atque Africæ. Medius namque inter utramque eam volvitur: ad cujus quidem latera sitæ sunt Herculis columnæ. Hunc autem Sinum fluxus excipit Galata, seu Gallus, mare nimirum Galaticum, seu Gallicum. Dictum namque id est vice nominis possessivi. Sicuti etiam ÆSCHYLUS Σκύθην οἶμον, *Scytham tramitem*, vocat, idest, Scythicum. Vide verò toto hoc in loco, quàm ingeniosè atque appositè confertim utatur DIONYSIUS comparibus verbis, seu similiter desinentibus, ut supinum illud ac remissum Periegeticæ descriptionis ornatu ac celeritate excitet atque erigat,

genere

genere illo loquendi : πόντος Ἰβηρικὸς ἐγκέχυται, *pontus Ibericus infusus est*. &, μέσος ἑλίσσεται, *medius volvitur*: &, Λιγυςιὰς ἕλκεται ἅλμη, *Ligusticum trahitur salum*: &, ἐπὶ Κύρνον ἐρεύγεται ἁλμυρὸν ὕδωρ, *ad Corsicam evomitur salsa aqua*: &, Σαρδόνιος μορμύρεται πόντος, *Sardonius murmurat pontus*: &, ὠρύεται Τυρσηνὶς θάλασσα, *frendet Tyrrhenum mare*: &, Κυρτὸς ἐπιςρέφεται Σικελικὸς ῥόος, *Obliquus obvertitur Siculus fluxus*, aliisque locutionibus hujuscemodi. Præterea verò affluentiam & copiam considera, quam ipsorum etiam nominum habet Poëta, in his verbis : Πόντος Ἰβηρικὸς, *Pontus Ibericus*, &, Γαλάτης ῥόος, *Galata fluxus*: &, Λιγυςιὰς ἅλμη, *Ligusticum salum*: &, Κύρνιον ἁλμυρὸν ὕδωρ, *Corsica salsa aqua*: &, Τυρσηνίδος οἶδμα θαλάσσης, *Tyrrheni unda maris*. Sciendum autem est, fluxum hunc Galatam, qui a Galatis, seu Gallis, appellatur, Galaticum nimirum, seu Gallicum, mare, accolas habere Celto-galatas; remque esse de Galatis apud omnes pervulgatam,

gatam, vino eos meraciori intemperantiùs indulgere. Feruntur autem ii ſic vocati a Galatâ quodam, Apollinis filio. Maſſilia quoque Galatica eſt, ſeu Gallica. Eam condiderunt Phocaënſes, cum Cyri ſervitatem effugerent. Portum item habet Maſſilia ἐπίστροφον, *flexuoſum*, hoc eſt, rotundum atque orbicularem, & incurvum; vel quò navigantes ἐπιστρέφονται, *convertuntur*. Bonus namque Maſſilienſibus portus, Lacydon. Porrò τὸ ἐπίστροφος legitur quoque apud Homerum, ubi de Ulyſſe: ἐπίστροφος, inquit, ἦν ἀνθρώπων, *cum hominibus converſabatur*, *conſuetudine hominum utebatur*. Aiunt autem, Maſſilienſes valde olim a machinarum ſtructurâ, navalique apparatu celebratos. Eſt verò Maſſilia, non regio modò, ſed etiam urbs Ligurum in Celticâ, ductâ appellationis hujus origine a verbo μᾶσαι, quod Æolicè ſignificat alligare, ſeu religare, & a neſcio quo ἁλιεῖ, *piſcatore*. Narrant enim, profectis è patriâ ſuâ coloniæ condendæ cauſſâ

F Phoca-

Phocaënſibus, quum eorum gubernator adnavigaret, piſcatoremque ibi vidiſſet, juſſiſſe eum rudentem ad littus μάσσαι, hoc eſt, δῆσαι, *religare*. Unde & urbs Μασσαλία, *Maſſilia*, ἀπὸ τοῦ μάσσειν, *ab alligando*, ſeu *religando*, & ἀπὸ τοῦ ἁλιέως, *a piſcatore*. Poſt Maſſilienſes Ligures, quos Lycophron vocat Liguſtinos. Sic autem nominantur a Ligure, quo vir nomine vocabatur, qui ſeſe Herculi ad Geryonis boves proficiſcenti oppoſuit: qua etiam in pugnâ quum Herculem omne armorum genus, quibus vim repelleret, penitus defeciſſet, narrant fabulæ, eum auxilium ſibi atque opem ab Jove precibus imploraſſe; illum verò, ſubductâ nube, lapidibus deſuper pluiſſe. Unde campus dictus lapideus, inter Maſſiliam & Rhodanum, manualium lapidum plenus: quos quidem lapides docti atque eruditi viri, datâ fabulæ veniâ, ut arbitratu ea ſuo nugetur atque deliret, diſruptos fuiſſe aiunt frequentibus & aſſiduis fulminibus, ſeu Typhonicis exhalationibus, atque ex perpetuo

petuo planoque continenter ſaxo in parva eos fruſta diſciſſos, & comminutos fuiſſe. Victitant porro ut plurimùm Ligures ovibus ac lacte potionibuſque hordeaceis. Sic autem fundâ utuntur, quemadmodum hiſtoriâ proditum eſt, ut, avibus conſpectis, ſingulas ſinguli ſibi percutiendas conſtituant, atque deſignent, perinde ac ſi omnes ſint collineaturi. Ligures tamen ii, qui ſunt juxta Tyrrhenos, id nominis habent a Liguræ flumine. Sciendum quoque eſt, Colchicos etiam Ligures videri eſſe oriundos ab Europæis; idque clarè innuit LYCOPHRON, cum Cytæam urbem in Colchis Liguſticam commemorat. Ariſtoteles verò Ligures quoſdam refert, vocatos a quibuſdam Heptapleuros, ideſt, coſtis ſeptenis præditos, cui tamen opinioni fidem ipſe non habet, eo quia coſtæ ſunt hominibus utrinque octonæ.

XII. Italos, veluti penes quos unos atque ſolos eſſet tunc imperium, longè lateque dominari dicit, eoſque Αὐσονῆας,

Aufonienfes, five Αὔσονας, *Aufones*, nominat. Et obferva, ut eofdem effe ait Aufones atque Italos. Vocantur autem Aufones ab Aufone, qui primus Romæ regnaffe a quibufdam proditur, & filius fuiffe Ulyffis ex Circe, aut fecundùm Ethnicorum Scriptorem, Atlantis ex Calypfone: a quo Siculum etiam mare vocatum eft aliquando Aufonium. Ait autem, eos effe ad finum Liguſticum, ductoque a Septentrionibus initio, ad Leucopetram, de qua etiam poftea, pertinere. Promontorium hoc eft, de quo ita commemorant: Promontorium Leucopetra, feu Alba Petra, fic a colore appellatum, in quod definit mons Apenninus. Itali verò nominantur ab Italo quodam, ut & Aufones ab Aufone. Sciendum autem eft, ἀπὸ τοῦ Αὔσονος, *ab Aufone*, derivatum effe per paragogen τὸ Αὐσονεὺς, *Aufoneus*, feu *Aufonenfis*, ad exemplum τοῦ Αἰθιοπεὺς, *Æthiopeus*, feu *Æthiopenfis*, & τοῦ ἡγεμονεὺς, *dux*, feu *ductor*; additoque per pleo-

pleonaſmum ad dactylum conflandum τῷ ί, Αὐσονιεὺς, *Auſonienſis*: ex quo τὸ Αὐσονιῆες, *Auſonienſes*. Siculum πορθμὸν, *fretum*, per diminutionem, ſeu denominationem vocat πορθμίδα, *quaſi fretulum*, cum Leucopetram illam dicit fixam eſſe ac radicatam Σικελικῆς ἐπὶ πορθμίδος, *Siculo in freto*. Quanquàm alioquin πορθμίδα veteres dicant ſcapham piſcatoriam, hoc eſt, naviculam piſcatoriam, vel etiam generatim naviculam, ut palam facit Euripides, ubi Κρησίαν πορθμίδα vocat, naviculam nimirum, ſeu navem Creticam. Quin & Aſiam cum poſtea Dionysius denominativè vocat Ἀσιάδα, *Aſiadem*, facit ita quidem eam humiliorem atque tenuiorem, propter formam illam diminutivam; veruntamen metri ita neceſſitatem explet. Sardinia inſula, non Σαρδὼ modò, ut τὸ Σαπφὼ, *Sappho*; Sed etiam Σαρδὼν, Σαρδόνος, *Sardo*, *Sardonis*, ut τρυγόνος, *turturis*; unde ſinus Σαρδόνιος, *Sardonius*, qui eſt poſt Cyrnum, ſeu Corſicam. Verùm de Sardone & Cyrno

Cyrno dicetur suo loco. Videtur autem post Ligusticum mare esse pelagus Corsicum, quod est circa Corsicam insulam. Hoc verò mari interius est Sardonium.

XIII. Post Sardonium Sinum, mare ad meridiem Tyrrhenum, sic vocatum, eo quia ei ad Septentriones adjacent Tyrrheni, quemadmodum Galli Gallico, & Ligures Ligustico: aut etiam quia Tyrrheni, piraticam olim exercentes, latrocinia ibi simul faciebant. Inde verò, inquit, ad Solis ortum, Siculum mare curvum obvertitur usque ad Pachynum, promontorium orientale Siciliæ, atque ad Frontem etiam Arietis, quod est promontorium Cretæ. Fxpansum est autem, inquit, atque explicatum usque ad Sinum Ionicum, quippe usque eò obversum atque curvatum. Quare etiam *κυρτὸν*, *curvum*, seu *gibbosum*, mare id appellat, eo quia non directò in Cretam usque procedit; sed etiam ad Ionium deflectit atque declinat. Volo porrò, observes, ut nunc quidem

quidem Creticâ Fronte Arietis finit atque terminat Siculum mare; postea verò id ipsum profert usque ad Salmonidem, promontorium Cretæ orientale. Ubi, siquis attentiùs atque diligentiùs in rei cognitionem incubuerit, Siculum hoc pelagus facilè inveniet binomine, tum hoc ipso vocabulo Siculum vocitatum, tum etiam Creticum. Dicit enim ibi DIONYSIUS per metalepsin figuram :

Montibus ex Siculis Cretæum expanditur æquor,
Surgentem longè in Solem, ad Salmonida rupem.

Neque enim ab Arietis Fronte Creticum pelagus expansum esse dicit; sed ex montibus Siculis. Ac fortasse, quum duo sint maris hujus termini, alter Siculus, alter Creticus, modò ex uno Siculum mare, modò ex altero, Creticum vocatur. Siquis autem forte illud, *Montibus ex Siculis*, ita intelligat, quasi dicat, *Post Siculos montes*; tunc sanè

 maria

maria esse possunt duo, unum per sese Siculum, usque ad Frontem Arietis, alterum inde per sese Creticum, usque ad Salmonidem. Promontorium illud Cretæ circa Gortynem, quod valde in mare propendet, spectantibus de longinquo παραυγάζει, hoc est, παρεμφαίνει, & φαντάζει, *repræsentat, & quadam veluti imagine refert*, frontem arietis, atque inde appellationem hanc habet, ut Frons Arietis nominetur. Scire autem oportet, aliam quoque ad Pontum Euxinum esse Frontem Arietis, ut postea dicetur, montem ad Septentriones, propter eandem, atque ille, caussam, sic appellatum. Sciendum etiam est, quibusdam sæpe e locis, e longinquo sanè conspectis, propter visûs fallaciam, speciem quandam animalis per similitudinem emitti atque repræsentari; idque ferè quum oculo accidat in Euxino mari, atque in Cretico, frontes eum arietis contemplari; itaque quodammodo medicinam fabulæ illi de Niobe adhiberi. Quippe aliqui affirmant, promontorium esse

esse Phrygiæ, quod muliebris faciei imaginem longe positis atque distantibus referat; unde aqua perennis defluit: quam quidem aquam fabula lacrymas esse facit ultro Niobæ fluentes. Quin & eos, qui pingendi artem callent, videmus vertices montium ad leonum exempla, vel talium ferè ferarum effigies efformare, eo quia visus e longinquo talium ferè rerum imaginem contuetur. Ἡ Γόρτυν, *Gortyn*, dicitur etiam Γόρτυνα, *Gortyna*, tribus syllabis: quorum alterum flectitur Γόρτυνος, *Gortynis*, ut Φόρκυνος, *Phorcynis*; alterum verò, Γορτύνης, *Gortynæ*, ut λεαίνης, *leænæ*. Sacram porrò eam vocat, vel generali quadam ratione, propter ejus celebritatem ac gloriam, vel imitatione Homericâ, eo quia HOMERUS ita urbes appellat, quippe quæ habitatoribus suis custodiæ sint atque præsidio. Ædificata autem est Gortyn a Tauro illo, qui Europam Phoënissam rapuit, qui rex fuit Cretæ. Magna sanè hæc urbs, Geographo teste, cujus hæc sunt verba: Urbes Cretæ maximæ,

Gortyna, Cydonia, & Cnoſſus. Idemque ſcribit, Gortynam potentiâ atque opibus ſecundum a Cnoſſo locum tenere: itemque eas urbes ſibi olim mutuò opitulantes, inſulanos omnes in poteſtatem habuiſſe. Phæſtus, quam DIONYSIUS mediterraneam dicit, aberat a mari ſtadiis viginti, a Gortyne ſexaginta: quæ diruta atque everſa fuit a Gortyniis. Fuit ex eâ EPIMENIDES, is, qui verſibus Purgationes conſcripſit.

XIV. Sinus Ionius, poſt Siculum, ſeſe ad ſeptentriones dilatat, ac rurſus deflectens, ad intimum receſſum occidentalem ſerpit, atque ad Oceanum reſpicit, qui in mare Heſperium emittitur. Sciendum autem eſt, non Ionium modò ſinum vocari; ſed etiam eundem Adriam dici, & Adriadem, & Adrianum, ſeu Adriaticum mare: quanquam accuratiores probatioreſque ſcriptores, Ionium, partem eſſe velint Adriæ. Dicitur porrò Ionius, ut LYCOPHRONI atque ÆSCHYLO videtur, ab Ione. Illa enim, in vaccam commutata, hac tranſnatavit.

natavit. Verùm alii appellationem arcessunt ab Ione, homine Italo, vel ab Ionio, homine Illyrico. Quin & nonnulli affirmant, id maris, quod est a Gazâ usque ad Ægyptum, Ionium similiter vocari ab Ione, & Gazam quoque, quæ est ibi locorum, Ionem a quibusdam nuncupari: ubi vacca erat in imagine Ionis, nimirum Lunæ. Io namque, Argivorum dialecto, ipsa est Luna. Ionis porro, de quo supra dictum est, filius fuisse traditur Adrias, a quo idem ipsum mare dictum Adriaticum. Verùm alii ita narrant: Est Adria urbs perillustris, & ab eâ sinus Adrias, atque amnis similiter. Regio illa a pecorum ubertate celebratur, adeo ut bis in anno fœtus edant, & binos edant. Ingredienti in mare Ionium, ad lævam sita est Ausonum regio; ad manum verò dexteram regio est Illyris, sic vocata ab Illyrio, Cadmi filio. At Dalmatia supra est, quam etiam Martiorum solum virorum appellat, ab hominibus ejus

ejus regionis pugnacibus & bellicosis. Ferunt etiam, Dalmatenses octavo quoque anno agrorum partitionem de novo per professionem quandam facere, neque signatâ eos pecuniâ uti; itaque ipsos magnam hanc sordem, & corruptelam vitæ ademisse. Duplici autem nomine gens ipsa appellatur, Dalmatæ & Dalmatenses: eorumque urbs, Dalmium, aut Delminium, seu Delminum.

XV. Atque hîc etiam, voce, præter communem usum, minùs propriè acceptâ, isthmum dicit illum Ausonum, quippe latissimum. Etenim ne iste quidem isthmus est in angustias contractus. Ideo subjungit, quemadmodum etiam supra, curationem ac medicinam, per illa verba: *expansus est immensus, longè porrectus, tribus maribus circumfluus.* Statimque addit, quibus hic iste isthmus maribus contentus atque comprehensus sit: quum perquam celeri citatoque verborum cursu, dicat:

Tyrrhe-

Tyrrheno , Siculoque atque Adriaco turgente.

Postea verò, quàm dixit, unumquodque trium horum marium tractum suum ad ventum aliquem dirigere, rursus, figuratâ percelere atque acre dicendi genus oratione, ita loquitur :

In zephyrum Tuscum , inque Notum Siculum , Adria in Eurum ;

quippe qui illud ambitiosè, & de industriâ affectaverit, uno ut versu & maria tria, & tres etiam ventos exponeret, ad quos ventos unumquodque mare fluxum suum distrahit, atque distorquet ; quemadmodum etiam priùs fecit, ut scriptum est supra, in illo versu :

Ac primùm Libyam , deinde Europen , Asiamque ,

quum & uno ibi versu tres continentes circumplexus fuerit. Et observa, ut hîc quidem Τυῤῥηνὴν ἀμφιτρίτην, *Tyrrhenam amphitriten* ; supra verò Τυῤῥηνίδα θάλασσαν, *aqua mare Tyrrhenidis*, diversis sub terminationibus, vocaverit.

XVI. Ad

XVI. Ad auſtrales partes Siculæ inſulæ trahitur intra Africam ſinus, qui auſtralem ſyrtin volvit, alteram nimirum illam, quæ majori eſt latitudine. Interiùs namque propior hac Occidenti Syrtis eſt altera, quæ vadum habet exiguum, minor nempe eſt. Quæ quidem, inquit, eminus adventantem excipit πλημμυρίδα πόντου, *æſtum affluentis ac reſtagnantis maris*: quo de æſtu dicetur poſtea. Verùm obſerva, hoc quidem loci uſum eſſe Periegetam præpoſitione ὑπὲρ, *ſupra*, de partibus auſtralibus: quippe qui dixerit, Syrtim illam auſtralem volvi ὑπὲρ Σικελικῆς χθονὸς, *ſupra Siculam inſulam*; idque eum deinceps ſæpiſſimè eſſe facturum: ita ut non de borealibus modò partibus uſurpetur hæc præpoſitio ὑπὲρ, *ſupra*, propter earum partium elationem atque ſublimitatem: ſed etiam de partibus auſtralibus. Neque enim ſunt illæ deſtitutæ omni prorſus elatione in altum, atque excelſitate: tametſi humiles eæ nobis ac depreſſæ videantur. Nam de partibus

tibus quidem borealibus usurpare eum præpositionem ὑπὲρ, *supra*, vel *super*, manifestissimum est. Quippe infra ait: βορειοτέρη, γαίης ὑπὲρ Εὐρωπείης·

Hæc magis ad boream, fines super Europæos.

hoc est, πρὸς τὰ βόρεια τῆς Εὐρώπης, *ad partes boreales Europæ.*

XVII. Transiturus a duabus his Syrtibus ad reliquam periegesin atque descriptionem Geographicam, hac istâ figurâ utitur ad sententiam complendam accommodatâ, eâque celeritatis ac dignitatis plenâ:

Sic maria illa boant undosis æstibus ambo.

Quin & multis postea in locis, ad perspicuitatem, frequenter his utitur complendæ sententiæ formulis, seu clausulis. Salmonis, promontorium est Cretæ orientale: quemadmodum rursus promontorium ejus Occidentale, Frons est Arietis. Circa hoc istud Salmonidis, ut ipse loquitur, κάρηνον, *caput*, sive pro-

promontorium, expanſum eſt pelagus Creticum. Immo verò eò uſque protrahitur, ibique terminatur, ſive Siculum illud ſit pelagus, ſive, ut paullò ante dictum eſt, Creticum. Inde mare ſequitur Pharium, deinde Sidonium, ſinus inde poſtremus, qui eſt circa Cyprum, nimirum Iſſicus: de quibus paullò poſt dicetur. Τὸ φρίσσειν, *horreſcere*, propriè dicitur de mari. Ait igitur, mare Pharium atque Sidonium φρίσσειν, *horreſcere*, quippe quæ maria Iſmarici Boreæ, rectà ſanè ſpirantis, flatibus agitentur: quandoquidem ſita ea ſunt contra Boream. Dicit autem τὸ φρίσσουσιν, *horreſcunt*, pro eo ac ſi diceret: *eriguntur, ſeu rectà aſſurgunt, atque in ſublime fluctibus attollantur.* Inde verò etiam φρὶξ, *horror maris fremere incipientis, ſeu horreſcentis frementiſque maris fluctuatio:* ut & Poëta: μελαίνῃ φρικὶ καλυφθείς. *atro fluctu horreſcentis maris coopertus*; fluctu nimirum maris ſeſe attollentis, altiùſque inſurgentis. Porrò autem τὸ φρίσσειν, *fluctuando horreſcere*, voca-

vocabulum esse maritimum, meliùs scriptum est ad Homerum. Boream porrò vocat Ismaricum, id est, Thracicum, ab Ismaro, urbe Thraciæ. Sciendum autem est, mare hoc Pharium, quod est post Creticum, ut diximus, pelagus, Parthenium etiam sinum veteres appellasse; &, sicuti Sidonium mare, atque Issicum sinum ab urbe Isso, & Sidone; sic etiam Pharium mare eos dixisse propter Pharum illum Alexandrinam, quæ est insula sita ad dextram Alexandriæ, cum turri ibi maximâ, quæ eò adnavigantibus, accensis facibus, præluceat. Sed de hac istâ Pharo quum dictum sit in Commentariis ad Odysseam, dicetur etiam, cum hæc nos tractatio Alexandriam detulerit. DIONYSIUS, quippe qui τὴν Σιδῶνα, *Sidonem*, Homerico exemplo, inflectat, quo loci dicit Σιδονίαν θάλασσαν, *Sidonium mare*, producit ancipitem illam primæ syllabæ, & corripit τὸ ό alterius syllabæ. Ac similiter etiam postea in illo versu:

Βύβλον τ' ἀγχίαλον, καὶ Σίδονα ἀνθεμόεσσαν.

Littoreamque Byblum, & fundentem Sidona flores.

Verùm posteriorum temporum scriptores obliquos casus universos τῆς Σιδῶνος, *Sidonis*, efferunt cum ώ magno in penultimâ. Mare, quod Pamphyliæ regioni circumjacet, quo in mari est Cyprus, non Pamphylius modò sinus dicitur, gentili eademque locali appellatione, a gente ipsâ Pamphylorum; sed etiam Issicus, ab Isso, urbe sitâ inter Syriam, & Ciliciam. Ait igitur DIONYSIUS, trahi Issicum sinum in Septentriones ad urbem quoque Issum, eumque Sinum Ciliciam regionem præterire. Hanc autem urbem ornavit celebremque reddidit Alexander, &, quòd ibi Darium ἐνίκησε, *vicerat*, Nicopolin nominavit. Hic Sinus, ut DIONYSIUS ait, quum ad Cilicum propiùs regionem, æquabili quodam cursu, rectior accesserit, ibique finem fecerit, inde, tan-

tanquam ἐν ὕσπληγγι γνοφερῇ, *in obscurâ atrâque metâ*, hoc est, tanquam ἐν καμπτῆρι, *in metâ, ad quam cursus flectitur*, mare evomit conversum ad zephyrum: ita ut sensim in occasum deflectat atque convertatur, atque ad zephyrum respiciat. Quod autem volo, observes, ὕσπληγξ non dicitur modò, ut hoc loci, de metâ; sed etiam aliquando de carceribus, unde equi ad currendum emittuntur, hoc est, cancello. Et sic etiam nominatur ἡ ὕστριχς, non ipsum quidem animal hystrix; sed instrumentum ad cædendum atque flagellandum, seu flagrum, ita appellatum, quòd conflatum, seu compositum sit ἐκ τριχῶν ὑείων εἰς πληγὴν, *ex setis suillis ad cædendum*. Corio namque suillo angusto atque oblongo una cum ipsis setis præciso, & setis per summas partes detonsis, ut hæ sic possent firmiùs atque robustiùs pungere, atque stimulare, hoc quidem flagello mastigias verberabant; idque flagri genus verberumque instrumentum, ὕσπληγξ vocabatur. Alioquin autem hæc una ὕσπληγξ, tex-

tura eſt atque nexus ex ſetis ſuillis. Ceterùm ſciendum, dictam eſſe apud Theocritum *τὴν ὕσπληγγα, tendiculam*, & hanc vocem uſurpatam eſſe de laqueo ad capiendas aves, eo quòd, ut ſolet, ex texturâ ſetarum ſuillarum conſtruatur. Sciendum etiam eſt, primùm quidem ὑςειχίδα dictum fuiſſe inſtrumentum cædendi, qualecunque illud demum fuerit; inde verò etiam ὕσπληγγα nominatam eſſe in ludis metam certaminis, ſeu curſus, eo quia ibi equi attentiùs atque accuratiùs *πλήσσονται, caduntur atque percutiuntur*, & *νύσσονται, punguntur.* Unde etiam hic iſte locus, *νύσσα, meta*, appellatur. Quoniam verò jam inde a curſus initio id equis uſuvenit, propterea etiam, unde curſus incipit, ὕσπληγξ, prætereaque etiam νύσσα vocabatur.

XVIII. Tametſi abjectè ac parùm decorè, tamen, quantùm per comparationes licet, Iſſicum hunc Sinum, talem ac tantum, draconi aſſimilat, cum ait, volvi illum in mari ſinum, ut volvitur

vitur draco adſpectu horribilis, cum flexuoſus hic & tardus ſerpit: quo ſanè progrediente, totum ſub eo montis jugum gravatur. Id autem dicit, eo quia Iſſicus ſinus hinc inde gurgitibus atque fluentis gravatus volvitur, trajectu idem difficilis atque diffuſus, quippe qui multum reflexi atque obliqui, ſerpentium inſtar, habeat. Obſerva igitur, ut, propter flexus tantùm ac curvaturas Sinus Iſſici, hæc aſſumpta eſt ſerpentis comparatio; ideoque tuta ea eſt, ac citra reprehenſionem. Namque alioquin multum habet humilitatis, ſi tantus hic ſinus reptanti eſt angui comparatus. Etſi enim magnificum eſt atque ſublime, acceptam ex pelago comparationem ad ſerpentem accommodare; tamen pelagus tantum draconi ſimpliciter comparare, id profectò hujuſce ſinus magnitudinem deprimit. Vide verò, perſpicuè hoc loci cum unico ac ſimplici σ' efferri τὸ βλοσυρωπὸς, *adſpectu horribilis ac truculentus*: quum id nominis eum ſignificet, qui fero eſt ac

 truci,

truci, ſubductoque adſpectu. Sicuti τὸ *ἀ* modò privat, modò intendit atque auget, ſic etiam τὸ *νή*. Nam τὸ *νηλεὴς* quidem, id eſt, *immiſericors*. ἐλέυ, *miſericordia*, privationem ſignificat: quum tamen τὸ *νήχυτος κόλπος*, *multifluus*, ſeu *valde fuſus ſinus*, copiam atque abundantiam fluctuum denotet. Iſticus Sinus, qui eſt ad Cyprum, ut dictum eſt, Pamphyliorum regionem præterfluit; quocirca etiam Pamphylius vocatur. Immo & excurrit ad inſulas uſque Chelidonias, de quibus poſtea dicetur. Habet autem extremum *σῆμα*, *ſignum*, ſeu *terminum*, ad occaſum, Patarorum promontorium, quod & Lyciam & Cariam diſterminat. Σῆμα dicit τὸ σημεῖον, *ſignum*, finem nimirum ac terminum, pro ratione Philoſophorum. Siquidem τὸ σημεῖον, *ſignum*, hoc eſt, punctum, terminus eſt lineæ: ut & hoc loci circuitûs ambitûſque hujus pelagi occidentale *σῆμα*, *punctum*, ſeu *terminus*, ſunt Patara. Sciendum autem eſt, hunc iſtum locum Patara vocari, vel a Pataro, Apolli-

pollinis & Lyciæ filio, quæ Lycia filia fuit Xanthi, vel ἀπὸ τῆς πατάρας, *a patara*, quæ vox Græcè ciſtam, ſeu arcam, ſonat. Narrant enim, πατάραν, *ciſtam*, qua Apollinis ludicra, placentæ quædam in modum lyræ & arcûs & ſagittarum conformatæ, continerentur, vi ventorum de puellæ cujuſdam manibus abreptam, itaque ſublatam, in mare Lycium dejectam fuiſſe, atque ad peninſulam ibi tandem fuiſſe delatam. Unde ea etiam peninſula & Apollini eſt conſecrata, & ab hac iſtâ patarâ, ſive ciſtâ, nomen eſt lucrata. Obtinet tamen de his Pataris hiſtoria ferè hujuſcemodi: Patarus & Xanthus prædones, Lapeonis filii, quum ex faciendâ piraticâ idoneas ſibi facultates comparaſſent, ab infeſtando latrociniis ac prædationibus mari penitus deſtiterunt, atque ad Lyciam appulſi, certum ibi ac ſtabile domicilium fixerunt; & a Xantho quidem, qui major natu erat, Xanthus ibi amnis eſt appellatus, & urbs cognominis; ab altero verò vocata ſunt Patara.

XIX. Sporades Insulæ sitæ sunt in mari Ægæo. Neque alter quisquam, inquit, maris sinus altè murmurans est, qui similes, atque Ægæum mare, fluctus amplificet atque augeat. Hujusce autem rei caussam esse aiunt multitudinem ibi insularum, ad quas crebri frequentesque fluctus allisi, retrorsum aguntur, ipsoque concursu violentiùs elati, magnam fluctuationem atque tempestatem excitant. Quocirca DIONYSIUS dicit: *ubi fluctus disruptus atque elisus, sporades insulas circumfremit*: quibus de insulis ipse postea. Sciendum autem est, non pelagus modò Ægæum; sed etiam campum illum Phocidis commemorari, Ægæum nuncupatum ab Ægâ illic flumine. Ægæi maris latus meatus, initio a Pataris ducto, ad Tenedum atque Imbrum terminatur. Inde verò στεὸς αὐλών, *angustus canalis*, seu *fretum*, progreditur, atque in Septentriones protrahitur usque ad nostrum hoc mare, quod est ante Pontum Euxinum, a quo etiam Propontis nominatur.

tur. Perbellè autem dicit τὸ αὐλῶν στενὸς, *canalis angustus*, tanquam ad differentiam maris Ægæi, quod est latissimum. Angustus namque est, ac veluti in modum canalis extentus, Hellespontus. Scire verò oportet, Propontidem tum simpliciter ostium dici, tum etiam cum additione ostium Ponti, nimirum Euxini, qui eximiâ quadam notâ Pontus vocitatur, ut paullò post dicetur. Ægæum porro pelagus, ut quibusdam videtur, nomen habet ab Ægis Euboicis, loco sic appellato, ubi Poëta quiescere facit equos Neptuni. Alii tamen Ægæum dictum volunt ab Ægæone Homerico, ut scriptum est ad Iliadem. Atque hîc etiam isthmum quendam latè patentem commemorat, a Propontide simul & Ægæo pelago comprehensum: qui, quum positus sit ad Orientem, atque ad austrum pertrahatur, innumeras gentes Asiaticas amplectitur, in quibus sunt etiam Æoles atque Iones. Hoc item loci præpositionem ὑπὲρ, *super*, *seu supra*, usurpat de partibus australibus, cum

 ait:

ait: Τῆς δ' ὕπερ ἄσπετα φῦλα παίνεται πρὸς νότον. *Supra hanc innumeræ gentes ad auſtrum protenduntur.* Et cauſſa ſupra explicata eſt.

XX. Poſt Propontidem os eſt, ſive oſtium, Boſpori Thracici, Boſporus nimirum Thracicus, qui & Myſius: quem quum Darius ponte conjunxiſſet, circa oſtium ſacrum, in Thraciam trajecit. Unde etiam poſtea, conſtructo quoque ſupra Iſtrum ponte, in Scythas tranſiit. Boſporum autem hunc Thracicum, quidam aiunt eſſe anguſtias poſitas inter Chalcedonem, & Byzantium. Quippe neſcio de quo refert ARRIANUS, eum ad Chryſopolin progreſſum fuiſſe; ibique ſub noctem Boſporum trajeciſſe, &c. Alii verò maximè partes ſuperiores Ponti, qui Anaplus vocatur. Hunc iſtum Boſporum tradit DIONYSIUS, Ionem olim, operâ & conſilio Junonis in vaccam mutatam, tranſnataſſe. Quare etiam Βόσπορος, *Boſporus*, dicitur, quaſi βοὸς πόρος, *bovis tranſitus*, illius nimirum bovis oeſtro percitæ atque ſtimulatæ,

tæ, de qua ita Arrianus: Fretum illud inter Chalcedonem & Byzantium, olim Mysium, eo quia ibi Mysi ex adverso Thraciæ habitarunt; postea verò Bosporus, propter casum adversum Ionis, quam, Junonis irâ, oestro agitatam atque insanientem, ad hæc ista loca pervenisse, & hac trajecisse, fabulæ confinxerunt. Idem tamen tradit, secundùm quosdam, non a bove illâ, quam diximus, hunc istum Bosporum; sed ab aliâ ac diversâ bove, esse nominatum: quæ (sunt ejus verba), Phrygibus urgentibus, sese impavidè in mare conjecit, citraque noxam Bosporum trajecit, qui est inter Chalcedonem & Byzantium; itaque facta illis est dux atque ductrix, ex divino quodam instinctu, vaticinio nimirum atque oraculo, quod eos jubebat ducem viæ bovem constituere. Quod quum illi fecissent, tuto transmiserunt. Et monumentum, inquit, hujus transitûs stat bos ærea, postea aliquando posita atque collocata a Chalcedoniis. Atque ex hac fortasse locus

cus ibi quidam, ad noſtra uſque hæc tempora, Damalis, ſeu Juvenca, appellatur. Thracius porrò Boſporus vocatur ab accolentibus Thracibus ad occaſum: quemadmodum a Myſis, ex adverſo olim poſitis, vocatus eſt, ut diximus, Myſius. Ceterùm de Boſporo hoc ait DIONYSIUS, fretum illud anguſtiſſimum utique eſſe omnium aliorum, quæ ſunt maris undoſi atque procelloſi. Hujus namque Byzantici oſtii intervallum quatuor eſſe aiunt ſtadiorum: Sicuti etiam narrat HERODOTUS. Auctor quoque eſt Geographus, Byzanticum oſtium, Boſporum Thracium vocitari; idque ſtadia quatuor patere; & tamen ſummas anguſtias Helleſponti, circa Cherſoneſum Thraciam, apud Seſtum, ſeptem eſſe ſtadiorum. Ac ſeptem ſimiliter ſtadiorum, ſecundùm Geographum, ſummæ ſunt anguſtiæ freti Siculi. Obſervandum autem eſt, differentiâ quadam locali diviſum eſſe atque ſeparatum Boſporum Thracium a Propontide;

pontide; eumque magis esse borealem; Propontidem verò magis australem. Quin etiam sciendum, loqui eos multò certiùs atque exploratius, qui ostium Ponti esse affirmant | supra Chalcedonem, ubi maximæ omnium sunt angustiæ: a quibus prope angustiis, DIONYSIO auctore, Petræ sunt Cianeæ; atque unde, ut ipse ait, apertus Pontus expanditur atque explicatur. Considerare autem, & dispicere oportet, an conjungi simul in unum debeant Hellespontus & Propontis; an verò potiùs, post latum illud mare Ægæum, tria hæc dici magis borealia, primum quidem angustus ille canalis Hellesponti, deinde verò Propontis; tum demum ostium Ponti, quod est maxime horum boreale. Ambigua enim atque controversa hæc sunt, propter veteres: quorum alii id tantùm maris, quod est circa Sestum & Abydum, Hellespontum dixerunt; alii totam etiam Propontidem; alii partem ejus quandam, quæ est intra Perinthum, sive Heracleam, Hellesponto attribuerunt;

runt ; alii denique partem etiam quandam maris Ægæi Hellefponto adjecerunt, ut fortaffe etiam alicubi HOMERUS ; quam quidem Ægæi maris partem, latum ille dicit Hellefpontum. Hos autem minimè omnium fequi videtur DIONYSIUS, quippe qui, quidquid aquarum eft inter Ægæum mare, & Pontum Euxinum, in maria dividat tria, tum in canalem illum anguftum Hellefpontium, qui ad Propontidem ufque protenditur, tum, fupra Hellefpontum, in ipfam illam Propontidem, tum denique in Bofporum Thracium, qui eft poft Propontidem. Et fic etiam fentit HERODOTUS, ubi ait, Bofporum ad Propontidem pertinere ; eam verò in Hellefpontum influere ; denique ab Hellefponto hiatum effe maris Ægæi. Vide verò, perbellè fupra DIONYSIUM de πορθμοῖς, *fretis*, addidiffe illud : οἳ θαλάσσης εἰσί, *quæ freta funt maris* ; propter eos fortaffe, qui putant, πορθμοὺς, *freta*, vocari poffe καὶ τοὺς ποταμοὺς,

ταινὰς, *ipsa etiam flumina.* Namque ex communi frequentiorique usu non certè quidem fretum, etiam flumen, tametsi meatus sit, seu trajectus angustus inter ripas duas; sed, quum ipse hic meatus fluminis appellationem sortitus fuerit, fretum definitur meatus angustus maris, terrâ utrinque interceptus atque comprehensus. Sciendum autem est, esse etiam Bosporum Cimmerium circa Chersonem, qui & Mæoticus: cujus quod angustissimum est, patet ad stadia viginti, vel aliquantò etiam plura. Dicitur autem Bosporus, propter eandem, atque ille, caussam, ab Ione bove; Cimmerius verò ab accolis, gente cognomine, de qua in historiis multa, quippe quæ Asiam aliquando ad ipsam usque Bithyniam incursaverit. Est & Bosporus Indicus. Quin & portus Byzantinus ita postea appellatus fuit, per paragrammatismum, vel maximè per eam, quæ apud Rhetores dicitur, vocabuli corruptelam: quum, ut veteres aiunt, vocari Phosphorion debuisset.

Ur-

Urbem enim quum Philippus obſidione cingeret, & cuniculos ageret, unde ex foſſâ cunicularii occulto atque improviſo emergerent, Hecate, quippe a ferendâ luce Phoſphorus, faces inde accenſas oppidanis oſtendit; itaque ab obſidione incolæ liberati, locum illum Phoſphorion vocarunt. Ad Boſporum Thracium Petræ ſunt Cyaneæ, proprio ſic nomine appellatæ, ex quibus aperit ſeſe atque expandit Pontus Euxinus, quippe qui valde diffuſus ſit, atque in magnum Orientis receſſum ſerpat. Ac vide τὸ ἀνοιγόμενος, *apertus*. Dictum namque id eſt congruenter atque appoſitè ad os, ſeu oſtium Ponti. Has autem Petras, imitatione Homericâ, vocat ἀναιδέας, *impudentes atque inverecundas*, perinde quaſi animatæ eſſent, accepto hoc epitheto ex Homero; jactatumque in fabulis ait, eas aliquando errantes, nimirum temere atque inordinatè motas, cum ſonitu atque ſtrepitu inter ſeſe concurriſſe: tametſi poſtea, nimirum poſteaquam eas Argo prætervecta

vecta est, in unum constiterint. Scribit porrò Geographus, duas ibi eas parvas esse insulas intra Pontum, alteram Europæ adjacentem, alteram Asiæ. Verùm PINDARUS, propter fabulosum illum motum, dicere etiam audet, vitæ has Petras compotes fuisse; atque in hac ipsâ duriori metaphorâ immoratus, demortuas eas narrat, cum ex eis Argo extricata est, atque evasit. De his autem scriptum est etiam in Odysseâ, quo loci agitur de Planetis. Attamen τὸ πλαζομένας, *oberrantes ac vagantes*, quod dicit hîc quidem DIONYSIUS, intelligendum præbet, posse has etiam, pariter atque Homericas illas, Πλαγκτὰς, *Planetas*, vocari. Sicuti etiam HERODOTUS tradit, cum scribit id, id, quod in Sermone erat Græcorum, eas priùs πλαγκτὰς, vagas atque erraticas, fuisse: tametsi id ipsum nominis propriè sortitæ fuerint Siculæ illæ Planetæ apud HOMERUM. Euxinum, quippe qui & innavigabilis esset, & mare Axenum, seu inhospitale, aliquando vocaretur, Euxi-

num poſteriores, mutato per euphemiſmum, bonæ ſcævæ cauſſâ, nomine, appellarunt. Dicebatur autem Axenus, ſeu inhoſpitalis, quod idem eſt, ac ſi, Sophocleo vocabulo, diceres ἀπόξεινον, vel quia non habet inſulas, quò naves ſubducantur, vel propter Scythas circumcolentes, homines planè barbaros, & cujuſcunque cum aliis gentibus commercii penitus expertes, qui & homines mactabant, & mactatorum carnibus veſcebantur, & hominum calvariis, poculorum loco, utebantur. Alii aiunt, Herculem loca illa perpurgaſſe, & Axinum in Euxinum commutaſſe. Verùm præclari id facinoris alii ad Iones referunt, qui multas in orâ maritimâ urbes condiderunt. Ceterùm ſciendum, Pontum Euxinum veteribus, propter eorum inſcitiam atque imperitiam, viſum fuiſſe marium noſtrorum maximum; quique illuc navigabant, eos in longinqua loca, atque a noſtro orbe remota abiiſſe exiſtimatos, ſimiliter atque apud nos, qui navigant extra Columnas; &, quantùm quidem

tunc

tunc homines ſuſpicione aſſequebantur, alium quendam veluti Oceanum ab iis creditum fuiſſe; & in Pontum navigare, pro eodem habitum, atque in Oceanum egredi. Quocirca, quemadmodum ſupra dictum eſt, eximiâ quadam excellentiæ notâ, propriè etiam Pontus vocabatur. Sicuti hic etiam Poëta eum vocat, cum ait: *δεξιὰ Πόντυ, dextera Ponti*, &, *καλέυσι δὲ μητέρα Πόντυ, Pontique vocant Maotida matrem*, &, Πόντυ *τὸ μυρίον ὕδωρ, Ponti innumerabilis unda*. Quia autem erat ille prorſus inhoſpitalis, & perdifficilis ejus navigatio, propterea in Pontum proficiſci, perinde erat atque in magnum malum, ut veteres aiunt: quod quidem etiam nunc obtinet, idque ſatis ſignificat Geographus. Sed & ATHENÆUS ille Dipnoſophiſta, quod dici ſolet, *ex multò longè Ponto*, idem eſſe ait, ac ſi quis dicat, *ex multo magnoque exitio*. HERODOTUS porrò Pontum hunc Euxinum dicit ſpectatu in primis dignum, atque inter omnia maria maximè admirandum: ubi etiam narrat,

quot ipſe ſtadia in longitudinem & latitudinem pateat.

XXI. Ponti hujus Euxini viæ ſemper obliquæ procurrunt, quæ & ad Septentriones ſpectant, & ad orientem: itemque duo in eo hinc & inde cacumina, promontoria nimirum atque ſummitates, alterum magis auſtrale, id eſt, Carambis, in Paphlagonum regione, quæ nominis ſui antiquitatem in hodiernum uſque diem ſervat; alterum, magis boreale, quæ Criumetopon quidem eſt, ſeu Frons Arietis, de qua jam ſupra dictum eſt: ſitaque hæc eſt apud Cimmerios. Hæc autem promontoria duo ſic inter ſeſe oppoſita, & ſublime eminent, & multum in mare ingrediuntur; quumque inter ſeſe tanto diſtent intervallo, quantum navigationis in tertium diem navis oneraria conficiat; tamen ambo adverſa coëunt, ipſa etiam eodem ferè modo, atque Planctæ Petræ: ita ut hinc Euxinus iis, qui utrinque navigant, veluti bimaris videatur, abrup-

abrupto impeditoque visu, tanquam si murus quidam interjectus esset, ab his duobus longis cacuminibus. Qua de caussâ tum ii, qui ab ortu in occasum, tum qui ab occasu in ortum navigant, mare ad ea promontoria terminari atque finiri opinantur: quippe quum eorum visus minimè ultra pervadat. Cum verò & hi & illi ad medium inter hæc promontoria intervallum perveniunt, tunc quidem certè reliquum iis mare apparet, veluti alterum ac secundum mare, sub oculos expansum atque apertum, quod minimè antea cerneretur. Nam, propter hanc istam promontoriorum horum oppositionem, eminus prospectantibus videtur quodammodo Euxinus in maria duo dividi, freto utrinque constrictus atque coangustatus: & hoc sanè modo geminum mare apparet, ut alicubi SOPHOCLES ait. Atque hæc quidem ita. Verùm de his Veteres sic breviùs atque concisiùs commemorant. Hellespontus ad Septentriones effluit in Propontidem; hæc in Euxinum, qui quodam-

modo eſt bimaris. Occurrunt namque in medio promontoria duo, diſtantia inter ſeſe ad duo ſtadiorum millia, & quingenta ſtadia: quæ etiam trajectum, qui in medio eſt, coarctant, ac contrahunt, & magna duo maria efficiunt. Sicuti Ὑψιπύλη, *Hypſipyle*, Ὑψιπύλεια, *Hypſipylea*; Ἀπάμη, *Apame*, Ἀπάμεια, *Apamea*; Πηνελόπη, *Penelope*, Πηνελόπεια, *Penelopea*; Λαοδίκη, *Laodice*, Λαοδίκεια, *Laodicea*; ἐρήμη, *deſerta*, ſeu *ſolitaria regio*, ἐρήμεια, *ſolitudo*; Κολώνη, *Colone*, Κολώνεια, *Colonea*; ſic etiam Εὐρώπη, *Europa*, Εὐρώπεια, *Europea*. Quin & Εἰδοθέαν, *Edotheam*, ipſe paulò poſt vocat Εἰδοθέειαν, *Edotheeam*. Schematiſmus autem hic eſt atque Figuratio propria Ionum. Euxinum, cujus ſupra obliquas vias dixerat, Scythico arcui extento aſſimilat. Arcus porrò Scythici, ex cornibus compoſiti. Et nervi quidem puncta ea eſſe ponit, quæ mare illud intrantibus ſunt ad dextram Ponti, nimirum quæ ſunt auſtralia, eaque

que in rectum descripta, hoc est, per lineam rectam producta, porrectaque ultra Carambin, cadentem seu positam extra eam lineam, nisi quòd Carambis ipsa non ad austrum, sed ad Septentriones respicit, ut ne nervus arcus sit obliquus, computatâ etiam atque adjectâ curvaturâ Carambeos. At verò latera Ponti borealia, quæ adnavigantibus ex Propontide sunt σκαιὰ, *læva*, nimirum ἀριστερὰ, *sinistra*, figuram habere ait cornuum duûm arcus, eo quia ipsa etiam similiter, atque cornua arcûs, utrinque a Fronte Arietis in duplicem flexum incurvantur. Quemadmodum autem Euxinus assimilatus est arcui; sic etiam sciendum, alia multa loca quibusdam variè rebus assimilari, quarum imaginem atque figuram repræsentant. Sic enim Ægyptum historia Delta dicit triangulare. Inde expressæ atque efformatæ sunt Frontes duæ Arietis, tum Cretica, tum Pontica. Sic Alexandriam chlamydi militari assimilant, Italiam hederæ, Hispaniam pelli bubulæ, Naxum

folio vitis, Peloponnesum folio platani, Sardiniam vestigio hominis, Cyprum pelli ovinæ, Africam trapezio figuræ. Atque alia etiam aliis rebus Veteres assimilant. Et observa, uti periphrasi DIONYSIUM, ut doceat, similem esse arcui Euxinum, dum ita loquitur:

> Τόρνῳ εἰδόμενον περιηγέος ἄμματι τόξου.
>
> *Torno persimilem curvati nexibus arcûs.*

Ubi τόρνον, *tornum*, dicit id, quod simile est torno: quemadmodum LYCOPHRON στρόβιλον, *conum*, id, quod simile est cono, seu coni speciem gerit. At verò ἄμμα τόξου, *nexum arcûs*, ligamentum, seu vinculum scythici arcûs. Denique περιηγές id, quod est περιηγμένον, *circumductum*: nimirum curvum. Talis porrò arcus intentus; ita ut dicat, mare Euxinum simile esse arcui, non obliquo, sed, propter nervi tensionem, ad teretem formam adducto, atque rotundato. Tensio enim cornua

in

in flexum atque curvaturam circumducit. Itaque arcus ex obliquo fit in ipsis curvaturis rotundus atque orbicularis. Cum verò ad jaciendam sagittam intenditur, tunc utique arcus fit, secundùm Poëtam, *κυκλοτερὴς*, *circularis*. Ceterùm *τὸ πελιηγὲς*, *curvum*, dicitur etiam de hamo, seu uncino.

XXII. Ad Boreales partes Euxini Mæotis palus. Accolunt eam undique Scythæ, atque ad eam terminantur. Itaque ait Herodotus, siquis Tanain trajecerit, non esse ibi ampliùs Scythiam. Mæotæ verò, gens Scythica, populosissima & fortis, homines agriculturæ dediti, ac bellicosi. Atque hanc istam Mæotin matrem Ponti appellant. Unde & quidam aiunt, eam id nominis sortitam fuisse. Μαῖα namque, nutrix. Quare etiam dicit Periegeta, immensam ex eâ Ponti aquam trahi, atque illam quidem rectâ per Bosporum Cimmerium: apud quem multi habitant Cimmerii sub frigido Tauri pede. Quin etiam tradunt nonnulli, non multò minorem esse Pon-

to hanc ejus matrem, Mæotin. Quod autem eſt ſciendum, tum *Μαιῶτις* dicitur apud veteres cum *ώ*, tanquam a *μαιῶ μαιώσω*, *obſtetrix ſum, ero*, tum *Μαιῆτις* cum *ή*, tanquam *ω μαῖα*, *obſtetrix*. Taurum porrò dicit montem alium a Tauro illo orientali, qui poſtea commemorabitur, aut illius certè Tauri partem quandam borealem, ſub qua jacent Cimmerii, gens Scythica: ubi Taurica etiam Cherſoneſus, magna oppidò regio, atque, ut aliqui aiunt, & figurâ & magnitudine Peloponneſo ſimilis, Mæotidis oſtio ab occaſu adjacens. Scythæ autem qui hîc ſunt, dicti Tauroſcythæ a monte ibi Tauro: quem & Herodotus cognitum atque exploratum habuit, quum ipſe etiam montes Tauricos Scythicos commemoret. Ceterùm de Cimmeriis quære in Commentariis ad Odyſſeam. Quod denique dicit, *ſub frigido Tauri pedè*, habet neſcio quid urbani atque ænigmatici, ex variâ atque ancipiti vocum harum ſignificatione.

XXIII. Pe-

XXIII. Periegeſeos hîc utilitatem exponit his verbis : Dicam tibi totius terræ faciem, quò, tametſi minimè eam intuitus ſis, tamen adſpectum ejus ac ſpeciem, nimirum contemplationem, facilè explicandam habeas. Inde verò & honorabilis, & venerabilior fueris, ſi hæc omnia rudibus atque imperitis hominibus deſcribendo explanaveris : adeò ut Periegeſeos, deſcriptioniſque hujus Geographicæ finis hic ſit, ut auditor rem benè percipiat, deinde ut ipſe rudiores alios, atque ignaros doceat ; horum denique rurſus finis ſit, honos, quem a diſcipulis magiſtri conſequuntur. Vide verò τὸ αἰδοιέστερος, *venerabilior*, ſeu *majori veneratione dignus*, dictum Poëticè atque ad uſum metri : uſurpaturque ea etiam vox apud PINDARUM. Quanquam ille etiam dicat ἀφθονέστερον, *copioſius*, *largius*, *uberius*, aliaque hujuſcemodi. Libyæ, ſeu Africæ, faciem atque formam deſcribunt ac delineant alii, trianguli inſtar, quod rectum unum habeat angulum. Verùm Dio-

DIONYSIUS ſimilem eam eſſe dicit trapezio, figuræ Geometricæ quaternûm laterum, quæ latus, quod eſt ſupra, minus habeat, quàm quod ſubtus extentum eſt, ut in ſubjecto exemplo:



Etenim quæ extrema ſunt Africæ ad Gades, hoc eſt, occidentalia, ea ſanè, quippe acuminata, coarctantur; quæ verò ad Orientem & Ægyptum, ea latiùs patent. Et ſic ii quidem de veteribus, quorum diligentia multò accuratior eſt atque exploratior, qui in propoſito conſentiunt cum DIONYSIO, quatenus is dicit, Africam acui in intimum Oceani ſinum ad Gades; limitem verò ejus latiorem prope a mari Arabico terminari. Attamen quibuſdam aliis videtur productior quidem eſſe linea hypotenuſa, ſive ſubtus extenta, quæ eſt juxta lit-

littus ad Septentriones; verùm, quæ adverſo eſt linea hypertenuſa, ſive ſupra extenta, eſſe illa quidem contractior atque brevior, quod eſt latus auſtrale juxta Oceanum ad Æthiopiam: ita ut figura inde conſurgat hujuſcemodi:



Quos non ſatis quis probet, ſi mentem vult DIONYSIO, ipſique rei naturæ adhibere. Aiunt autem Veteres, τὸ τραπέζιον, *trapezium*, quæ eſt figura, ex metri neceſſitate habere hîc ancipitem in penultimâ. Namque alioquin efferri id aiunt per diphthongum. Non enim diminutivum eſt a τράπεζα, *menſa*, *quaſi menſula*; Sed fit a τραπεζεύς, *conviva*, *qui ad menſam accumbit*, *ſeu ad menſam venit*, eo quia fortaſſe: οἱ πάλαι τραπεζεῖς, *qui accumbebant olim ad menſam*, menſis ii, quæ tali figurâ eſſent, propter

ter basis soliditatem ac firmamentum, uterentur. Libya porrò regia ipsa dicitur, vel a muliere cognomine, Libyâ nimirum Epaphi filiâ, vel propter loci illius siccitatem atque squallorem, paragrammatismo quodam, atque immutatione litteræ, quasi sit Λιφύη, veluti ἐλλιπὴς ὑετοῦ, *inops atque egens pluvia.* Quanquam alii dictam velint a Libe vento, utpote inde spirante: quod quidem opinari etiam videtur DIONYSIUS, ut conjicere licet ex hac istâ ejus parechosi, seu paronomasiâ:

Ἐς Λίβα μὲν Λιβύην, ἐς δ' αὐγὰς, Ἀσίην.

In Liba nam Libyen, Asiam disjungit in ortum.

Nicias autem quidam auctor est, hasce tres continentes nomen a viris accepisse, ab Europo, Asio & Libye, quemadmodum & innumera alia loca a celebribus præclarisque viris sunt appellata: puta, Persis à Perseo, Creta à Crete, Africa ab Afrâ quodam, qui Herculi ad Geryo-

Geryonis boves proficiſcenti comitem ſeſe itineris dediſſet; & loca alia ab aliis. Veruntamen obſervandum, partem quandam Libyæ regionis propriè ſic eſſe Libyam vocatam. Quippe in veterum ſcriptis invenire eſt utraſque Libyas. Id verò fortaſſe oſtendit, dici etiam Libyam trifariam, tum regionem Africam univerſam, tum ejus partem, in duas rurſus Libyas diviſam. Sicuti & Armeniam & Cappadociam in multas priſci Cappadocias atque Armenias concidunt. Quod etiam ferè dicetur poſtea de Aſiâ. Secus tamen accidit in Europâ. Illius namque pars quædam exempta eſt atque excepta ab appellatione Europæ, ut dicetur, ubi de Europâ. Narrant porrò, Libyam nutricem eſſe ferarum, & magnam partem deſertam. Veruntamen non eſt in eâ cervus, neque aper, ut veteres tradunt. Videtur etiam quadrigarum inde uſus adinventus. Quippe Herodotus teſtatur, quaternos ſimul equos jungere Græcos

cos a Libybus didicisse. Tantùm verò abesse aiunt, ut Libya, seu Africa, pars sit planè exactèque tertia orbis terrarum habitabilis, pro divisione certè in tres partes æquales, ut ne conjuncta quidem cum Europâ, æquiparari posse Asiæ videatur. Quî igitur tertia pars fuerit totius terræ habitabilis, quæ ne quarta quidem pars reputetur? quod etiam satis significat DIONYSIUS, ubi agit de Asiâ. Primâ hîc repetitione utitur in his verbis de Libyâ: ἐς νότον ἕρπει, Ἐς νότον ἀντολίην τε, *Serpit in austrum, inque austrum atque ortum.* Ubi, ornatûs ac perspicuitatis caussâ, repetit & semel iterumque dicit τὸ, ἐς νότον, *in austrum.* Regio est circa Arabiam alterorum nigrorum Æthiopum, eorum nimirum, qui sunt magis orientales, Hesperiisque Æthiopibus oppositi; namque ex HOMERO quidem, alii sunt occidentis solis, alii exorientis, ut in primo Odysseæ scriptum est. Prope ab Eois, sive Orientalibus Æthiopibus Frembi, qui clariori apertiorique metalepsi, sive interpreta-

pretatione, vocantur etiam Troglodytæ, ſic appellati διὰ τὸ ὑπὸ τὴν ἔραν βαίνειν, *eo quia ſubter terram ingrediuntur*, & τρώγλας ὑποδύουσι, *foramina, ſeu cavernas ſubeunt, atque in eas ſeſe abdunt*, propter vehementiorem æſtum ſolis. Iidemque etiam dicuntur Saraceni. Horum Eremborum regio ſimilis eſt pantherinæ, hoc eſt, pelli pantheræ, ſeu pardalis, quippe quæ ſiticuloſa ſit (verba hæc DIONYSII) atque arida, & hîc atque illic cæruleis ſquamis diſtincta, itaque, pantherinæ inſtar, varia. Verè enim ex exuſtione atque ardore Solis hæc iſta tellus verſicolor. Sed & ſunt Troglodytæ in Europâ circa Triballorum alicubi regionem, & circa Caucaſum, eumque pariter borealem: iique etiam propter magnum frigus ſubter terram δύονται, *ingrediuntur*. Quin & Parnaſſii Dytochthones tale vitæ genus conſectantur. Porro autem de Troglodytis & Erembis ſcriptum eſt etiam in Commentariis ad Odyſſeam. Ceterùm qui apud DIONYSIUM Erembi, eos

quoque Troglodytas appellatos, is ſanè oſtendit, qui prorsâ uſus oratione, ſcripſit in hæc verba : Troglodytæ, natio Æthiopica, de Nomadum genere, Arabibuſque finitima. Præſtare dicuntur celeritate curſus, & fundâ optimè uti. Idemque appellationem hujus gentis ab etymologiâ explicans, ait, eos, cum, hoſtibus inſtantibus, diffugiunt, pedum velocitate, veluti alis, ſubvectos, in foramina quædam anguſto ore, atque in occultas petrarum cavernas κaταδύεσθαι, *penitus ingredi*, iiſque ſeſe abdere. HERODOTUS denique, Troglodytas quoque Æthiopes eſſe commemorat, quo loci narrat, Troglodytas Æthiopes mortalium omnium multò eſſe velociſſimos, veſcique eos ſerpentibus ac lacertis, & in loquendo, & linguæ ſuæ proprietate, veſpertilionum more, ſtridorem edere.

XXIV. Circa cuſpidem extremam, hoc eſt, angulum, figuræ hujus trapezii, quam figuram eſſe diximus Africæ, prope a Columnis habitant Mauritani, quos

quos etiam Mauros Romani appellitabant. Beatam atque uberem regionem hi habent, magnisque & multis arboribus consitam, quibus ex arboribus mensæ maximæ, eæque uno ex ligno, conficiuntur. Quamvis autem, Nomadum more, pastoritiam vitam traducant Mauritani; tamen feruntur & nectendâ complicandâque comâ, & gestando auro, & detergendis purgandisque dentibus, & unguibus præcidendis venustatem atque elegantiam ambitiosiùs affectare. Ceterùm post Mauritanos, inquit, expansæ atque explicatæ sunt gentes Nomadum innumeræ: quos ait Herodotus Soli ac Lunæ duntaxat de ceteris diis sacra facere. Ac vide, hîc etiam gentes esse Nomadum australes, pariter atque boreales inter Scythas: quos quidem Nomades, propter vitæ genus pastorale atque pecuarium, pasci ait unà cum liberis per continentem & sylvas, oberrantes, alimentumque sibi e durâ miserâque venatione captantes. Non enim, inquit, sulcare terram aratro dicc-

dicerunt, neque ab iis ſtabulantium boum mugitus, neque jucundus plauſtri tractus auditur; ſed, ferarum ii more per ſylvas, βυκολῦνται, *paſcuntur*,

> *Ignari Cereris, neque adhuc, quid ariſta, ſcientes.*

Ac vide τὸ βυκολῦνται, *paſcuntur*, ſumptum ad explicationem etymologicam hujus ipſius appellationis Nomadum, quemadmodum etiam τὸ βόσκεσθαι, *paſci*. Nomades enim prorſus ἀπὸ τῦ νέμεσθαι, *a paſcendo*. Idem autem ferè ſignificant τὸ νέμεσθαι, itemque τὸ βουκολεῖσθαι, & βόσκεσθαι, *paſci*. Eſt autem τὸ νῆιδες, id eſt, inſcii atque inſcientes, a νή particula, & verbo εἰδέναι, *ſcire*. At verò τὸ ἀπυθέες, idem eſt atque rudes, ſeu indocti, & ignari atque ineruditi. Verùm Homerus hanc vocem de eo etiam uſurpat, quod novum prorſus eſt atque inauditum, ſeu de quo nihil famâ atque auditione accepimus, ubi ὄλεθρον, *interitum*, dicit ἀπυθέα, *inauditum*, de quo nihil auditione acceptum erat, nihil

nihil noti erat atque explorati. Plaustri porro tractum vocat τερπνὸν, *jucundum*, perinde quasi agriculturam vitamque placidam, ac quietam commendet. Namque alioqui plaustri tractus horrisonus est, non certè quidem jucundus. Μασυλῆες, *Massylenses*, dicti ἀγρόνομοι, *qui in agris pascuntur*, voce proparoxytonâ, similiter atque τὸ πρωτότοκοι παῖδες, *filii primi in lucem editi*, seu *natu maximi*: quoniam hæc vox non actionem, sed passionem significat. Notat enim hæc vox τοὺς ἐν ἀγροῖς νεμομένους, *eos, qui in agris pascuntur*, vel τοὺς κατὰ τὰ ἄγρια νεμομένους, *eos, qui agresti more*, vel *ferarum ritu pascuntur*. Polybius scribit eos Μασυλεῖς, *Massylenses*.

XXV. Carthago, metropolis est Africæ, colonia illa quidem olim Phœnicum, sita post Numidas. Dicit autem eam bene a portu stationeque navium instructam. Portum namque habet appulsu facilem atque commodum, quippe posita ipsa in peninsulâ. Multa est hæc urbs in historiis, opesque amplissi-

mas, multumque potentiæ atque virium habuit. Quare etiam DIONYSIUS præ admiratione repetitionem ejus nominis facit, in his verbis: Carthago Afrorum, priùs verò Phoenicum: Carthago, quam fama eſt, ὑπὸ βοΐ, *ſub bubulâ*, hoc eſt, βύρσῃ, *pelle*, dimenſam fuiſſe. Et altera hæc eſt apud hunc Poëtam repetitio. Semel enim, iterumque ac tertiò, dicit hoc loci, *Carthago*. Aiunt porro, Carthaginem, quum deſolata vaſtataque fuiſſet, eo ferè tempore, quo & Corinthus, denuo reparatam atque inſtauratam, hoc eſt, rurſus erectam, ſeu reædificatam, a Cæſare, qui deus eſt appellatus, cujus filius Auguſtus, miſſis eò in coloniam Romanis. Proditum quoque eſt, Tarſis in libris divinis, non Tarſum ipſam, ut volunt nonnulli, ſed Carthaginem hanc vocatam, quæ Africæ præſideret. Ceterùm de pelle bubulâ, quam diximus, hiſtoria fertur hujuſcemodi. Dido, Pygmalionis ſoror, Agenoris, ſeu Beli, Tyriorum regis, filia, quæ vocata etiam Eliſſa atque Anna,

Anna, Sychæo, homini Phœnici, nupta, domicilium habebat Tyri. Hominem hunc Pygmalion secum peregre profectum, per insidias incautum interfecit, cupiditate divitiarum. Ille verò, re in somniis uxori significatâ, fugere eam jubet. Non enim ampliùs credendum esse Pygmalioni, qui legitima & sacrosancta naturæ jura opibus atque divitiis postposuisset. Hæc igitur, assumptis secum Tyriis quibusdam, pecuniisque secum ablatis, in Africam trajecit. Sed, rejiciente eam Jarbante, Numidarum & Mazicum rege, rogavit mulier, tantum ut sibi agri pretio daret, quantum ῥινὸς, *corium*, pellis nimirum bovis occupare posset. Qua re impetratâ, eo quia parvi rem momenti postulasse visa esset, corium accepit, eoque minutatim dissecto, minutisque illis corrigiis extentis, regionem obtinuit circumcirca loro illo & in longitudinem & in latitudinem comprehensam. Commento hujuscemodi amplos latèque patentes fines urbi circumscripsit. Itaque

Carthago, quum jam inde ab origine Phœnicum fuerit, qui una cum Didone venerunt, nunc est Afrorum. Hanc istam porro mulierem ii, qui circumventi fuerant, patriâ linguâ Didonem vocarunt, perinde ac si quis interfectricem eam viri dixisset, illam calumniantes, tanquam si, ob cædem a fratre commissam, interfecti ipsa viri culpâ teneretur. Arx autem hujus urbis, propter hanc istam pellem bovis, de qua commemoravimus, Byrsa est antiquitus appellata. Narrant etiam, Jarbantem, cum, de quo diximus, quum, ædificatâ urbe, eam lustrasset, Afrorum linguâ, Novam urbem vocasse; sed eam ipsam postea Καρχηδόνα, *Carthaginem*, nuncupatam. Alii tamen sic memorant: Carchedon urbs, *i. e. Carthago*, a Carchedone quodam, homine Phœnice. Vocata est etiam Nova urbs, & Cadmea, & Caccabe, quod quidem, patriâ ipsorum linguâ, caput equi significat. Ex eâ fuisse aiunt Clitomachum, Philosophum Academicum, eundemque

que Afdrubalem vocatum, qui Carneadem Philofophum audivit; quem quidem hominem, octo jam & viginti natum annos, narrant, quum Athenas vel primorum elementorum expers veniffet, tamen ingenii acumine, fummâque exercitatione atque induftriâ in magnum philofophum evafiffe. Illud præterea de Carthagine ab aliis proditum eft, eos, qui de Eliffæ comitatu erant cum Didone, dum fundamenta urbis agerent, invento inter fodiendum capite bovis, a fodiendo deftitiffe, perinde quafi, quæ mala boves tolerant, labores perpetuamque ipfi fervitutem infpectaffent: fed, quum alicubi circa palmam plantatam fodiffent, inveniffe eos caput equi; indeque conjectantes, otium fibi laborumque vacationem portendi, &, quemadmodum equis, fic etiam fibi alimentum ab aliis fuppeditatum iri, Carthaginem hoc ifto in loco ædificaffe: tametfi idem locus aquam ad bibendum idoneam minimè omnium haberet. Qua etiam fortaffe de cauffâ

Caccabe appellata eſt, ut expoſitum eſt ſupra. Poſt Carthaginem Syrtis minor, quæ etiam Lotophagitis: poſt quam ad ortum ſolis altera ſeſe offert, atque illa quidem immenſa, fluentiſque amplioribus onerata. Magnum porro multiſque difficultatibus plenum, periculum eſt Syrtium, ut veteres aiunt, propter fundum limoſum, atque etiam quia in æſtibus illic maritimis tum refluentium, tum affluentium aquarum, contingit, ſecundùm Geographum, ut, qui eò fortè navigando ſuperveniunt, incidant in brevia, ibique conſidant, raròque naves ſerventur. Idque DIONYSIUS apertè indicat illis verbis: *ubi modò, Tyrrheno mari intumeſcente, inundatio excitatur; modò æſtus reciprocatio ſiccas aridaſque arenas percurrit*; tranquillo nimirum mari, & pacem habente, nulliſque fluctibus concitato. Idemque ipſe DIONYSIUS de Syrti minori dixerat etiam ſupra:

Eminus

Eminus undarum venientem suscipit
æstum.

Limosus autem hic locus, ut dictum est, neque mare semper profundum; sed quod statis certisque quibusdam temporibus magnam vim aquarum attrahat. Unde & syrtis vocatur ἀπὸ τοῦ ἐπισύρειν, *ab attrahendo.* Et Syrtis quidem minor, ambitu patet ad mille & sexcenta stadia; Syrtis verò majoris circuitus est quinque millium stadiorum. Mare autem, quod ante eas jacet, Libycum vocatur, quod ad Ægyptum desinit. Ceterùm ἄμπωτις est siccatio, & ἀνάπωσις, *iterata sorbitio*, aquæ refluentis, certis temporibus veluti per circuitum recurrens, quasi sit ἀνάπωτις, & per Syncopen, ἄμπωτις. Id autem rei est, quod multis in locis accidit, ut aqua veluti revertens, per summa feratur ac redundet, ac, dum veluti resorbetur, per certas quasdam temporis vices, sub terram subeat. Caussam verò hujus rei esse aiunt, spiritum subterraneum, modò adven-

adventantem, modò abeuntem, ac recedentem, cum aqua ſurſum verſus impulſa, deinde unà deſcendens atque demerſa, facit τὴν ἄμπωτιν, *refluxum* ſeu *receſſum æſtus*, quæ quidem ἄμπωτις, ut dictum eſt, ſic vocata eſt ἐκ τῆς ἀναπώσεως, *a novâ iteratâque ſorbitione* quemadmodum rurſus e contrario ἡ πλημμύρα, *alluvio*, ſeu *æſtuantis maris inundatio*, ſic nominata eſt, tanquam a πλῶ πλήσω, *impleo*, *implebo*, quod eſt ἀναπληρῶ, *repleo*, ex quo etiam ἡ πλήμη, *affluentium aquarum exundatio*, apud Geographum, unde per denominationem quandam ac paragogen deducta eſſe videtur ἡ πλημμύρα. Quin etiam fortaſſe ex hac iſtâ πλήμη, *quæ eſt alluvio*, *affluentiumque aquarum æſtuatio*, dicitur etiam τὸ πλημμυρεῖν, *nimio æſtu exundare*, tum de ſtomacho nimiis humoribus diffluente, atque flacceſcente, tum in aliis etiam ſignificationibus per metaphoram.

XXVI. Media inter ſyrtes Neapolis, quæ & Leptis parva, ultra cujus regio-

regionem Lotophagi habitant, homines hoſpitales, de quibus in Odyſſeâ: quò, inquit, venit olim errans ac vagans Ulyſſes. Eſt autem & in Campaniâ Neapolis, urbs inſignis ac perilluſtris, ut dicetur. Naſamones, gens Libyca, eodem prorſus nomine vocata, atque rex ille, a quo nomen habet, qui dictus Νασάμων, *Naſamon*, voce barytonâ: tametſi, quod inde eſt, nomen gentile acuatur, ad differentiam fortaſſe nominis proprii. Hos, inquit, Jovis minùs curantes, haſta perdidit Auſonia, quippe qui, illatis contra jus atque fas manibus, initium injuriæ feciſſent. Ducem enim neſcio quem Romanorum, quum eò locorum deveniſſet, fraude ac dolo interfecerunt. Quare etiam a Romanis redacti ſunt in ſervitutem. Alii verò aiunt, bello eos devictos fuiſſe, quo tempore bellum, quod civile dictum eſt, exarſerat, quòd arma pro Catone contra Cæſarem ſumpſiſſent. Naſamonis autem, a quo gens ea denominata, genus referunt ad Garamantem quendam,

dam, qui & Amphithemis eſt nuncupatus: a quo & Garamantes, gens Libyca, nomen acceperunt. Ceterùm Naſamones, cum peregre abeunt, alas ſuper capita erectas habent, ut teſtatur Dio. Alii verò hos tradunt multas uxores habere, mulierumque uſum communem atque promiſcuum facere. Ferunt etiam, eos, ad majorum ſuorum monumenta ventitantes, ex ſomniorum viſis vaticinari: iis autem, qui inter ipſos juſtitiâ maximè excellunt, tantum honoris ac dignitatis tribuere, ut vel per eos demortuos, tactis eorundem ſepulcris, jurent. Quin etiam narrant, demortuos ab iis ſedentes ſepulturæ mandari; veſcique eoſdem attelabis, ad ſolem exſiccatis. Locuſtæ genus, attelabus.

XXVII. Mediterranei in Africâ Asbyſtæ, quæ gens eſt, ubi multâ ſub arenâ decantatum illud celebratumque fanum Ammonis, dei Libyci. Et hujus quidem loci nomen gentile, Ammonii: apud quos fertur eſſe fons Solis, qui

qui quaternis & vicenis quibusque horis, quemadmodum ab Herodoto proditum est, frigescendo & calescendo per statas in circuitum vices subinde mutatur. Ac traditum etiam est, oracula in Ammonis dari solita per symbola, seu signa, nimirum per gestus quosdam, & nutus ac renutus. Illud porrò, ψαμάθῳ ὑπὸ πολλῇ, *arenâ sub multâ*, caussæ atque argumento est etymologiæ, quippe quum Ammonis etymologia desumatur παρὰ τὴν ἄμμον, *ab arenâ*, cujus vim permagnam eò auster importat. Verùm alii volunt, Jovem, qui ibi colitur, vocatum fuisse Ammonem a pastore quodam cognomine, qui templi illius fundandi auctor extiterit. Fit autem de Ammone nonnulla etiam mentio apud Pindarum. Ac Herodotus quidem, quum idem existimet, Ammonem dicere & Jovem, fuisse ibi ait simulacrum Jovis facie arietinâ, a quo gens illa, Ammonii. Ammun enim vocari ab Ægyptiis Jovem. Unus verò quidam de magnis philosophis idem

esse

esse tradit, Amun dicere ac patrem. Hoc porrò oraculum aiunt Thebæam mulierem, Thebæi Jovis sacerdotem, constituisse. Narrant præterea, Alexandrum illum Macedonem, quum fando accepisset, Perseum atque Herculem ad Ammonis ivisse, ambitione gloriæque studio succensum, ipsum quoque eò ire voluisse, itaque fecisse, viam ei corvis feliciter præeuntibus: tametsi alioquin viarum vestigia, affusis atque aspersis arenis, deleta penitus essent atque ablata: quando, inquiunt, Ammonis sacerdos, quum in compellando Alexandro pro παιδίον, *filiole*, barbaricè dixisset παιδίος, visus est, tanquam in oraculi ambagibus, obliquè eum appellasse, ὦ παῖ Διός, *o fili Jovis*: Sic perditis illis adulatoribus vocis illius barbariem accipientibus atque interpretantibus. Cyrenem vocat εὔϊππον, *bonis equis præditam*, sive, ut alii scribunt, εὔπυργον, *bene turritam*, &, Ἀμυκλαίων γένος ἀνδρῶν, *Amyclæorum genus virorum*: nimirum Laconum tanquam a parte. Pars enim

enim Laconum, Amyclæ. Colonia eſt Cyrene Theræorum inſularium; qui jam inde a principio & Lacedæmone demigraverant. Theras enim ille, qui eò coloniam deduxit, oriundus erat a Laconibus, ut PINDARUS etiam tradit, qui εὔιππον quoque, *equis præſtantem*, ſeu *equorum bonitate inſignem*, Cyrenem eſſe teſtatur, eamque paſſim laudibus celebrat. Sed & vocata eſt Cyrene Pentapolis, ex qua Orator ille Syneſius. Hanc etiam ferunt, everſo Perſarum regno, ab Alexandro inſtauratam fuiſſe. Appellata autem eſt Cyrene, vel a Cyrene, Hypſei filiâ, ſecundùm Pindarum, vel a fonte ejus loci Cyre. Dicuntur item Cyrenæi arte olim & ſcientiâ medicâ floruiſſe, quemadmodum ab Herodoto proditum eſt. Fructuum verò adeo ferax eſt ac fertilis Cyrene, ut autumnum Cyrenæi uberrimo fructuum proventu ad menſes octo habeant. Eſt ibi etiam fons, quem dicunt Apollinis, locuſque ibi eſt adeo felix, ac beatus,

ut in ſermonem hominum venerit, coelum ibi pertuſum eſſe ac perforatum.

XXVIII. Marmaridæ, quæ gens eſt, *περινενεύκασιν* Αἰγύπτου, *propendent*, ſeu *inclinant in Ægyptum*: nimirum πρὸ τῆς Αἰγύπτου τέτανται, *ante Ægyptum extenti ſunt*, ſeu *in Ægyptum protenti*. Sic autem vocantur a Marmaridâ quodam, Arabis filio; eorumque regio, Marmarica. Garamantes denominati ſunt, ut ſupra dictum eſt, a Garamante quodam. Hi ceteros omnes homines, & omne alterius cujuſquam conſortium, atque colloquium fugere dicuntur; & neque arma habent bellica, ut narrat HERODOTUS, neque ſeſe defendere vimque alienam propulſare noverunt. Habitant autem in regione plenâ ferarum, poſt Naſamones, ad auſtrum ventum. *Γαίτουλοι*, *Gætuli*, maxima gens Libyca. Hos ATHENODORUS *Γαιτουλίους*, *Gætulios*, vocat. HERODIANUS autem accentu effert acuto in antepenultimâ, ubi docet, deſinentia in λός, quæ in penultimâ diphthon-

thongum habeant οὐ, accentum habere acutum in antepenultimâ. Ubi etiam tradit, aſparagos apud eos maximos naſci. Intimis in ſeceſſibus continentis Libyæ ad auſtrum extremi omnium Æthiopes ad Oceanum ipſum paſcuntur, ubi Tempe, hoc eſt, loca ſilvoſa, & paluſtria, ultimæ Cernæ. Hanc Cernam alii inſulam eſſe aiunt in Oceano, alii minimè id probant: ac ejus præterea ſitus in controverſiam venit. Alii namque ponunt eam Orientalem, ut indicat etiam LYCOPHRON; alii Occidentalem; DIONYSIUS verò & alii, auſtralem, qui DIONYSIUS quum dicat τέμπεα Κέρνης, *Tempe Cernes*, eam quoque paluſtrem obiter ſignificat. Paluſtria enim Tempe, ut & Tempe Theſſalica, ac ſimiliter etiam Medica. Verùm Geographus ſatis declarat, mentiri eos, qui extare Cernen affirmant, ubi ita loquitur: Cernen ERATOSTHENES nominat, & alia loca, quæ nuſquam gentium cognita ſunt. LYCOPHRON verò,

rò, occidentalem quandam Cernen, ultra Tyrrhenum mare, satis indicat ac demonstrat, ubi Cerneatim insulam commemorat, quæ sanè per paragogen a Cerne denominata esse videatur. Macrobios porrò, qui de Æthiopibus sunt, tradit HERODOTUS, mortalium omnium esse maximos atque pulcherrimos, vescique eos carnibus coctis, & lac bibere, vitamque ad centum usque & viginti annos producere. Quin & nonnullos ait ætatem hanc excedere: rarissimum porrò apud eos esse & pretiosissimum æs; permultum verò esse auri; &, qui apud eos in vinculis detinentur, vinctos esse compedibus aureis. Ferre autem regio eorum dicitur elephantes grandiores atque ebenum. Sed & alii sunt ex Herodoto Æthiopes, non in terris ii quidem extremis; sed ad Ægyptum, quos Cambyses in potestatem suam redegit: propter quos ipsa etiam Ægyptus vocata est aliquandò, ut paullò post dicturi sumus, Æthiopia.

XXIX. Blem-

XXIX. Blemmyum *κολώνας*, *rupes*, summitates nimirum atque eminentias, dicit catarractas duos, seu Catadupa, & præcipitia, per quæ, ut ait, descendunt atque præcipites devolvuntur aquæ pinguissimi Nili, hoc est, terram ibi pinguefacientis atque foecundantis. Æthiopum autem imperio subjecti sunt Blemmyes, sic vocati a Blemmye quodam, qui Deriadi regi, dux ipse secundarius, auxilio fuit in gerendo bello contra Liberum patrem. Et sunt ipsi etiam Blemmyes gens Æthiopica. Quocirca eos vocat DIONYSIUS *αἰθαλέους*, *cineritios*, *fuligineos*, *perustos*, a verbo *αἴθω*, *uro*, *peruro*, seu *ardeo*, ex quo etiam οἱ Αἰθίοπες, *Æthiopes*. Quin etiam eos esse ait prope Cernen, de qua supra dictum est. Καταῤῥάκται porro, *Catarractæ*, in Prosoedia Catholicâ loca dicuntur petrosa, quæ amnes per alveum defluentes, si aquarum cursum reprimentia atque inhibentia offendant, magnâ vi aquarum collectâ, transcendunt: unde etiam, exundantium aqua-

rum affluxum, καταῤῥάσσουσι, *cum impetu decidunt*, nimirum desuper per vim ac violentiam descendunt, ex quo etiam coeli catarractas dicimus; & avis quædam de genere aquilarum, catarractes vocatur, quippe quæ in avibus captandis desuper καταῤῥάσσει, *praeceps deferatur*. Nilus, qui multus sanè & copiosus ex Africâ orientem versus serpit, usque ad urbem quidem Syenen, quam vocant, Siris appellatur ab Æthiopibus, a quibus etiam fluere incipit. Verùm ei Syenitæ στρεφθέντι, *converso*, hoc est, ad boream deflectenti, atque declinanti, nomen in Nilum commutaverunt. Multa porrò in historiis Syene, a Syene quodam sic vocata: qua in urbe puteum esse aiunt, æstivas solis conversiones, seu æstivum solstitium, incolis commonstrantem: ubi & horologiorum styli, seu gnomones, in meridie carent umbrâ, eo quia illa loca jacent sub Tropico. Ceterùm τὸ Σῖρις, *Siris*, alii nomen affirmant esse barbarum, nimirum Æthiopicum, ut visum

est

est DIONYSIO. Quare neque oportere aiunt Græcam ejus etymologiam anquirere, ut neque Siridis Italicæ Urbs, Siris illa. Alii verò vocis hujus etymon reddere atque exprimere conantur à Sirio stellâ. Narrant enim, sub Cane, cujus quidem pars, sirius stella, exundare ac restagnare Nilum, quum, exoriente Cane, adscendat atque augeatur, quo sanè tempore æstus fiunt Caniculares, quæ apud nos ex communi linguæ usu κυνοκαύματα appellantur. Alii etiam τὸ Σῖρις deducunt ab εἴρω, quod significat connecto, complico, conjungo, coagmento: quoniam εἱρμῷ τινι, *serie, & nexu quodam*, atque ordine fertur, nec præter statam præfinitamque diem adscendere præoccupat. Quocirca & ejus exundatione incolas aiunt annum dimetiri: quin & ipsum Νεῖλον, *Nilum*, quum unâ simplicique litterâ ancipiti ἰ scribi deberet tanquam ἀπὸ τῆς ἰλύος, à *limo*; tamen idcirco referre autumant scripturam per diphthongum, ut quantitate earum litterarum, ex quibus constat,

ex vi & significatione earundem arithmeticâ, annuum tempus complere possit. Namque τὸ Νεῖλος, collectâ vocis hujus quantitate ex vi componentium litterarum, numerum conficit CCCLXV. quot etiam sunt dies in anno. Itaque ostenditur ὁ Νεῖλος, *Nilus*, *κατὰ εἱρμόν τινα*, *serie & nexu quodam*, ferri. Quanquam alia etiam vocabuli hujus Νεῖλος etymologia excogitata est ab agendo νέαν, nimirum *ἐνιαυσίαν ἰλὺν*, *novum limum*, nimirum *annuum*, quasi sit veluti Νέϊλος, *agens novum limum*. Sic igitur & ipse Poëta dicit, nullum alterum quenquam fluviorum, neque in limo jaciendo, neque in soli felicitate augendâ, similem esse Nilo. Ideoque *ἐργατικὸν ποταμὸν*, *operosum fluvium*, vocat eum HERODOTUS. Nilum autem magnam vim limi jacere, id etiam declarat, quod est in hominum sermone, adventitiam esse Ægyptum, & donum fluminis, ex hujusce limi aggestione. Ferunt enim, universam Ægyptum paludem aliquando fuisse. Aliqui verò, Ni-

Nilum nomen accepiſſe aiunt à Nilo quodam de poſteris Atlantis, qui ibi locorum regnaverit. Alii, Melanem priùs vocatum, poſtea a Nilo quodam, regis filio, qui ſeſe in eum fluvium projecerit, nomen in Nilum commutaſſe. Eos tamen, qui ſic eum a Nilaſio quodam appellatum fuiſſe aiunt, minùs rectè dicere demonſtrat Arrianus. Septem per oſtia volutus Nilus, in mare erumpit, aquâ *παίνων*, *pinguefaciens*, ſeu *pinguius reddens*, ſolum pingue Ægypti. Quocirca eum etiam ſupra *πότατον*, *pinguiſſimum*, nuncupaverat. Verùm Geographus ſcribit, præter ſeptem hæc oſtia, alia quoque eſſe falſa oſtia, eaque ignobilia atque obſcura. Herodotus tamen quinque eſſe oſtia Nili teſtatur, naturalia nimirum, ſeu nativa, quia oſtia duo ſunt effoſſa. Narrat enim, Nilum, initio a Catadupis ducto, mediam Ægyptum uſque ad mare interfluere; eoque trifariam ſciſſo atque diſſecto, diſcidium quidem ejus orientale, oſtium Peluſium facere; Heſperium verò, Ca-

nobicum vocari; medium denique, Sebennyticum, ex quo discinduntur Saiticum, atque Mendesium; itaque quum germana & nativa ostia, quinque collegerit, reliqua duo, Bolbitinum & Bucolicum, non ostia nativa esse ait, sed effossa. Atque hæc quidem ita. Ægyptus verò usque adeò aquis abluitur, ut & fluviatilis a quibusdam insula vocitetur. Quod autem sciendum est, tradit HERODOTUS, incognitos esse fontes Nili. Quare neque ipse habet dicere hujus fontes. Ego verò, inquit, existimo, neque alterum quenquam Græcorum. Veruntamen alii affirmant, Nilum ortum ducere a montibus nimirum Lunaribus, atque a regione cinnamomi ferace ex ultimis finibus Æthiopicis, totamque rectà Ægyptum percurrere, ita tamen ut & ipse cubitum faciat, suumque hunc flexum a parvo catarracte supra Syenen, urbemque Elephantinam incipiat; itemque in eum ab ortu amnes duos influere, qui Meroëm insulam per-

permagnam atque percelebrem circumplectantur: quorum unus Astaboras, alter Astapus vocatur. Quanquam HERODOTUS Nilum esse velit magnum naturâ, sibique ipsi sufficientem: quo loci affirmat, neque fontem, neque ullum omnino fluvium in eum ingredi. Parvus autem ille, quem diximus, catarractes sic describitur, ut supercilium sit petrosum, supernè ἐπίπεδον, *planum*, hoc est, latum; fluviumque excipiat in præcipitium quoddam desinentem, per quod præceps aqua dejicitur. Aiunt porrò, impleri Nilum imbribus æstivis, &, post dies quadraginta, quot sanè diebus excrevit, sensim decrescere; Ægyptum verò, eo excrescente, pelagus imitari, ita ut quæ in collibus aut aggeribus ædificia sunt, eminus intuentibus insularum ea speciem præ se ferant. Traditum quoque est, Nilum a solstitio æstivo paullatim πληθύνειν, *crescere atque augeri*, hoc est, πλημμύρειν, *exundare*, *ac restagnare*, usque ad dies centum; postea,

ſtea, relicto fluento, retroque converſum, brevem modicumque totam hyemem permanere; lapidem item in Nilo gigni aſſimilem fabæ, quem ſi viderint canes, non latrant. Maximè autem ad nutriendum idonea dicitur eſſe aqua Nili, a concoctione ibi moderatâ ſolis, & magna quæque producere; genitaliſque eadem eſſe atque foetifera. Quare etiam interdum mulieres uno partu foetus quaternos edere; jam verò etiam, ſecundùm Ariſtotelis hiſtoriam, ſeptenos. Nilum dicit permultum limi jacere, ut ſupra quoque ſcriptum eſt, atque ad beatam ſoli ubertatem augendam vim magnam habere. Quin & eum ipſum dicit Africam ab Aſiâ dirimere, ita ut Africam, ſeu Libyam, ſitam relinquat ad Libem; Aſiam verò ad ortum. Verùm obſerva, ut & hoc loci, & alicubi poſtea, Aſiam, vocat Aſidem per denominationem, non quidem certè per diminutionem. Non enim veriſimile, neque porrò conſentaneum, voluiſſe eum

eum per diminutionem continentem tantam efferre. Sic verò etiam Amazones per denominationem dictæ Amazonides; & apud Euripidem Majas, mater Mercurii Maja. Et sic etiam Tyrrhenum mare, quæ est θάλασσα Tyrrhena, vocat DIONYSIUS Tyrrhenidem.

XXX. Ægyptios iis laudibus celebrat, ut eos dicat genus præclarorum virorum: qui primi, inquit, vitæ vias, hoc est, artes, a sese adinventas, διεστήσαντο, *distinxerint*. Nimirum diviserunt, puta, in agriculturam, & rem militarem, & sacrificiorum, ceremoniarumque religionem, & alia hujusccemodi. Primi etiam, inquit, optabilis aratri periculum fecerunt, & semen super sulcum rectissimum expanderunt. Primi etiam lineis coelum dimensi sunt, eo quia nimirum solis conversiones, seu solstitia, adinvenerunt, &, tanquam reverâ ingeniosi, planèque sapientes, θυμῷ, *animo*, hoc est, suopte ingenio, suo marte, animique sui perspicaciâ, neque ab

alio edocti, obliquum ſolis curſum conſiderarunt. Atque ita quidem Periegeta magnificè eos extollit. Quin & HERODOTUS ſcribit, primos mortalium Ægyptios annum adinveniſſe; Ægyptiorumque maximè celebres atque inſignes eſſe Heliopolitanos. At enim ex aliâ hiſtoriâ Ægyptii vafri & verſipelles eſſe noſcuntur, ut & tacitè indicat THEOCRITUS. Unde etiam *αἰγυπτιάζειν*, *Ægyptiaſſare*, ſeu *Ægyptiorum more agere*, dicitur, ſubdolè ac verſutè ſeu fraudulenter agere; atque in ſermonis conſuetudine eſt adagium:

Sciti ſtruendis machinis Ægyptii.

Sed & eos traditum eſt redactos a Perſis in ſervitutem fuiſſe. Ægyptus autem cognominis eſt Ægypti, qui Beli filius, Danai frater fuit. Ad hæc feruntur Ægyptii capita radere, & os ad ſolem craſſum facere. Quare etiam, ut aiunt, quàm pauciſſimi calvi ſunt in Ægypto. Atque hæc ſanè Ægypti encomia, ex DIONYSII quidem ſententiâ, non parum,

parum, ut ipſe dicit, honoris ſunt conſecuta. Neque verò, quod ad magnitudinem attinet, parva eſt Ægyptus; ſed, præ aliis regionibus, bene a paſcuis pratiſque inſtructa, & eximia omnia atque præclara producit. Alii verò, quum eam naturâ munitam eſſe commemorant, & terrâ acceſſu difficilem eſſe aiunt, & mari importuoſam; itaque illud, δολιχὴν ὁδὸν καὶ ἀργαλέην, *longam viam atque difficilem*, ideò ab HOMERO dictum eſſe affirmant, quia locus ille inhoſpitalis eſt, atque importuoſus. Hæc iſta autem regio, quemadmodum ex hiſtoriâ compertum eſt, vocata eſt olim & Aëria, & Potamia, & Æthiopia, propter eos, qui ibi ſunt, Æthiopes, de quibus multi veterum narrant: immò verò & Aëtia, ab Indo quodam, cui nomen Aëto; nec non Ogygia, & Melambolos, & Hephæſtia, ſeu Vulcania.

XXXI. Ægypti totius figura tribus in lateribus inſiſtit. Triangularis namque eſt, quippe aſſimilis litteræ Δ. Jam verò

verò ſic etiam vocatur Delta Ægyptium. Perhibent enim, in parte auſtrali Ægypti montes eſſe duos, horumque in dextro ſitam eſſe ab oriente Syenen, de qua ſupra dictum eſt; uſque adeo autem prope a ſeſe hos eſſe montes, ut, quod medii eſt inter eos ſpatii, ne ad ſeptem quidem ſtadia pertineat; atque ex his anguſtiis incipere ibi regionem ſeſe dilatare, Boream verſus ad mare, tanquam Delta, ſive figurâ triangulari. Eſt autem ſpatium, quod diximus, ſeptem ſtadiorum, acumen hujus Delta, unde Nilus magno cum impetu decidit, ut teſtatur etiam Herodotus. Perhibent etiam, in mediâ ipſâ Ægypto ab ipſo eodem Nilo alteram effici triangularem figuram, quæ & ipſa Delta appelletur: cujus quidem baſis inter Peluſium & Heracleum oſtium Nili; laternum verò, dextrum ad Peluſium, ſiniſtrum ad Canobum & Heracleum. Quin & Delta vocari aiunt locum, & pagum quendam, ſitum in vertice hujus Delta. Et obſerva, videri ex iis, quæ diximus, litteram Δ figurâ

gurâ esse apud Veteres triangulari. Unde etiam δέλτοι, *delti*, propriè quidem tomi, quicunque, dum plicarentur, triangularem figuram referebant, sicuti etiam nunc quidam faciunt: veruntamen postea dicti generatim libri ab usu vetusto, similiter atque πυξία, *buxa*, *tabellæ ad scribendum*, eo quia prisci in tabellis e buxo litteras inscribebant. Quod autem sciendum est, narrat etiam XENOPHON, locum quendam esse Thraciæ, qui Delta vocitetur. Trianguli hujus Ægyptii id, quod ad basim in latitudinem extentum est, jacet ad littora borealia, ut scriptum etiam supra; quod verò ad verticem acutum est, ad auroram trahitur. usque ad præruptam illam valdèque præcipitem Syenen; idque utroque monte septum ac munitum est. qui montes Catarractæ appellantur: inter quos, ut scriptum supra, aquæ Nili pulchrè fluentis descendunt. Verùm quod ait, ἐπ' ἠῶ, *ad auroram*, Veteres hîc observant, non eo sanè significari orientem. Atque ii quidem rectè. Au-

 strale

ſtrale enim prorſus & meridionale eſt, non certè quidem orientale, quod in Deltæ acumen deſinit. Propterea igitur auroram, ſenſu magis corporeo, Memnonis matrem intelligunt, deam illam Diem prope Æthiopes, ad quos mucro, ſeu acumen Deltæ reſpicit. Cujus quidem Diei in Thebis illis auſtralibus ſtatua erecta eſt, ut dicetur.

XXXII. Thebes Ægyptias numero effert ſingulari, & hanc iſtam Thebam, urbem vocat perquam glorioſam, & Ogygiam, & portas centum habentem: ubi, inquit, clamore edito, Memnon exorientem Auroram ſuam, hoc eſt, matrem Diem, ſalutat. Quippe ſimulacrum eſt viri, quod machinâ quadam, ſimul atque dies illuceſcit, vocem edit, itaque quodammodo ex ſe ipſo ſponteque ſuâ Diem ipſam alloquitur, perinde quaſi eam ſalutet. Cujus quidem Diei filius eſſe ferebatur, eo quia pulcherrimus fortaſſe inter Æthiopes fuerat, ſoluſque inter eos colore ſupra modum candido prædirus, patre natus

natus Tithono, Laomedontis fratre, quem LYCOPHRON ad Cernen amandat, qua de supra scriptum est. Aiunt autem, has Thebas vocatas esse aliquando Diospolin, seu urbem Jovis; atque eas etiam laudibus extollit Poëta in Iliade. Novem porrò Thebæ memorantur, quarum una hæc Ægyptiaca, urbs olim quidem certè maxima, ita ut in portas centum aperiretur, atque ad stadia quadringenta & viginti protenderetur; nunc verò in uno duntaxat nomine posita, eo quia diruta funditus est, atque eversa. Perhibent enim, Cambysem, regem Persarum, solo eas æquasse. Ceterùm in his istis locis minimè omnium pluere, satis is declarat, qui admiratur, quòd, Psammenitæ temporibus, qui filius fuit Amasis, minutis guttulis decidentibus, Thebæ maduerunt. Et multi & opulenti homines regionem Ægypti habent, ut Thebæi ii, de quibus diximus, & Alexandrini, & Heptapolitæ mediterranei, & qui maritimam regionem incolunt ad Serbonidem. Palus

hæc eſt atque regio, ubi delituiſſe ferunt Typhonem, eaque vicina Caſio monti, qui eſt juxta Peluſium. Peluſiotæ tamen ſunt extra hos fines Ægypti. Peluſium enim jam eſt Aſiæ. Heptapolis illa Ægypti vocata eſt etiam poſtea Arcadia, tanquam ab Arcadio Imperatore. Antea verò Heptanomos, ſive etiam Heptanomia eſt appellata. Et hoc quidem nomine vocabatur, eo quia ἑπτὰ νομὺς, *ſeptem præfecturas*, habebat, quales Libycas, ſeu Africanas eſſe vult communis uſus loquendi, perinde ac ſiquis diceret ἐνοείας, *provincias ſuis limitibus incluſas ac definitas*. Heptapolis verò dicebatur ἀπὸ πόλεων, *ab urbibus*, Nilo adjacentibus, ſex quidem a ſiniſtrâ, Memphi, Dioſpoli, Memnoniâ, parvo magnoque Catarracte, & Syene; unâ verò a dextrâ, Babylone. Verùm alii aliter hujuſcemodi ἑπτά πόλεις, *ſeptem urbes*, enumerant, quatuor Thebaidis, quæ ſunt Panopolis, Antinoi urbs, Lycopolis & Hermopolis; & tres Arcadiæ,

diæ, Heracleopolim, Ozyrynchum, & Memphin.

XXXIII. Ægypti ad zephyrum, non valde procul ab ostio Nili Canobico, oppidum est Macedonium, idest, urbs cognominis Alexandri illius Macedonis, in qua etiam, efferente eum Ptolemæo, sepultus est, positusque in alveo aureo: quem quum postea Coccyx ille, qui cognominatus est Ptolemæus subdititius, abstulisset, cadaver in alveo vitreo reposuit. Alexandriæ in historiis supra octo & decem enumerantur. Harum hæc etiam una, urbs Libyca, sive Ægyptia: atque hanc aliis quoque variis nominibus vocatam olim fuisse ferunt; nominatamque etiam Leontopolim, propter hunc istum Alexandrum, Olympiadis filium, cujus Olympiadis venter leonis imagine obsignatus fuisse traditur. Ferunt etiam, cum de urbe ædificandâ a principio cogitarent, atque considerarent, eaque urbs describeretur, non fuisse ad manum cretam, qua ad describendum atque metandum ex more opus erat; ita-

que farinâ eam urbem deſcriptam fuiſſe, eamque farinam advolantes aves diripuiſſe; idque tunc ominis Alexandro fauſtum atque auſpicatum viſum fuiſſe, inde nimirum conjectanti, urbem illam multorum altricem futuram. Quin etiam ferunt, vocatam eam olim *πόλιν*, *urbem*, per excellentiam, ut nunc *ἡ Κωνςαντίνυ πόλις*, *Conſtantinopolis*, *urbs Conſtantini*, atque ut Athenæ quondam, *ἄςυ*, *civitas*. Sciendum autem eſt, hunc Poëtam producere penultimam τῦ *Μακεδὼν*, *Macedo*, quippe qui *Μακηδὼν* dixerit, in his verbis: *Μακηδόνιον πτολίεθρον*, *Macedonium oppidum*; neque id eum dixiſſe extra analogiam. Sic enim & alia pleraque nomina propria oxytona in *δὼν*, habent τὸ *η* in penultimâ: Sicuti etiam *ὁ Σαρπηδὼν*, *Sarpedo*. Fuit autem Macedo rector olim ac princeps regionis cognominis, quæ & Emathia priùs vocabatur. Vide verò, uti eum periphraſi ad ſignificandam Alexandriam, quippe qui eam non ipſo

hoc

hoc nomine vocet, quo vocatur; ſed Macedonium oppidum nominet, ut in hiſtoriæ memoriam redire auditorem faciat. Et ſic etiam infra vocat Peluſium, urbem cognominem Pelei. Atque illud etiam habet tropum alium Poëticum, quæ eſt etymologia, familiaris & ipſa DIONYSIO, tanquam Poëtæ. Ad hæc narrat, Alexandriæ templum eſſe Jovis Sinopitæ, auro pretiſo ornatum. Quod & verbis extollens: non illo, inquit, templum aliud apud homines videris θεώτερον, hoc eſt, θειότερον, *divinius;* neque urbem aliam æquè opulentam. Verè namque urbs ditiſſima fuiſſe traditur Alexandria: de qua ferè hæc etiam commemorantur. Alexandri urbs valde populoſa, cujus portus aditu navibus atque acceſſu perdifficilis. Namque & anguſtus eſt navigantibus in eum ingreſſus, &, latentibus ſub mari ſaxis, rectum habet curſum interciſum. Et ſiniſtrum quidem ejus latus quibuſdam veluti cruribus manu factis vallatum eſt, atque communitum. Verùm a dextrâ

L 4 præ-

præjacet Pharus parva insula, sublatâ face navigantibus prælucens, præ appulsus difficultate, cum ex alto naves in portum invehuntur. Porrò autem circa hanc insulam maximi muri manu constructi sunt, ad quos allisi fluctus, atque utrinque fracti, transitum asperiorem reddunt, & periculosum atque infidum per angustias ingressum efficiunt. Portus tamen intus tutus est, & magnitudine intus ad stadia triginta. Et Geographus quidem ita de Pharo: Pharus, insula oblonga, proxima continenti. Ab ostio Canobico ad eam stadia centum & quinquaginta. Sinopita autem Juppiter, aut idem, qui Memphita, eo quia Sinopium mons Memphidis; aut a Sinope illâ Ponticâ. Et narratio quidem fertur hujuscemodi: Ptolemæo, Lagi filio, Alexandriæ regi, deum nescio quem apparuisse, eique præcepisse, ut, missâ navi, sese adveheret, loco tamen minimè adjecto, unde sese deveheret: misisse illum navim temerè ferendam,

quo-

quocunque casus & fortuna tulisset; atque ut ad Phocidem navis appulsa est, accepto vectores oraculo, ut Sinopem discederent, &, quod mandatum fuerat auferrent, Serapidis inde Jovis simulacrum abstulisse; indeque Jovem dictum Sinopitam, seu Serapin: cujus simulacrum, qua tandem sit materia, fama est, eos, qui vident, prorsus nescire. Alii tamen Jovem hunc Sinopitam deducunt a Sinope flumine. Idotheæ speculas vocat, Pharum Alexandrinam, de qua dictum est, vel Antipharum, ipsum quoque excelsum, qui tumulus dicitur Osiridis, & Idotheæ Protei filiæ: qui Proteus a liberis suis digressus, qui in Pallene Thracia hospites mactabant, ut Lycophron narrat, una cum Idothea filia sese ad habitandum in Pharum contulit, deusque marinus est reputatus, de quo etiam scriptum in Commentariis ad Odysseam.

XXXIV. Ab Ægypto ad orientem circa Casiotidem petram, nimirum circa Casium montem, Pelusium urbs ja-

cet, ad ostium Nili orientale, quod inde denominatum est Pelusiacum. Et hic quidem Periegeta Pelusium vocat oppidum Pelei cognomine, eo quia sedem ibi & domicilium collocassent milites Phthiotæ, qui sub Peleo duce militarent. Verùm alii vocant id oppidum ἀπὸ τοῦ πηλοῦ, *a luto*, &, quæ ibi sunt, paludibus ac lacunis. Pelusiotas porrò maximè nauticos appellat, dum eos dicit ἔξοχα ναυτιλίης δεδαημένους, *eximiæ peritos navigationis*. Tales autem & HOMERUS agnoscit Phoenices. At enim sciendum, quod asseverat HERODOTUS, Casium montem Ægyptum & Syriam dirimere; itemque sciendum, quæ nunc vulgò telæ Casianæ dicuntur, eas videri ab incolis montis hujus, quem diximus, Casii, appellationis hujus initium accepisse, ut satis innuit scriptor Ethicorum, ubi in laude ponit vestimenta Casiotica. Non sunt Pelusiotæ Libybus, seu Afris, adnumerandi. Etenim, inquit, oppidum sortiti sunt ad orientem Nili νε-

νάοντες

νασμένον, nimirum κατοικούμενον, *habitatum.* Ubi tamen alii festiviùs atque urbaniùs scribunt λελασμένον, hoc est, ἐπιλελησμένον τοῦ Νείλου, *oblitum Nili*, tanquam extra Deltam, longèque ab eâ, positum. Itaque hac ratione Serbonis palus divisa est atque separata ab Africâ, quippe orientalior ostio Pelusiaco, quod quidem, ut diximus, est Asiæ. Tute verò observa, illud ferè posse hìc inquiri, si ostium Nili Canobicum terminus est Africæ, ut dictum est supra; ostium verò Pelusiacum, quod a Pelusio cognominatum est, partis est Orientalis, & non Africanum; utri attribuere Ægyptum oporteat, quæ media est regio inter hæc duo extrema, utrum Africæ, an verò Asiæ. Ad quam sanè quæstionem illud vehementissimâ contentione respondendum atque urgendum est, neutri illarum duarum continentium esse eam, veluti utriusque confinium, vel intermediam regionem, exactè perfectèque attributam. HERODOTUS porrò Ægyptios ab Afris apertè distin-

ſtinguit, tum aliis in locis, tum ubi etiam ſcribit, Ægyptios mortalium omnium maximè, ſecundum Afros, bonâ valetudine gaudere, eo quia tempeſtates apud eos annuæ minimè omnium variant. At enim, quod in hiſtoriâ proditum eſt, non eſſe quidem Ibes in Peluſio candidas, ſed eſſe in reliquâ Ægypto; id ſanè Peluſium urbem eſſe Ægyptiam commonſtrat.

XXXV. Fatetur DIONYSIUS, pinguiori ſeſe Minervâ in Periegeſi hac ſuâ orbem terrarum deſcribere, ubi de Africâ ita loquitur: Alii verò plurimi regionem hanc incolunt; alii ad Oceanum, alii per medias continentes, &c. Quod & multis poſtea in locis facit. Atque iſtiuſmodi etiam dicendi formulæ perſpicuitatem efficiunt, eo quia complementum ſententiis, clauſulamque orationi imponunt. Namque jam inde a principio dictum eſt, DIONYSIUM propoſitam ſibi habere in primis perſpicuitatem, atque ad hanc omnino ſpectare

ſtare ac tendere, ideoque multis tum ad ſententias complendas clauſulis, tum expoſitionibus ſimul, uti, aliaque etiam adhibere, quibus clara ſit atque perſpicua oratio. Tritonis lata palus, Africæ in medio, trahitur: qua in palude parvam eſſe inſulam commemorant. Ab hac palude vult fabula Minervam denominatam fuiſſe Tritogeniam, quaſi ibi γεννηθεῖσαν, *genitam*, ſeu *procreatam*. Quare etiam Tritonidis paludis accolæ Minervæ maximè ſacrificant, ut tradit HERODOTUS, qui fluvium etiam magnum, Tritonem nomine, in paludem hanc oppidò magnam ait influere. Quin & idem ipſe refert, accolas ibi dictitare, Minervam Tritonidis hujus paludis, & Neptuni eſſe filiam; itemque Minervam, quum de Neptuno patre conquereretur, atque expoſtularet, adoptatam ab Jove pro filiâ, hoc eſt, in filiæ locum adſcitam fuiſſe. Europa regio nomen habet ab Europâ, ut LYCOPHRON etiam affirmat: qua ex Europâ ortus Sarpedon, ut proditum eſt ab Euripide in Rheſo

Rheſo. Filia hæc Agenoris, quam Taurus rex Cretæ, poſt captam navali proelio Tyrum, captivam abduxit. Sed obſerva, alium hunc eſſe a Sarpedone illo Lycio. Namque hic Sarpedon, Europæ, de qua diximus, filius, frater eſt Minois, & Æaci, ſecundùm Arrianum. At verò Sarpedon ille Homericus ex Lyciâ, ne æqualis quidem hujus fuerit. Quin & Hippias continentes has vocat ab Aſiâ & Europâ, filiabus Oceani. Quibuſdam tamen non placet, nomina his continentibus impoſita eſſe a mulieribus: tametſi Herodotus velit, partes tres orbis terrarum nomina a mulieribus ducere, quo loci aſſeverat, Libyam dici a Libyâ, muliere indigenâ; Aſiam verò a Promethei matre denominari, quamvis non ita Lydi, ſed vocatam eam affirment ab Aſiâ, Atyis filio, a quo etiam tribus quædam Sardibus vocatur Aſias; Europam denique videri id nominis ab Europâ Tyriâ accepiſſe. Jam verò dictum eſt ſupra, quoſ-

quoſdam velle Europam ab Europo quodam viro nominatam fuiſſe. Quare etiam id nominis eſt barytonum. Gravem namque accentum habet ὁ Εὔρωπος, *Europus*, nomen proprium, ad differentiam τοῦ εὐρωποῦ, quod quidem ſignificat latum aut tenebricoſum : ex quo etiam apud Oppianum σπήλαιον εὐρωπόν, *ſpelunca lata*, ſeu *tenebricoſa*. Scire autem oportet, quod veteres teſtantur, præſtare Europam Aſiæ, non hominum modò virtute atque divitiis, fructuumque ubertate; ſed etiam raritate ferarum. Ceterùm Europa maximè aliarum continentium figurâ eſt multiplici ac variâ; ſimpliciſſimâ e contrario Africa; mediâ inter utramque figuratione Aſia. Sed & illud cognoſcendum, Europam quidem eſſe, quidquid regionum eſt ad Occidentem, ſi ab Helleſponto initium ducimus; veruntamen, quod veteres tradiderunt, Veſpaſianum Thraciam ab eâ ſeparaſſe.

XXXVI. Eundem eſſe dicit ῥυσμὸν, *tractum*, Europæ, qui eſt Africæ. Ῥυσ-

μὸν

μὸν porrò, *seu tractum*, vocat productionem, positionem, distantiam, aut, ut ipse ait, τὸν τύπον, *formam*. Idem enim est dicere Europæ τύπον, *formam*, & Africæ ῥυσμὸν, *tractum*. Quin etiam postea hanc istam vocem usurpat, tum alibi, tum in illis verbis: Σχῆμα δὲ Ἀσίας, ῥυσμὸς πέλει ἀμφοτέρων, *Figura porrò Asiæ, tractus est ambarum.* Est autem illic ῥυσμὸς, *tractus*, idem atque figura, forma, positio. Fit ὁ ῥυσμὸς, *tractus*, ex ῥύω, quod est traho: ex quo etiam ῥυτὴρ τόξυ, *trahens*, seu *tendens arcum*, id est, sagittarius: nec non ῥυτὴρ, quæ est habena. Quapropter etiam infra DIONYSIUS, postea quam dixerat ῥυσμὸν, *tractum*, veluti ab etymologiâ, vocem hanc explicans, subdit: Ἑλκόμενον κατὰ βαιόν, *Tractum paullatim*, perinde quasi idem sit dicere ῥυσμὸν & ἑλκυσμὸν, *tractum.* Europa & Africa ultimum vestigium, basim nimirum, & terminum latum suum Orientalem, ex æquo habent ad Asiam. Subjecta namque eis est Asia, veluti basis. Quòd si, inquit,

inquit, utramque hanc continentem unam, neque eam Hesperio mari interceptam posueris, coni inde figura extiterit, utroque latere æquali: cujus quod in acumen desinit, Occidentale est; quod verò in latum, Orientale ad Asiam. Ac vide, ut latera dicuntur etiam de cono. Quemadmodum autem Africa atque Europa, simul conjunctæ, cono Geometrico assimilantur; sic etiam sciendum, partes alias orbis terrarum apud DIONYSIUM figuris Geometricis assimilari, veluti Africam trapezio, Ægyptum atque Siciliam triangulo, partem quandam Asiæ rhombo, ut dicetur postea.

XXXVII. Extremo sub cuspide, hoc est, angulo, Europæ, prope Columnas, quæ sunt ad Gades, proteuti sunt Iberes usque ad frigidum illum Oceanum Borealem. Hos magnanimos vocat, propter ipsorum fortitudinem. Horum colonia, Iberi illi Orientales, sicuti etiam Galatarum Europæorum colonia sunt Asiani, ii, qui apud An-

cyram. Vocantur autem Iberes ab Ibere flumine, cujus proprium esse aiunt vel sine nivibus exundare, cum boreales venti copiosiùs atque vehementiùs increbrescunt. Caussam verò hujus rei, paludem esse perhibent, per quam hic iste amnis fluit. Venti enim simul ejiciunt aquam paludis; itaque aquæ copiam atque redundantiam efficiunt. Verùm alii sentiunt, id appellationis sortitos esse Iberes a rege quodam cognomine. Filii namque Herculis ex muliere barbarâ, Celtus & Iber: ex quibus gentes, Celti & Iberes. Sciendum autem est, Iberiam, non totam quidem; sed eam tantùm, quæ est intra hunc ipsum fluvium Iberem, synonymiâ quadam, seu, eorum nominum instar, quæ quum sint plura, ad idem significandum assumuntur, Hispaniam etiam appellatam fuisse: sed Romanos postea sic etiam universam vocasse, ut ea sit binominis, & Iberia & Hispania. Dicuntur porrò amplius mille esse Iberum urbes: sed qui id dixerunt, magnos

quo-

quoque pagos urbes nominarunt. Aiunt etiam, urbem in Iberiâ esse Odysseam; sive Ulysseam; & alia multa vestigia extare errorum Ulyssis. Feruntur quoque Iberes aquam bibere, semelque in die cibum capere, & vestibus sumptuosis uti. Βρεττανοὶ, *Brettani*, ut plurimùm per duplex τ τ. Verùm hoc loci, in his verbis: ἔνθα Βρετανοί, *ubi Bretani*; præcipiente metro, removit atque rejecit unum τ'. Sic etiam quum populi quidam dicuntur Σαρμάται, *Sarmatæ*; cum ρ' tamen infra in illis verbis: Γερμανοὶ, Σαμάται τε, *Germani Samatæque*, vi metri expulsum ibi atque ejectum est τὸ ρ'. Dicere namque oportebat, Σαρμάται, *Sarmatæ*, & non Σαμάται, *Samatæ*. Porrò autem ab his ipsis Brettanis denominatæ sunt Brettanides insulæ, ex adverso sitæ; de quibus postea. Germanos, quibus Alamani finitimi, albas gentes appellat. Tali enim sunt colore, contra atque Æthiopes, maximè omnium australes. Illi enim niger-

rimi. Eos autem vocat etiam ἀρειμανίους, *Martio studio, bellandique amore insanos*, aut ἰεισθενίας, *valde robustos*. Quin & eos dicit assiliendo prætercurrere jugosos saltus Hercyniæ silvæ, nimirum Hercyniis sylvis ad eundem Oceanum Cronium adjacere. Ad hæc tradit, continentem ibi Ibericam similem esse pelli bubulæ, non colore quidem neque lævitate, sed figurâ. Pelli enim bovis extentæ similis est Iberia, cujus partes veluti cervicales, orientem versus, superincidere aiunt in Celticam, quæ illi continens est. Ceterùm Germani, quod ad vocis quidem interpretationem attinet, Romanorum linguâ, iidem sunt atque genuini, quasi nimirum genuini ac germani Galatis, seu Gallis, quibus similes sunt formâ vitæque ratione ac moribus: nisi quòd eos superan feritate, magnitudineque corporis, & flavo magis colore. Sitique iidem sunt trans Rhenum, ad Orientem, post Celtos. Quidam tamen τὸ Γερμανοὶ, *Germani*, interpretantur fratres, quod quidem

dem idem quodammodo eſt, atque genuini. PLUTARCHUS autem ſcribit, Germanos corpore eſſe permagno, oculiſque glaucis. Hercynia porrò ſylva, quam diximus, tum magna eſt, tum arborum multitudine atque frequentiâ copioſior. At verò τὸ ὄρογκος, *jugoſus ſaltus*, ſeu *jugum montis*, vox eſt propria ac ſingularis, quales multas Poëtæ de induſtriâ conſectantur, ad ſpeciem novitatis. Notat autem τὴν τοῦ ὄρους ἐξόγκωσιν, *aſſurgentem tumorem montis*, ejuſque elationem.

XXXVIII. Circa Pyrenen, montem nimirum Prenæum, inhabitant Celti, prope a fonte pulchrè fluentis Eridani: quem aliqui eundem eſſe affirmant, ac Padum, quem nunc vocamus. De eo ita Geographus: Eridanum, qui nuſquam eſt terrarum, & tamen prope a Pago eſſe dicitur: quem etiam Padum ille ait, ſecundùm Iſtrum, maximum eſſe fluminum Europæ; eumque dicit in Adriaticum mare effluere.

Quin & addit, trans Padum situm esse Mediolanum, oppidum perinsigne, & quodammodo cum Alpibus conjunctum. Sciendum autem est, quo loci Aratus Eridani λείψανον, *reliquias*, dicit sidus ejus manifestum in cœlo atque conspicuum, ibi ipsum satis significare, non jam reliquum esse in terris Eridanum amnem, sed hunc penitus defecisse: & tamen DIONYSIUM, perinde quasi existat adhuc Eridanus, exponere, quæ de eo in fabulis feruntur, fabulam nimirum Phaëtontis, quem de paterno solari cursu delapsum, quum in Eridanum decidisset, sorores illic Heliades de nocte luxerunt, itaque ab oculis electri lacrymam distillarunt. Atque adhuc etiam talem eas lacrymam fundere ac distillare ait, posteaquam eæ sunt in populos commutatæ. Celtarum autem, inquit, filii, sub his populis sedentes, auricoloris electri lacrymas ἀμέλγονται, *mulgent*, hoc est, tale electrum decerpunt. Ubi alii scribunt, ἀμέργονται per ρ, *exsugunt atque exprimunt*. Electrum nunc,

nunc, mixtura minimè eſt auri & argenti; ſed genus quoddam lapidis auricoloris, ex quo cultrorum etiam ſeu gladiorum manubria conficiuntur: quæ quidem manubria vim habeant attrahendarum palearum, ut magnes trahit ferrum. Ceterùm id electri non verè planèque eſſe lapidem, ſed ſuccinum, ſeu arboris lacrimam, concretam in corpus veluti lapideum, oſtendunt quidam veterum. Conſtat etiam, id ipſum auricolor aurique inſtar fulgidum electrum, dici eſſe lacrymam Heliadum. Aurum namque metallum ſacrum eſt ſoli. Volo autem, obſerves, DIONYSIUM electrum poſtea, lapidem fluviatilem vocare. Pyrene porrò, mons maximus, qui Hiſpaniam & Celticam ſeparat. Κελτοὶ, *Celti*, qui aliis, vocati hi Geographo Κέλται, *Celtæ*, ut οἱ χρῦσαι, *Chryſæ*. Pertinere dicuntur Celti atque porrigi uſque ad Rhenum. Et ab iis Galatæ omnes Europæi, ſeu Galli, Celti a Græcis ſunt appellati.

XXXIX. Poſt Eridanum Tyrrheni, de

quibus inferius: a quibus ad orientem initium Alpium. Devolvitur per medias has Alpes Rhenus, amnis Celticus, qui duplici oſtio in Oceanum exit borealem, pernix, quique ponte difficulter jungatur, atque obliquus. Hic eſt, qui fœtus nothos, ſeu ſpurios, dicitur a legitimis diſcernere, quippe qui legitimos ſuſtineat; illegitimos verò fundo Lethes, ſeu oblivionis & aquorum conſignet. Alpis autem, mons maximus. Quare etiam multitudinis numero dictæ ſunt Alpes. Aiunt porrò, hanc vocem Græcè redditam atque interpretatam, idem valere, atque clauſuram, ſeu clauſtrum. Tradunt etiam hunc montem ſublimem adeò eſſe atque excelſum, ut ne quinto quidem quis die eum montem conſcendat. Incipit autem ab iiſdem locis, a quibus montes Apennini, de quibus poſtea. Atque hi quidem ſunt circa Genuam, quod eſt Ligurum emporium. Sed & genere neutro vocata ſunt Alpia; nec non Albia cum *b*. Deinceps a Rheno Iſter ἐπιτέλλεται, *oritur*, nimirum alicunde

de infra *ἀνατέλλει, existit atque exoritur*, quem & sacrum vocat, & consuetâ nominis repetitione extollit. Quippe de Istro adjicit, eum in Euxinum spumam aquæ universam evomere *πεντάποροις προχοαῖς, quintuplici meatu aqualium*, hoc est, ostiis quinque, ubi circa Peucen circumvolvitur. Insula triangularis. Peuce, sita inter ostia Istri. Veruntamen Ptolemæus Istrum quoque, sicuti & Nilum, septem habere ostia affirmat. Ac similiter Geographus, qui eum scribit maximum esse fluviorum Europæ; distareque ab intimo sinus Adriatici recessu stadiis mille; initioque eundem a Germanis ducto, ad austrum fluere; postea ad Orientem flecti usque in Pontum: habere autem ostium maximum, quod sacrum appellant, quod quidem ostium ponte junxit olim Darius, ut Xerxes angustias Hellesponti: Istrum denique alias quoque parvas insulas, præter Peucen, ostiis suis comprehendere. Herodotus porro Istrum amnem Celticum novit, ubi cum ait, multis fluminibus exceptis, au-

M 5 geri,

geri, initiumque a Celtis ſumere, & per totam Europam fluere. Quin & idem ipſe quinque hunc oſtiis eſſe commemorat, eumque ait ipſum ſibi ferè ſemper æqualem fluere, cauſſamque etiam adjicit, quæ ſibi videtur. Verùm Geographus alium quoque Iſtrum, ortum ex hoc habentem, influere, ſecundùm quoſdam, dicit in ſinum Adriaticum: per quem etiam Iſtrum pleriſque vulgò videtur Argo ex Ponto Euxino in Adriaticum mare evaſiſſe, quo tempore Argonautæ, aureum vellus furati, e Colchide fugerunt. Atque id etiam notum fuit Ariſtoteli, ubi trichias ſolos docet ex Ponto in Iſtrum remeare; deinde, ubi is divortium facit, in Adriaticum deſcendere. Nam & ipſe in his verbis tacitè innuit alterum hunc Iſtrum, cujus Geographus meminit. Addit idem Geographus, Iſtrum vocatum aliquando fuiſſe Matoam, quod perinde eſt ac ſi Græcè diceres [a] *Ασίνον*, *ſeu Innoxium*; ſæpeque trajicientes ipſum Scythas nullo incommodo affectos fuiſſe; ſed, acceptâ tandem

dem repentè calamitate, nomen eos fluminis interpretatos fuisse, & Danubium vocasse, tanquam si acceptæ ab illis offensionis culpâ teneretur; id est, isto hoc nomine, ex linguæ ipsorum proprietate, in crimen ab illis vocaretur, quòd importatæ iis cladis auctor extitisset. Scribit ille præterea, oppositos esse Istro æquali distantiâ ab Adriatico ad Pontum Euxinum montes primum Illyricos, deinde Pæonicos, postremò Thracios: de quibus est etiam Æmus, situs nimirum ad Pontum ipsum Euxinum. Media igitur inter hos montes Pæonia, tota excelsa, cui ad Thraciam adjacet Rhodope, ubi quæ nunc appellatur Clocotinitza. Quidam verò ita de Istro quam brevissimè: Ister, qui Pannonios prælabitur, ex Hercyniis montibus jam inde a fonte navigabilis attollitur, sesque in brachia scindens, partim in Pontum, partim in Adriaticum fluit.

XL. Istro ad septentriones gentes hæ adjacent, Germani, Samatæ, nimirum Sarmatæ,

matæ, per ellipsin litteræ immutabilis ρ, ut supra scriptum est, & Getæ, & Bastarnæ, regioque immensa Dacorum, & Alani & Tauri, qui ad Achillis Dromon incolunt, & Melanchlæni, & Hippemolgi, de quibus in Commentariis ad Iliadem, & Neuri, & Hippopodes, iidem, secundùm quosdam ac Chazari, & Geloni, & Agathyrsi. Atque hi quidem Boreales. Istro verò ad austrum sunt Gerræ, & Norica oppida permunita, & Pannonii, iidem, secundùm quosdam ac Bulgari, & Mœsi, magis hi quidem Boreales, quàm Thraces, & Thraces ipsi, regionem immensam tenentes. Porrò autem ex his gentibus, de Germanis quidem dictum, quod satis esse videbatur; de ceteris verò, si quid memoratu dignum epitomen scribenti occurrerit, id sanè dicetur. Gentilia nomina in ανος producunt apud DIONYSIUM penultimam, ut Βρεταvὸς, *Bretanus*, Γερμανὸς, *Germanus*, Ἀλανὸς Alanus, Καρμανὸς, Carmanus, Λευκανὸς, *Lucanus*. Nomen gen-

gentis nequaquam eſt τὸ Ἠριδανὸς, *Eridanus.* Eſt enim fluvius. Quocirca corripit penultimam, ſicuti etiam τὸ Ὠκεανὸς, *Oceanus.* Getas ſtatuit DIONYSIUS ad partem Borealem Iſtri, ut ſupra dictum eſt: Sicuti etiam Sarmatas, quæ gens eſt Scythica. Verùm HERODOTUS Getas, Thracum partem eſſe opinatur. At Geographus ad utramque fluminis ripam habitare eos tradit, ut & Mœſos, ipſos quoque Thraces. Sunt autem, inquit, mulieroſi, ſtudioſique admodum rerum divinarum: apud quos fuit Zamolxis, Pythagoræ atque Ægyptiorum auditor, qui & multa prædixerit, deuſque ab iis habitus, ac propterea appellatus fuerit, atque etiam cum rege in partem adminiſtrandæ Reipublicæ venerit. Quin & fuerunt, inquit, aliquando Getæ Romanis quoque ipſis terrori, quum & Iſtrum tranſmiſiſſent, & Illyrios & Thraces & Macedones diripuiſſent atque devaſtaſſent. Moris atque inſtituti eſt Getarum, uxorem ſupra maritum demortuum ju-

gulare, & cum per caduceatores, seu legatos, de pace agunt, ac fœdus ineunt, citharâ canere. HERODOTUS quoque narrat, sagittas eos in coelum adversus tonitrua & fulgura conjicere, itaque deo comminari. Ad hæc commemorat Geographus, penetrasse olim Alexandrum ad Getas, qui sunt trans Istrum, muneribusque acceptis, pedem confestim retulisse. Scribit etiam, eosque & Dacas usque adeò aliquando excrevisse, ut ducenta hominum millia in bellum educerent; postea verò eò imbecillitatis devenisse, ut parùm abfuerit, quin Romanis obtemperarent. JULIANUS item in Oratione quadam suâ scribit, Getarum gentem, si qua unquam fuit, maximè bellicosam fuisse, tum propter robur ac fortitudinem, tum propter Zamolxin, quem honorant. Non enim mori se se, sed demigrare opinati, mortem promptiùs atque alacriùs obeunt, quàm se se peregrè proficisci, atque in alienas regiones transportari patiantur. Immo & HERODOTUS datores eos immortalitatis appellat, propter

ter præſtigiatorem illum, quem diximus, Zamolxin, quem ipſe etiam dicit Pythagoræ operam dediſſe. Narrat etiam Getas Thracum fortiſſimos atque juſtiſſimos. Tradit denique, Darium eos ſubegiſſe, cum trajecto ratibus ex Aſiâ exercitu, iter per Thraciam faciebat. Dacas vocarunt nonnulli Daos. Quin & Geographus teſtatur, Dacas nominatos olim Daos fuiſſe. Verùm Herodotus genus Nomadum Perſicum Daos dicit, ſimiliter atque Mardos, & alios nonnullos. At Ethnicorum ſcriptor Daciam ait ad loca Boryſtheni flumini propiora pertinere: quo de Boryſthene nos inferiùs. Notat autem, nomina ut plurimùm ſervorum apud Atticos, eſſe Davos, & Getas. Fertur item hiſtoria, Dacas magis auſtrales eſſe Iſtro. Narrant enim, Aurelianum Romanos in Daciam ad habitandum miſſos, inde deductos, propter pericula, quibus in ulteriori Iſtri ripâ premebantur, mediâ in Mœſiâ collocaſſe, regionemque illam Daciam nominaſſe. Alanus, mons Sarmatiæ, a quo gens

gens Alani accepiſſe id nominis videntur, quos DIONYSIUS robuſtos equiſque abundantes vocat. Achillis Dromos, quem Tauri populi incolunt, tractus eſt quidam anguſtus ſimul & longus, &, ſecundùm Geographum, peninſula, plana, & ex æquo diſtenta ad mare, veluti tænia quædam, ſeu faſcia, longitudine ferè ſtadiorum mille in ortum, atque ſabuloſa; latitudine verò, ubi quàm maximè duûm ſtadiorum. Dromon hunc Græcus ille Achilles circumivit atque perluſtravit, dum Iphigeniam, Agamemnonis filiam, inſequeretur, ex Aulide in Scythiam abreptam, cum ejus loco Diana cervam in ſacrificium ſubſtituit. Ubi multo tempore Achilles commoratus, ut placet etiam Lycophroni, locum de nomine ſuo appellandum reliquit. Iphigeniam autem deſponſam priùs fuiſſe Achilli, communi jam ſermone eſt pervulgatum. Ceterùm alii alium omnino eſſe volunt Achillem hunc apud Scythas, locorum illorum regem, qui & Iphigeniam eò miſſam adamavit, & ibi, dum eam per-

perſequeretur permanſit, ex quo locus ille, Achilleum. Qui verò ita affirmant, teſtem adducunt Alcæum, in hæc verba: *Achilles, qui Scythiæ imperat.* Porrò autem ab Achille Leuce quoque inſula, de qua poſtea, Achillea inſula vocata eſt in Euxino, quò aiunt Scythæ Achillis animam trajicere, ibique delicias ipſam ſui luſitando facere. Tauri verò populi vocati eſſe perhibentur a tauro animali, eo quòd ibi locorum Oſiris, juncto bove, terram araverit. Prope ab his Taurica inſula, quæ etiam Mæotica, magna & perinſignis: cui & Phanagorea adjacet, & Hermonaſſa, ut poſtea dicetur. Quin & Diana dicta eſſe videtur Tauropolos, ſeu Taurica, ab his ipſis Tauris, quibus gaudebat atque delectabatur, quòd ſui gratiâ hoſpites mactarent. Tauriſci tamen Norici apud Geographum alii ſunt ab his Tauris.

XLI. Melanchlæni dicti, *διὰ τὸ ἐν ἔθει μέλαν τῦ ἐνδύματος, propter veſtes nigras atque atras geſtari ab iis ſolitas*, ut videtur etiam Herodoto; qui quum eos

N carne

carne humana vesci dixisset, adjicit, supra Melanchlænos esse lacus regionemque vastam atque desertam. Feruntur Neuri regionem olim suam propter serpentes deseruisse; ipsique præstigiatores esse dicebantur. Itaque quotannis, quod est apud Herodotum, Neurorum unusquisque fit semel per paucos dies lupus, & rursus in hominem restituitur. Et observa, ut νεβρὸς quidem, id est, hinnulus, seu catulus cervi, scribitur per β', Νευροὶ verò, *Neuri*, quod est nomen gentile, qui etiam Νευρῖται, *Neuritæ*, per diphthongum Herculis filii, Gelonus & Agathyrsus: ex quibus gentes, magis boreales Istro, Geloni & Agathyrsi. Itaque sub frigidis Agathyrsis, ut DIONYSIUS ait, adamas est pellucens. Geloni verò, ut alii tradunt, & terram colunt, & frumento victitant, & hortos habent. Verùm is, qui Ethnica conscripsit, hæc habet: Geloni, civitas Sarmatiæ, a Gelono, qui frater fuit Agathyrsi, Herculis filius. Est in ejus finibus urbs Lignea magna, secundùm HERODOTUM, in Budinis sita. gen-

gente profectò magnâ. Apud hos fertur esse animal mirabile, magnitudine ferè bovis, formâ verò faciei, cervo simile, quod Tarandum vocant, venatu illud quidem, propter ejus mutationem perquam difficile. Ubicunque enim fuerit, pilorum colorem mutat, aliudque fit atque aliud & transfiguratur, sicuti etiam chamæleon, & polypus. At verò de Agathyrsis idem ipse Ethnicorum scriptor testatur, sic eos appellatos aut ab Agathyrso, Herculis filio, aut a thyrsis Liberi patris. Thyrsi autem, rami quos in Bacchi sacris ferunt. Herodotus porrò non Gelonum modò, & Agathyrsum, Herculis filios commemorat; sed etiam Scytham, minimum natu, eumque generosissimum: quos Hercules filios suscepit, quum eo tempore, quo Geryonis boves abigebat, in Scytharum regionem venisset, corpusque ibi, ut narrat, cum semipuellâ, mixtæ naturæ miscuisset, quæ semipuella muliebri simul naturâ erat & viperina; supernè quidem usque a clunibus, muliebri; infernè verò, serpentinâ. Quin & idem

 ipse

ipse scribit, Agathyrsos mortalium esse mollissimos; eosque aurum gestare, communemque inter sese atque promiscuum mulierum usum facere; Gelonos verò, jam inde ab antiquitatis memoriâ, Græcos esse, & agriculturæ operam dare. Borysthenes, perceleber ille inter fluvios, & decantatus, aquas cum Euxino commiscet ad frontem, ibi, de qua diximus, Arietis, rectâ veluti ad lineam, ex adverso, e regione nimirum Cyanearum petrarum. Ibi in Ripæis montibus Scythicis, & Aldescus, inquit, & Panticapes amnes murmurant: quorum ad gurgites, suave lucens electrum, ineunte Lunâ, quidam veluti splendor, augescit. Ac vide, ut hoc istud electrum consensionem conjunctionemque naturæ habet cum Lunâ; itemque ut electrum hoc loci de genere quodam lapidis intelligendum est; non verò de Lacrymâ, quæ fertur esse populorum, quemadmodum supra dictum est. Ripæis autem in montibus nivem nunquam deficere, scriptum est supra. Supra hos mon-

montes ii, qui vocantur Hyperborei, usque ad mare, quod ibi est, porrigi ac pertinere dicuntur. Ceterùm a Panticape amne Panticapæum ibi nominatum, oppidum sane magnum, ab Æetæ filio conditum, tumulus in orbem circumcirca habitatus, ad stadia viginti, Bosporanorum illorum metropolis. Herodotus porrò de his ipsis fluminibus ait, maximum esse Borysthenem atque affluentissimum amnium Scythicorum, & ad potandum suavissimum, limpidumque inter turbidos fluere; atque ad ejus etiam ostium sal sponte suâ concrescere; eundemque amnem cetos pergrandes, spinæ expertes, quos Antacæos vocant, ad salsuram subministrare; Panticapem verò, a septentrionibus fluentem, ad extremum cum Borysthene commisceri; quod autem inter hæc flumina agrorum est, Scythas id agricolas colere. Decem porrò dierum iter esse ait ab Istro ad Borysthenem; ac tantundem a Borysthene ad Mæotin paludem.

XLII. Quæ supra dicta sunt, Νωρίκια ἄςεα ἐρυμνὰ, *Noricia oppida munita*, quidam scribunt sine τῷ ν in principio: atque ab his fortasse portus Ὤρικος, *Oricus*. Sic enim Hecatæus: *Deinde Buthrotus urbs, deinde Oricus portus*. Et Apollonius: Ὤρικον εἰσαφικέσθαι, *ad Oricum appellere*. Et Polybius in septimo: *Incolæ Orici, qui etiam primi naviganti ad dextram siti sunt, ad ingressum in sinum Adriaticum*. Quidam verò scribunt Νωρίκια, *Noricia*, cum τῷ ν. At verò τὸ ἐρυμνὰ, *munita*, quidam scribunt ἐρεμνὰ, hoc est, arboribus consita & densa, ac nemorosa. Unde etiam nigra, ab umbræ magnitudine apparent. Quare etiam apud HOMERUM, in illis verbis: μέλαν δρυὸς ἀμφικεάσας, *discisso roboris atro*; μέλαν δρυὸς, *atrum, nigrumque roboris*, seu *quercûs*, quidam intellexerunt densitatem foliorum, propter umbræ nigredinem, quæ inde efficitur. Atque hæc quidem de oppidis Oriciis. Verùm Geographus, ubi gentem quandam conjungit cum iis locis, quæ sunt circa Aquileiam, Noricos scribit cum

cum τῷ δ' ν' ubi tum alia commemorat, tum illud etiam, nimirum prope ab intimo Adriatici ſinus receſſu, lociſque illis ad Aquileiam, Noricorum quoſdam incolere; itemque ad Aquileiam in Tauriſcis Noriciis aurum copioſum provenire, ita ut ſi quis ſummam terram ad pedum duûm altitudinem egerat, foſſile ſtatim aurum inveniat. Habes igitur fortaſſe Noricorumque & Oricorum differentiam: ut Orici quidem ſint, ſecundùm Polybium, ii, qui ad ipſum ferè ingreſſum ſinus Adriatici, ubi & Oricus portus & Buthrotus; Norici verò ii, qui ad intimum receſſum ejuſdem ſinus, tum ex Geographi ſententiâ, tum ſecundùm complures codices Dionyſianos. Videtur tamen DIONYSIUS Oricos, eoſdem, quos Polybius, agnoviſſe: quippe quum poſtea affirmet, circa Oriciam regionem Græciæ eſſe initium, quod & mari Siculo cinctum ſit & Ægæo. Atque hæc quidem ita. Verùm aliqui tradunt, Phryges ſuâ ipſorum linguâ utrem, *noricum* vocare: poſtea

ea verò quàm Apollo Marſyæ illi Muſico pellem detraxit, utrem ſuſpenſum, & aliquanto poſt tempore delapſum, in fontem, quem Midæ vocabant, cecidiſſe; atque eum quidem fontem, mutato nomine, Marſyam appellatum fuiſſe; utrem verò a flumine delatum, in piſcatoris manus perveniſſe; Piſiſtratumque Lacedæmonium, oraculi monitu, ex fortuito illo eventu, urbem exædificaſſe, eamque Noricum, perinde ac ſi quis utrem diceret, nuncupaſſe. Quòd ſi urbs hæc Piſiſtrati, quippe urbs Phrygiæ, nihil habet commune cum iis Noricis, quorum ſupra meminimus; tamen hæc hiſtoria ad multam variamque eruditionem, non prorſus illepida, neque injucunda. Non Europæi modò Myſi; ſed etiam Aſiani. Verùm Arrianus Myſorum Europæorum coloniam dicit Myſos Olympenos Aſiæ: qui Myſi quidem nominantur vel a Myſo, Jovis filio, vel ab alio Myſo, filio Arganthonæ, generoſæ illius Oreſibii filiæ, vel a myſâ arbore, ſeu myſo, utroque enim

N 4 mo-

modo dicitur: quod quidem Lydorum linguâ oxyam significat, ut Geographus ait. At enim HERODOTUS Mysos illos Asianos, coloniam dicit Lydorum, Olympenos vocatos ab Olympo monte Asiatico. Thraces, non Europæi modò; sed etiam Asiatici, ex Arriani historiâ, ubi is memorat, ut Phryges & Mysos, sic utique & Thraces ex Europâ in Asiam cum Pataro quodam duce trajecisse, quo tempore Cimmerii Asiam incursionibus vastarunt: quos quum Thraces ex Bithyniâ ejecissent, ipsi ibi incoluerunt. Ac fortasse ab his istis Thracibus longè latèque diffusis ac propagatis Thracesium, quod nunc dicitur, id appellationis invenit. Idemque Arrianus Thracen quamdam nympham commemorat & incantationum & medicamentorum scientem admodum ac peritam, quæ morbos alios medicamentis distrahere, alios inferre posset: qualis & Medea fuisse traditur, & Agamede, & Circe illa, multorum sanè sermone

percelebrata. Atque ab hac iſta Thrace nominata videtur regio, quæ Perce olim vocaretur. Idemque etiam teſtatur, conſuetudinis Thracum fuiſſe, multas uxores habere, multos ut liberos ex multis ſuſciperent; & hanc iis conſuetudinem permanſiſſe ait a rege ipſorum Dolonco, cui filii multi ex multis uxoribus fuerunt. HERODOTUS autem refert, Thraces etiam quoſdam ſub imperio Crœſi fuiſſe, ubi Crœſum narrat Chalybes, Paphlagones, Thraces, Thynos, Bithynos, & ceteros, in poteſtatem ſuam redegiſſe. Quin etiam XENOPHON Thraciam, quandam Aſianam agnoſcit, quæ initium ſumat ab oſtio Ponti uſque ad Heracleam, ſi quis eò ingreſſus, ad dextram adnaviget. Hiſtoria etiam quædam ſacra in partibus alicubi auſtralibus Africæ, ſupra Alexandriam, Thraciam quandam montanam commemorat, in qua fuiſſe hominem prodit divinarum rerum ſtudio ſanctioriſque vitæ exercitatione percelebrem. Ferunt item, Thraces Europæos notas ſibi

ſibi inurere, atque imprimere conſueviſſe, quippe qui nobilitatis argumentum eſſe judicent, notatos eſſe atque inſignitos punctis; ignobile verò atque illiberale, nullis eſſe notis obſignatos; & honeſtum quidem, otiari; turpiſſimum verò maximèque ignominioſum, agriculturam exercere; pulcherrimum denique, latrocinia agitare, atque ex bello & raptu vivere. Manifeſtiſſimum autem eſt, atque inter omnes conſtat, τὸ Θρᾷξ, *Thrax*, circumflecti; &, quia id nominis factum eſt per ſynæreſin, ideo accentu circumflexo gaudere. Atque hujus quidem vocis ſynæreſin clarè oſtendit tum τὸ Θρήϊκες, *Threices*, tum τὸ Θρηΐκιον στόμα, *Threicium oſtium*, tum alia quæcunque hujus generis: ita ut τὸ Θρᾷξ, *Thrax*, contractum per ſynæreſin ſit ex nomine barytono Θρᾶϊξ, *Thraix.* Thraces quum regionem habere dixiſſet ἀπείρονα, *infinitam atque immenſam*, clarè poſtea atque apertè quodammodo interpretatur ἀπείρονα, *infinitam*, illis verbis: *Alii ad latera Pro-*

Propontidis sunt maris; alii super Hellespontum multifluum; alii circa fluxum profundum maris Ægai. Quare etiam HERODOTUS scribit, Thraces gentem esse omnium maximam, secundùm Indos. Esset autem, inquit, prorsus inexpugnabilis, multòque validissima, si unius imperio regeretur, concordique esset animorum sententiâ. Ac fortasse eâ ipsâ de caussâ, quòd regio tantâ est amplitudine, tantâque gloriâ atque dignitate, secrevit eam a reliquâ Europâ Vespasianus, ut dictum est supra. Bryges autem quum olim vocarentur, postea in Asiam transgressi, pristinam appellationem in Phrygum nomen commutarunt. Hellespontum porrò dicit ἀγάῤῥοον, *multifluum*, eo quòd sit admodum χαλάῤῥοος, *aquis perquam rapidè ac vehementer defluentibus.* Quare etiam fluvium eum salsum Xerxes per contumeliam appellavit.

XLIII. Pallene & mons est, & urbs Thraeica. Hanc tradit DIONYSIUS μηλοβότον, *aptam ad apes pascen-*

cendas, multarum nimirum apium altricem: circa quam nascitur, inquit, asterius, lapis pulcher, ceu stella quædam, resplendens, & λυχνὶς πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοία, *lychnis flamma ignis quàm simillima.* Quocirca hic etiam lapis lychnites vocatur. Quanquam alii hunc istum lapidem seleniten nominant: quoniam cognationem quandam naturæ habet, ut aiunt, cum selene, seu Lunâ: ut & Borysthenites, quod est electrum, sicuti etiam supra proditum est, simul cum Lunâ & decrescit & augetur. Ceterùm τὸ λυχνὶς quidam efferunt accentu gravi, & nomen esse volunt masculinum, qui ita scribunt: λυχνὶς πυρὸς φλογὶ πάμπαν ὁμοῖος, *lychnis flamma ignis quàm simillimus.* Alii verò de Pallene sic aiunt: Pallene, urbs Thraciæ, a Pallenâ Sithonis filiâ. Est autem Pallene etiam peninsula triangularis, a gigantibus olim habitata, quos quum Hercules osores hominum planèque inhumanos reperisset, debellavit: quo etiam tem-

tempore tonitrua, igneique simul turbines deciderunt. Quare etiam dii visi sunt in hac pugnâ suppetias Herculi tulisse, malosque illos καταφλέξαι, *combussisse*; ideoque regio illa Phlegra est appellata. Ab his ipsis locis DIONYSIUS Pallenidem, Protei filiam vocavit, ubi sermonem habuit de Alexandriâ. Quidam tamen existimant, Pallenen vocatam Cassandreæ peninsulam, ipsam quoque Ægæo adjacentem: ubi & locus quidam, corrupto vocabulo, dictus Torone, eodem, ut videtur, nomine, atque Torone, Protei Thracici filiâ, secundùm Lycophronem.

XLIV. Europæ quæ magis curva ac gibbosa erant quum Periegesi hac suâ descripsisset, Iberes nimirum, qui ad Oceanum usque borealem porriguntur, & Pyrenæos, & Brettanos, & Germanos, & accolas Istri ab utrâque ejus parte, & ipsos Thraces, Europam nobis reliquam, trianguli instar, descriptam intelligendam reliquit, tribus lateribus, uno occidentali Iberum, altero op-

oppoſito Græcorum, tertio denique Auſonum; itaque hæc iſta latera a tribus clariſſimis ac celeberrimis, gentibus inſignivit, atque nominavit. Ac vide, quàm artificiosè, quàmque definitè atque dilucidè Periegeſi ſuâ procedat, neque auditorem ſinat huc atque illuc in immenſâ illâ regione oberrantem conturbari. Heſperia, regionis Iberum κρηπὶς, *crepido*, propinqua eſt Oceano, ubi & Alyba, columnarum Herculearum una, ut & alibi dictum eſt. De Iberibus autem, quæcunque oportebat, ſcripta ſunt ſupra. Volo tamen obſerves, ut hoc quidem loci κρηπῖδας, *crepidines*, vocat, quæ diximus ſupra, latera triangularia: perinde ac ſi quis baſes diceret, eo quia unumquodque horum trium laterum haberi poteſt pro baſi. Κρηπὶς namque propriè de crepidâ, ſeu calceamento; ſed per catachreſin dicitur etiam baſis tum de fundamento, tum de aliis etiam hujuſcemodi. Quin & poſtea ab eâdem cauſſâ latus trianguli, πέζαν, *pedem*, appellat.

In-

Infra Alybam illam, quam diximus, urbs Iberica, beata atque opulenta, Tarteſſus, quam & amœnam vocat, & ſolum hominum ῥυηφενίων, *opibus affluentium*, nimirum divitum atque opulentorum. Aiunt autem, Bætin fluvium eſſe Hiſpaniæ, duplici oſtio, atque inter hæc oſtia duo, tanquam in inſulâ, mediam poſitam eſſe hanc iſtam Tarteſſum, ſic appellatam, eo quia Bætis ipſe Tarteſſus apud veteres vocabatur. Atque hujus etiam meminit Comicus in Ranis, cum per jocum, atque ut loci multò remotioris longinquitate auditorem exterreat, murænam dicit Tarteſſiam. Proditum porrò eſt, Tarteſſum amnem ſtamnum incolis deferre. Pyrene, maximus mons, cujus ſub pede gens Cempſi. Habet autem initium Pyrene ab Oceano boreali, atque ad mare uſque Heſperium porrigitur, Celtoſque & Iberes, ſeu Hiſpanos, dividit. Eademque Pyrene, non mons modò Pyrenæus, ut ſupra dictum eſt; ſed etiam multitudinis numero, montes dicti Pyre-

renæi. Sic autem & Alpes & Hercynium utroque numero efferuntur.

XLV. Ausoniam, longè protentam regionem, mediam secat Apenninus, seu Apennius mons, cujus Alpes quidem, principium; finis verò ἡ Σικελικὴ πορθμὶς, hoc est, ὁ Σικελικὸς πορθμὸς, *fretum Siculum*, ut & alibi dictum est, circa Leucopetram, quæ est in territorio Rhegino. Rectus verò, inquit, hic iste mons, veluti ἐκ στάθμης ἰθυμμένος, *ex lineâ, sive examussim, directus*, nimirum in rectitudinem extentus, tanquam διὰ στάθμης, *ad amussim*, qui quidem funiculus est tabrilis ad ligna dirigenda. Deinde ad hyperbolen sententiam hanc Poëticè exaggerat; itaque dicit ad amussim, rectâque adeò lineâ montem hunc esse extentum, ut ne faber quidem, doctæ Palladis minister, reprehenderit. Planè autem constat, fabros Poësi ministros Palladis intelligi, nimirum prudentiæ. Ceterùm Rheginum illud territorium, cujus memineramus, dicitur a Rhegio, quod ibi oppidum est, a Chalcidensibus

O con-

conditum. Rhegium verò ipsum sic vocatur, vel *παρὰ τὴν ῥῆξιν*, *a ruptura*, quippe Siciliâ per terræ motum ἀπορραγείσῃ, *abruptâ*, a reliquâ ibi continente, ut postea explicabitur: Sicuti & Prochyta insula, & Pithecusæ, & Sirenes quæ vocantur tres insulæ, avulsæ a continentibus partes dicuntur. Vel Rhegium dictum est, perinde ac siquis regium vel basilicum vocaret (ῥῆγες namque & ῥέγες, reges, qui Græcis βασιλεῖς) quasi id ita Samnites a splendore & dignitate urbis appellaverint. Promontorium huic ad ortum, Leucopetra, ut dictum est, *h. e. Albopetra*, sic appellatum a colore, quinquaginta stadiorum intervallo: ubi, ut dictum est, desinit mons Apennius. Quemadmodum autem Alpis numero multitudinis dicitur; sic etiam sciendum, Apennium, multitudinis numero, montes vocari Apennios.

XLVI. Tyrrheni, qui & Etrusci & Tusci dicti apud Romanos, gens latrociniis

ciniis dedita, & crudelis & inhumana; boreales jacent ab eo Apennii montis latere; quod est ad zephyrum, seu a latere occidentali. Vocantur autem Tyrrheni a Tyrrheno Lydo; Atyis filio, quem pater in caritate annonæ, traditâ ei ingenti hominum multitudine, emisit: a quo vocata ea est regio Tyrrhenia: ubi duodecim urbes condidit, præfecto iis ædificandis Tarcone; cujus etiam LYCOPHRON meminit. Atque hunc quidem Tarconem, propter perspicaciam vimque intelligendi, qua jam inde a puero excelluit, canum natum fuisse aiunt, a quo etiam urbs Tarconia. Et hujuscemodi ferè ratione Cycnum illum Troianum jam inde ab ortu canum fuisse veteres testantur, & non tantùm propter albitudinem corporis atque capillorum. Post Tyrrhenos sunt Pelasgi, qui, propter egestatem, passim dispersi atque vagantes, mutatis subinde sedibus, eò tandem devenerunt, procul inde a Cyllene Arcadicâ, ibique sedes locarunt, deducente eos in colo-

niam Evandro, qui, regnante in Arcadiâ Agamede, Stymphalii filio, matri suæ fatidicæ, ut ferunt, obsecutus, collectâque multitudine, eò profectus, ibi tandem substitit: ubi Pani templum posuit, & collem communivit, quem Pallantium à Pallante filio nominavit, qui & eum demortuum summo in colle sepelivit, & Herculem a Geryonis bobus redeuntem hospitio excepit. Unde etiam nunc Romani loca, quæ regem deceant, sic vocant palatia, detractis per aphæresin litteris illis immutabilibus λ′, & ν′. Ceterùm Pelasgos huc atque illuc, ut dictum est, passim vagari, atque palari consuevisse, res est sermone vulgi maximè divulgata: quoniam & Cilices Troadis, secundùm Poëtam, finitimos habent Pelasgos. Quin & Lesbus vocata est olim Pelasgia, & Dodonæus quoque Juppiter est apud Poëtam Pelasgicus. Fuerunt etiam Cretæ habitatores Pelasgi, qui eò aliunde demigrarunt, ut minimè omnium obscurè signi-

gnificat Ulysses in verbis suis ad Penelopem. Ad hæc Lemnus habitata olim fuit a Pelasgis, a quibus in proverbii consuetudine versantur Lemnia mala, propter cædes, quas fecerunt, quippe qui tum mulieres captivas, tum liberos, quos ex iis susceperant, per nefas interfecerint· Sed & in Achaiâ, quæ est in Peloponneso, fuerunt Pelasgi, & Æolici in Asiâ, ut Herodotus ait. Euripides verò ipsos quoque Argivos, Pelasgos fatetur, in illis verbis: *Olim Pelasgi, Danaidæ postea.* Herodotus autem non in Lemno modò, sed etiam in Imbro, habitasse dicit Pelasgos. Est etiam Athenis murus Pelasgicus, sive Pelargicus, ut Comicus apertè docet in Avibus: quippe quum Pelasgi, ut memoriæ proditum est, vocarentur etiam apud Atticos Pelargi, seu Ciconiæ, propter vivendi institutum erraticum ac vagum. Erant enim, propter egestatem, vagi atque errones, &, avium instar, quocunque res, aut casus ferret,

commeabant. Immo & Theſſaliâ, quæ circa Peneum & Thermopylas erat, dicta ab iis eſt Argos Pelaſgicum, eo quia ibi imperitaverant. Aiunt item, Arcades jam inde ab antiquiſſimâ gentis memoriâ Pelaſgos fuiſſe, ut dictum etiam ſupra, qui militare vitæ genus amplexi fuiſſent, atque inde clari & illuſtres evaſiſſent. Fama quoque eſt, Pelaſgos quoſdam annos quinque & octoginta imperium fortiter maris tenuiſſe.

XLVII. Poſt Tyrrhenos & Pelaſgos, illuſtrium Latinorum gens, ſeu genus *μέρμερον*, *curioſum*, hoc eſt, commentationibus ac ſpeculationibus deditum, vi intelligendi præditum, meditationibus atque contemplationibus addictum. Vel quod, propter fortitudinem, quam habet, in cauſſâ eſt hoſtibus *τῦ πολλὰ μερμηρίζειν, ἤτοι φροντίζειν*, *cur multa anxiè in animo cogitent, nimirum curent, curâque & cogitatione complectantur.* Sciendum autem eſt, Latinorum gentem dictam eſſe per periphraſin pro Latinis. Quocirca

etiam

etiam novâ ad elegantiam figurâ orationis ſtructuram facit plurativo numero, in illis verbis: *Γαῖαν ναιετάοντες ἐπήρατον, Regionem incolentes amabilem:* per quam regionem mediam Thymbris amnis, qui & Tiberis, devolutus limpidas in mare aquas mittit. Tum, pro more, repetitione uſus, poſteaquam dixit: *Thymbris, aliorum fluviorum maximè regalis*, veluti per Romam reginam fluens: *Thymbris, qui Romam deſiderabilem bifariam dividit* (per mediam namque Romam fluit Thymbris, ſicuti etiam Cydnus per Tarſum, & per Babylonem Euphrates); tandem adjungit atque adnectit alteram repetitionem Romæ; itaque, propter Romanos, epimonen, moræque ſuæ delicias facit in figurâ hac repetitionis. Et poſt illud, ἱμερτὴν Ῥώμην, *deſiderabilem Romam*, dicit Ῥώμην τιμήεσσαν, *Romam honorabilem*, magnam domum meorum ἀνάκτων, *regum atque dominatorum*, matrem omnium urbium, ἀγλαὸν, ſeu ἀφνειὸν ἕδεθλον, *ſplendidum*, ſeu *opulentum firma-*

 men-

mentum, nimirum ἔδαφος, *solum*, seu *pavimentum*. Ubi quum dixerit ἀνάκτων, *regum*, seu *dominatorum*, manifestè, ut aiunt, ostendit, non sese suo Consulibus fuisse; sed sub Imperatoribus floruisse, Nerone, aut etiam ut aliqui arbitrantur, Augusto: cujus meminisse etiam dicitur in illo versu:

Ausonii regis docuit mitescere cuspis.

Non enim certè Consules, ἄνακτες, *reges*, seu *dominatores*, vocabantur. Et observa, Latinos, secundùm DIONYSIUM, propriè eos appellatos, qui sunt post Tyrrhenos, & Pelasgos, in quibus etiam Romani. Ceterùm Romam sitam esse in Latio, & Latinos cognomines esse Latini, qui Ulyssis & Circes filius dicitur; itemque Tiberim, quum Albulus olim vocaretur, mutato postea nomine, sic appellatum fuisse, quòd Tiberius rex in eo demortuus esset, tum aliæ historiæ clamant, tum illa etiam DIONIS. Tiberium tamen hoc loci dicit historia, non eum, qui Augusto suc-

ſucceſſit; ſed alium vetuſtiorem, quem aiunt in pugnâ occiſum, fluxuque aquarum delatum, nomen de ſeſe flumini reliquiſſe. Volo autem, obſerves, videri alicubi apud THEOCRITUM, Thymbrim quoque amnem eſſe Siciliæ: cujus tamen loci ſcriptura eſt ambigua.

XLVIII. Campani, quorum ſolum pingue a fructuum proventu atque ubertate appellat, nominati ita ſunt a ſubjectis ibi campis, vel ab urbe Campo. Beata autem, prorſusque expetenda hæc iſta regio propter præſtantiam & bonitatem; ideoque digna, de qua certaretur. Itaque litterarum monumentis proditum eſt, ibi quoque campum eſſe Phlegræum, pariter atque diximus in Thraciâ. Quin & gigantum pugnam non in Thraciâ modò, ſed etiam ibi contigiſſe fabulantur, eo quia regio illa facilè oppugnaretur. At enim Phlegræa Siciliæ non ſimili de cauſſâ dicitur; ſed quia illa loca igne atque aquis calidis ſcatent. Duodecim verò quum

ſint urbes Campanorum, in mediterraneo Capua eſt, re verâ Caput, ut Geographus ait, pro etymo & origine nominis, Latinorum linguâ: tametſi aliqui vocatam eam voluerint a Capye, Troïs filio. Proditum autem eſt, Campanos deliciosſum ac molle vivendi genus valde conſectari. Sirenes, ſecundùm HOMERUM, duæ, eæque nominis expertes. Verùm, ſecundùm alios Poëtas, ſunt eæ tres, eiſque nomina, Parthenope, Ligea, & Leucoſia, quæ, quum eas Ulyſſes prætervectus fuiſſet, neque earum cantu mulceri potuiſſet, victæ, præ animi ægritudine, ſeſe ipſæ in mare præcipites egerunt, ibique ſubmerſæ, alia aliò in littus ejectæ ſunt: de quibus Parthenope juxta Neapolim ſepulta eſt, urbem beatam Campanorum, ibique in honore habita. Hanc enim, Petram Sirenidem vocat, caſtæque Parthenopes ædem, ſeu habitaculum, ſpicarum manipulis refertum atque onuſtum. Quam etiam per repetitionem iterum nominat:

Bar-

Parthenopes, finibus vastis quam acceperat æquor.

Suffocatam nimirum, seu submersam. Ac præterea ait, ibi locorum ad austrum fluere Silarum amnem. Hunc Geographus scribit Silarin, ubi ait, proprium id esse Silaridis, ut, quum ejus aqua bona sit ad potandum, tamen injecta in eam planta, in lapidem mutetur, sic tamen, ut formam servet. Post hujus fluminis ostium, ut Geographus tradit, ad stadia quinquaginta promontorium est Neptunium, unde enaviganti insula occurrit Leucosia, avulsa & ipsa a continente, a Sirenum illarum unâ denominata. Alii verò de Parthenope ita commemorant: Parthenope, multorum insidiis petita, servatrixque virginitatis suæ, deinde Phrygis Metiochi amore succensa, tum, capillis suis detonsis, ipsa sese ad neglectum sui, incultumque & inornatum corporis habitum damnavit, tum ad Campanos profecta, domicilium ibi collocavit. Ac fortasse, propter hanc istam continentiam atque pudicitiam, Parthenopen Dio-

NY-

NYSIUS ἁγνὴν, *castam*, appellavit. Sciendum autem est, videri DIONYSIUM Neapolim per extenuationem, atque humiliùs μέλαθρον Παρθενόπης, *habitaculum, seu ædem Parthenopes*, nuncupasse. Tale & illud de Cypro, cum dicta est urbs Veneris. Illud porrò, σταχύων βεβριθὸς ἀμάλλαις, *spicarum onustum manipulis*, æque valet atque τό εὔσταχυ, *Spicarum fœcundum, seu spicis abundans*, valde ferax, ac fertile. Quænam verò αἱ ἀμαλλαι, *hoc est, manipuli*, alibi explicatum est, ubi περὶ ἀμαλλοδετήρων, *de colligentibus atque colligantibus manipulos*. Silarin porro amnem vocat DIONYSIUS Peucentinum, hoc est, circa Πευκετίας, *Peucetios*, quos vocamus, fluentem. Unde etiam observa, videri dici eum Πευκέτινον, *Peucetinum*, debuisse; sed per pleonasmum in tertiâ a fine syllabâ adjectum esse τὸ ν', propter metri necessitatem.

XLIX. Lucani & Βρέντιοι, *Brentii*, per ν', aut Βρέττιοι, *Brettii*, *seu Bruttii*, per duplex ττ, usque ad Leucopetram pertinent, de qua jam scrip-

ſcriptum eſt. Perhibent, Lucanorum horum regionem, itemque Siciliam, magnam olim Græciam nominatam fuiſſe, propter frequentes ibi colonias Græcorum. Lucanorum autem urbs, dicta eſt Λευκάνη, *Lucane*, voce barytonâ, a Lucio quodam; Brettii verò vocati a Bretto, Herculis filio. Verùm Geographus ſcribit, Brettios vocari a Lucanis defectores, ac fugitivos: quales hi etiam, ut ait, qui quum a primo greges paſcerent, deinde, ex indulgentiâ liberiùs agentes, defecerunt. Mons Ζεφύριον, Zephyrium, ſyllabis quatuor, pars eſt borealis Leucopetræ, qua Apenninus ſpectat ad orientem. Zephyrium hoc DIONYSIUS per periphraſin vocat Zephyri promontorium, perinde quaſi hic iſte mons, Zephyrus etiam appellaretur tribus ſyllabis: a quo vocati item videntur Locri Epizephyrii, veluti ad eum montem ſiti. Verùm alii ſic eos vocatos aiunt ad diſtinctionem aliorum Locrorum: eo quia illi quidem alibi ſiti ſunt; hi verò

ad

ad zephyrum ventum, ut ſupra alicubi ſcriptum eſt. At verò Geographus ſic ait: Promontorium Locridis, zephyrium, cum portu ad occidentales ventos expoſito, unde promontorio illi nomen. Creditum eſt, loci illius incolas, primos ſcriptis Legibus uſos fuiſſe, & optimis inſtitutis rempublicam diu ſuam gubernaſſe. Sciendum autem eſt, referri hoc loci calumniam illam atque criminationem generis horum iſtorum Locrorum, quaſi ſcilicet tota gens genus a ſervis duxerit. Servi enim, inquit, quum eſſent ſuperioribus annis, apud Locros nimirum Ozolas, qui ſunt ad ſinum illum Criſſæum ad Euboeam, ac deinde, dominis ad bellum profectis, ſeſe cum dominabus ſuis miſcuiſſent; dominis domum redeuntibus, animadverſionis ſuppliciique metu, fugam una cum dominabus arripuerunt, atque in Tyrrheniâ habitarunt: quorum genus ſunt Locri Epizephyrii; ſervi jam inde ab origine, gentiſque primordiis. Verùm alii ſcri-

ſcribunt, *σφετέρῃ ἀνάσσῃ μιχθέντες*, *dominæ ſuæ mixti*, ſeu *πειθέντες*, *obtemperantes dictoque audientes.* Ubi *ἄνασσαν*, *dominam*, Romam ipſam intelligunt, cujus imperio hi iſti Locri ſubjecti: apud quos Alex omnium Rheginum territorium ſeparat a Locride. Loci autem hujus proprium eſt, ut quæ in ulteriori ab his Locris regione ſunt cicadæ, vocem edant; aliæ verò prorſus ſunt mutæ. Cujus rei cauſſa hæc eſſe fertur, quòd ab alterâ parte, ut aiunt, locus eſt totus umbroſus, ita ut cicadæ, quippe frigidiores atque roſcidæ, tuniculas diducere nequeant, atque ſonum edere; quæ verò in ulteriori parte ſunt cicadæ, eo quia ibi apricantur, membranas habent aridas atque corneas, ita ut percommodè, & perquam ſonorè vocem emittant. In his locis ſtatua erecta quondam fuerat Eunomi, percelebris citharoedi, quæ cicadem citharâ inſidentem haberet: eo quia, certante iu Pythiis Eunomo, unaque chordarum fracta, adſtans cicada ſonum expleviſſet, cantuque ſuo fidium

ſo-

nitum aſſimulaſſet, & ſic Eunomum in comparandâ victoriâ adjuviſſet. Sciendum autem eſt, non Locros modò hos ſervos negotium dominis faceſſiſſe; ſed etiam olim Scythas, ut HERODOTUS narrat, ſervis improbis uſos fuiſſe, cum eos armis nequaquam obtemperantes, flagellis ſubegerunt. Quin & Argos, orbatum olim viris, ſervos rerum dominos habuit, vixque eos demortuorum filii in poteſtatem ſuam redigere potuerunt.

L. Poſt Locros gens Metapontii, quorum urbs Metapontium, quæ dicta olim Siris. Ea ſic appellata eſſe fertur a Metaponto, Siſyphi filio, quem Barbari Metapum vocarunt. Ædificatum eſt autem Metapontium a Pyliis. Ferunt, eos opes ſibi olim permagnas ab agriculturâ comparaſſe; ideoque Delphis percelebratam illam æſtatem auream dedicaſſe. Poſt Metapontios Crotoniatæ. Fluvium porrò, qui circa Crotonem eſt, Æſarum, dicit *χαρίεντα*, *amoenum* & *gratum*, Crotonemque ipſam;

ſam, *ἱμερτὸν πτολίεθρον*, *oppidum deſiderabile*; immo & ipſam *εὐστέφανον*, *bene coronatam*, eo quia multi Crotoniatæ in ſacris Græciæ ludis victores coronati fuerint, itàque patriam condecoraverint, atque *εὐστέφανον*, *benè coronatam*, reddiderint. Itaque narrant, in Olympiade quadam, qui ſtadio reliquos devicerunt, ſeptem viros Crotoniatas fuiſſe. Unde etiam meritò dictum eſſe aiunt, qui Crotoniatarum ultimus, eum primum eſſe aliorum Græcorum, robore nimirum ac fortitudine. Inde etiam Milon, clariſſimus ille & fortiſſimus athleta: qui quum medio in theatro bovem aliquando ſuſtuliſſet, eundem poſtea *ἐθοινήσατο*, *in cœnâ abſumpſit*; itàque virum ſeſe fortem, hac certè in re, ad exemplum Herculis præſtitit, quæ *βουθοίναν*, *boum helluonem*, dixerunt. Cujus quidem Milonis ut vita clara atque glorioſa, ita mors miſerabilis fuit. Dum enim virium ſuarum periculum faceret, compreſſis atque conſtrictis, veluti cuneo, ab arbore manibus, morte coa-

P ctâ

ctâ atque violentâ vitam commutavit. Myſcellum autem quendam ferunt Crotonis conditorem fuiſſe, qui Delphis ſimul cum Archiâ, conditore illo Syracuſarum, oraculum conſulens, ſimulque interrogatus, utrum mallet, divitias an ſanitatem, eligente Archiâ divitias, ipſe ſanitatem elegit. Unde, ut aiunt, Crotoniatæ quidem ſaniſſimi; Syracuſani verò, multò ditiſſimi: a quibus etiam in proverbii conſuetudinem abiit Syracuſanorum decima, quippe quæ perquam multa & copioſa ærario urbis obveniret. Quin & illud, Crotone ſanior, ut Geographus idem teſtatur, inde acceptum eſt, quòd Crotoniatæ optimè valent. Itaque qui id proverbii deſumptum eſſe aiunt ἀπὸ τοῦ *κρότωνος*, *a ricino*, parvo animali, quem HOMERUS *κυνοραϊστὴν*, *quaſi canum interfectorem*, vocat, non benè ſanè aiunt; ſed ludunt illi quidem atque jocantur, perinde ac ſiquis unum aliquem diceret culice iniquiorem. Fluvius porrò ille circa Crotonem, Æſarus vocatur propter

propter Æſarum venatorem, qui ſimul cum cervâ, quam fugientem inſequebatur, quum eò præceps cecidiſſet, fluvium ſic appellandum reliquit. Hiſtoriarum quoque monumentis proditum eſt, Crotoniatas in bello Perſico periclitanti Græciæ opem tuliſſe, navemque unam miſiſſe, cujus dux erat, qui Pythia ter vicerat, & Phaullus nomine vocabatur. Fama autem eſt, eos a gentis origine eſſe Achivos. Quin & olim videntur nominis ſibi ſplendorem ab artis medicæ excellentiâ comparaſſe, propter Demòcidem quendam Crotoniatam, medicum in primis clarum ac celebrem. Lacinium templum fuit Junonis, locuples quondam atque opulentum. Mons autem Crotonis fuit Lacinium: ex quo etiam templum Lacinium, & Juno Lacinias.

LI. Sybaris, oppidum ab Achivis conditum, inter flumina duo, Crathimque & Sybarim, quæ quidam Sybaris quinque & viginti olim urbes, ſecundùm

dùm Geographum, ſubjectos ſibi dictoque audientes habuit, & trecenta hominum millia in bellum contra Crotoniatas eduxit. Sed felicitate hac ſua, præ mollitie ac luxu, ſpoliata fuiſſe fertur intra dies ſeptuaginta. Urbe enim captâ, Crotoniatæ flumen in eam induxerunt, eamque aquis obruerunt. Poſtea tamen, mutato urbis ſitu, urbeque ab Athenienſibus ſimul & aliis Græcis inſtauratâ, appellati ſunt Thurii a fonte quodam cognomine. De iis autem fluviis, de quibus commemoravimus, hiſtoriæ proditum eſt, Sybarim equos inde potantes conſternatos atque attonitos reddere; Crathim verò iis, qui in eo lavant, crines flavos atque albos facere, quod de Xantho illo Homerico ARISTOTELES tradidit. Sybaritæ, Alphei donaria deprædati, iis turpiter abuſi ſunt. Quare dei in ſeſe indignationem atque iram concitarunt. Eò quum jam mollitiei atque luxus deveniſſent, ut per ſummam laſciviam equos ad

ad numeros exercerent, eosque ad tibiarum sonos & saltare & sese erigere docerent, hæc iis res caussa interneccionis fuit. Atqui Sybaritas non ita facere oportebat, sed bellicos equos ad pugnam exercere: quemadmodum Artybius Persa & dux Persarum equum docuit erectum in peditem insurgere, ut HERODOTUS narrat, & pedum ictu, morsuque oris invadentem hostem conficere. Illi verò quum equos ad ludicra tantùm exercuissent, in casum planè exitialem, ut pila quædam lusoria, relisi retortique fuerunt. Commissâ enim inter eos & Crotoniatas pugnâ, Crotoniatæ arma projicere, tympana pulsare, cymbala atque tibias tractare, & crepitacula, & quæcunque alia saltandi chorearumque agendarum furorem inducere solent; equi verò, bombo familiari audito, bacchico quodam furore ad saltandum rapi atque impelli, suique ipsorum jam impotentiores facti, equites suos excutere, eosque sub manus hostibus ad occidendum subjicere.

 Itaque

Itaque desolata est Sybaris, quum, præterquam opus erat, sese illa totam deliciis mancipasset, in pœnam, ut ferunt, sacrilegii, quod in aram Alphei fluminis Peloponnesiam, donariis inde ablatis, commiserant. Unde & DIONYSIUS, miseratione ejus ductus, erumpit in illa verba:

Infelix Sybaris, cives gemit illa peremptos,
Dona quòd Alphei cæco petière furore.

Quoniam non pro officio, neque, ut æquum erat, in Alphei donaria ἐπεμήναντο, *insaniverunt*, hoc est, ἐπεμάνησαν, *insano amore exarserunt*. Ubi μανίαν, *insaniam*, nominat avaritiam, qui est amor pecuniarum. Quæ quidem μανία, *insania*, bellè dicitur de omni re, quæ nimietate sua supra modum exuberet. Sic enim & ἐρωτομανία, *amoris insania*, vocatur, & ὀψομανία, *cupediæ insania*, & homo οἰνομανὴς, *vini amans ad insaniam*, & multa hujuscemodi. Volo autem, observes, τὸ ἀνάθημα, *donarium*, dici

dici etiam γέρας θεῖον, *donum divinum*, seu *quod dicatur diis*. Ecce enim tibi Dionysius Alphei γέρα, *dona*, vocat quæ in templo reposita erant donaria. Verùm alii affirmant, Sybaritas ex veteri oraculo periisse, eo quia majorem homini, quàm deo, honorem detulissent, cum Sybaritarum quidam servum flagris cædens, fugientem ad aram verberare nequaquam destitit; at verò ad monumentum patris confugienti, præ reverentiâ, facilem sese atque exorabilem præbuit, quo etiam tempore Junonis simulacrum sese avertisse memorant, rei indignitate permotum. Quare ea etiam urbs (sic enim narrant) ex oraculo tandem eversa est ac deleta. Erat autem illud oraculum, tum demum Sybaritas internecione esse perituros, cum hominem magis, quàm deum, venerarentur. Postea tamen Athenienses atque Lacedæmonii, ductâ coloniâ, urbem simul instaurarunt, eamque Thurium, ut dictum est, denominarunt. Atque hæc missa in Thurium co-

lonia, multa ac frequens est in historiis. Et Θυριομάντεις, *Thurios vates*, quosdam dicit Comicus, veluti qui deducendæ eò coloniæ principes atque auctores extitissent. Quin & mentio est in historiis Smindyridis Sybaritæ, hominis voluptarii valdeque deliciosi.

L I I. Post Sybaritas, mediterraneum incolunt Saunitæ, quos Romani Samnitas vocant per μ′, sicuti etiam apparet ex Diodoro, qui ita id nominis scribit. Marsorum gentes quum θοὰς, *veloces*, *ac celeres*, vocet, tacitè simul ostendit, Marsos esse ὠκύποδας, *celeripedes*, seu *acupedios*. Ab his nominatum celebre illud Romanorum bellum Marsicum, postea quam Marsi deficere a Romanis cœperunt. De his Romani viperis quosdam colligendis præficiunt, ad confectionem theriacæ, ut manifestè is docet, qui scribit, eos, quos Marsos appellant, Romæ viperas venari. Taras, quæ & Tarentus, sita est prope mari: unde fuit Iccus, medicus ille Tarentinus, propter cujus vivendi frugalitatem,

tatem, atque parcimoniam, in proverbii consuetudine est coena Icci, de iis, qui parcè ac tenuiter coenitant. Atque inde etiam fuit Rhinton, cognomine Phlyax, nimirum Φλύαξος, *Nugator*, seu *scurrula*, nomine diminutivo, quippe qui Tragica in ridicula reformaverit, jocatusque fuerit in rebus minimè omnium jocosis, atque adeo manifestè planeque ἐφλυάρησε, *scurram egerit*. Dicta est autem & virili genere ὁ Τάρας, *Taras*, ex analogiâ. Nullum namque barytonum in ρας est muliebre. Celebrata porro ibi olim est, patrio regionis more, armata agitatio equorum, unde ταραντινίζειν, *tarantinissare*, dicebatur armatam utilemque ad pugnas equorum agitationem facere. Nomen autem accepit hæc urbs a Tarante quodam heroë; habuitque etiam Lacedæmoniorum coloniam. Quocirca DIONYSIUS dicit, fortem Martem urbem eam Amyclæorum condidisse, hoc est, Laconum, quorum pars, Amyclæ. Lacedæmonii enim quum exercitum per-

petuò in expeditionem adversùs Messenios educerent, quòd hi. detrectantes imperium, subinde ab ipsis deficerent, jurejurando inter sese confirmarunt, non ante quidem certè sese reversuros, quam illos vi in servitutem redegissent, quo etiam tempore ii, qui in expeditionis illius partem venire noluerunt, servi judicati sunt, iique Helotes appellati. Quoniam verò bellum in longum tempus extrahebatur, mulieres, quæ provectiori ætate erant, miserunt ad viros. decedere sine liberis uxores, periculumque esse, ne virorum inopiâ patria tandem deficeret, nisi de liberis suscipiendis providerent. Illi igitur, adolescentibus quinquaginta benè robustis minimisque natu delectis, ac talibus, qui liberis procreandis bonam operam navarent, quotquot nimirum adhuc pueri egressi cum adultioribus viris, viris nimirum jam maturis militiæ, atque ad arma ferenda idoneis, sacramenti illius participes nequaquam fuerant,
iis

iis præceperunt, ut cum virginibus universis corpora commiscerent, quo multos ita liberos procrearent: itaque illæ gravidæ ab iis factæ, pepererunt. Verùm enim verò, qui inde suscepti sunt filii, quippe qui nequaquam legitimè, secundùm Lycurgi leges, neque liberaliter, aut ingenuè, educati fuissent, secus, quàm oportebat, vitam suam instituerunt, donec, post novem & decem annos, Messene captâ, qui in bello fuerant, reversi, quum statum civitatis, corruptis jam moribus, malè laborantem reperissent, eos expulerunt: quos quum Phalantus quidam, unus ille quidem de popularibus, assumpsisset, atque in coloniam profectus fuisset, Tarantem condidit. Vocati autem sunt Παρθένων Partheniæ, seu Virginales, qui ἐκ τῶν παρθένων, *ex virginibus* illis nati. Alii verò narrant, hujusmodi pueros, quòd, tanquam spurii, probro a Laconibus afficerentur, contumeliam hanc nequaquam ferentes, insurgere in eos cogitasse;

taſſe; ideoque in coloniam miſſos fuiſſe. Alii etiam tradunt, hos Parthenias ignominioſos habitos fuiſſe, quòd ex illegitimo concubitu nati eſſent, ignominiæque hujus intolerantes, quum unâ omnes eſſent concordique animi ſententiâ, quippe qui fratres inter ſeſe reputarentur, inſidias apparaſſe; poſtea verò id ſibi paſſos perſuaderi, ut aliò demigrarent, in eam coloniam, quam diximus, demigraſſe. Ceterùm Tarentini permagnâ olim potentiâ, multoque etiam majori, quàm facilè credi poteſt, floruerunt. Sed eos etiam luxuria atque deliciæ perdiderunt: apud quos illud etiam uſu venit, ut feſti populares dies plures quotannis, quàm ceteri alii dies, agerentur, ut teſtatur hiſtoria: quum, deliciarum atque otii cauſsâ perpetua & continentia feſta excogitaſſent, ſecundùm proverbium illud: Otioſis ſemper feſtum. Fortaſſe etiam propter mollitiem primùm apud eos inventum eſt tarantinidium, qui eſt tenuis amictus mulie-

muliebris. Situs autem est, ut aiunt, Taras, vel, si cum DIONYSIO, muliebri id genere efferimus, sita est Taras in peninsulâ, ita ut navigia facile utrinque pertrahantur, quippe peninsulæ hujus cervice humili atque demissâ.

LIII. Calabri & Japyges initium habent a Tarante genteque Marsorum, atque ad maritimam usque Hyrion protenduntur: ubi *volvitur*, inquit, *Adria pontus* in sinum Ἀκυλήϊον, *Aquilejum*, nimirum in intimum Adriatici maris sinum, qui est circa Enetiam: qui etiam, conformatâ ad formam Italicam voce, dicitur Ἀκυλεήσιος, *Aquileesius*, sive *Aquileensis*, ἀπὸ Ἀκυλήïας, *ab Aquileiâ*. Urbs maxima, ἡ Ἀκυλήïα, *Aquileia*, quæ quatuor etiam syllabis dicta Ἀκυλία, *Aquilia*; ita denominata ἀπὸ ἀετοῦ, *ab aquilâ*, qui ἀετὸς, a regionis illius hominibus ἀκύλας, *aquila*, vocabatur. Vicina illa quidem maximè urbs intimo Adriatici sinus recessui; sed tamen extra fines Eneticos; atque, ut aliqui aiunt, centum & quinquaginta a mari stadiis

ſtadiis ſita, eademque a Romanis ædificata. Naves ad eam onerariæ adverſo flumine ſubvehuntur; ipſaque liberum patenſque emporium eſt Illyriis, qui ſunt ad Iſtrum. Sciendum autem eſt, hunc quidem Poëtam τὴν Ὕειον, dicere genere muliebri, quam etiam pro more, veluti commemoratione dignam, iterum per repetitionem uſurpat; verùm alios neutro genere dicere τὸ Ὕριον, *Hyrium*. Cretenſium opus, ſecundùm Herodotum, urbs Hyria, tunc ædificata, cum Cretenſes, trajecto in Siciliam ad urbem obſidendam exercitu, poſteaquam nihil ibi pugnando profecerant, ingenti tempeſtate obortâ, ejecti in terram fuerunt. Rurſus ſciendum, Japyges, ſecundùm Geographum, vocatos quoque Meſſapios; itemque ſic eos nominatos ab Japyge quodam, qui filius fuit Dædali ex muliere Cretenſi. Enetiam porrò, de qua commemoravimus, ſiquid oportet extra propoſitum paullò longiùs de eâ dicere, nunc quidem Βενετίαν, *Venetiam* vocant,

vocant, qua etiam ratione Arrianus scribit, Enetos, fractos eo proelio, quo cum Assyriis dimicaverant, in Europam transmisisse, sedemque atque domicilium ad Padum amnem posuisse, ibique pro Enetis ad hoc usque tempus. vernaculâ linguâ, Βενετὺς, *Venetos*, appellatos, quamque ii regionem incolunt, Βενετίαν, *Venetiam*. At enim veteres regionem hanc, suâ ipsorum linguâ, Οὐενετίαν, *Venetiam*, quinque syllabis, vocarunt, ut & τὸν Ὀκτάβιον, *Octavium*, Ὀκταούιον, *Octavium*, & τὸν Φλαβιανὸν, *Flavianum*, Φλαουιανὸν, *Flavianum*, & quæcumque alia hujus generis. Tradunt autem, eos ab Enetis, Asiaticis hominibus, genus ducere, qui, fractis proelio quodam, ut dictum est, atque inclinatis jam rebus, in Europam profugerunt. Alii verò ex Enetis Paphlagoniæ, jam inde ab ipsâ stirpe, genus eos trahere aiunt, gente in primis memorabili, quæ, post captam Troiam, huc illuc oberraverit, cum Pylæmene duce

duce amisso, in Thraciam venerunt; & erroribus acti, in Eneticam, quam nunc vocant, ad intimum sinus Adriatici recessum, pervenerunt. Hujuscemodi autem stirpis Enetorum Paphlagonicæ meminit etiam Poëta illis verbis:

Ex Enetis, unde est mulis agrestibus ortus.

Qua de re ea ibi a nobis scripta, quæ dictu oportuna, & consentanea esse videbantur. Verùm plerique hos ipsos Enetos, qui sunt circa Aquileiam, coloniam esse aiunt Enetorum cognominum, & accolarum Oceani, qui non Eneti modò, sed etiam Belgæ vocarentur. Belgæ autem, gens Celtica. Et affirmat Geographus, hos istos Venetos, accolas nimirum Oceani, conditores fuisse coloniæ Venetorum, qui sunt ad sinum Adriaticum, illosque navali pugnâ cum Cæsare decertasse, ut eum a trajectu in Britanniam prohiberent. Alii vero, quum & ipsi affirment, Enetos Paphlagonicos e bello Troiano cum

cum Troiano illo Antenore eò incolumes pervenisse, testimonio huic rei esse aiunt studium alendorum equorum, quo, secundùm Homerum, tenebantur Eneti Paphlagonici. Nomen enim inter Græcos habuit Enetica disciplina atque eruditio equorum. Ab iis etiam Diomedi albus equus immolabatur. Eorum autem mare similiter affici dicitur atque Oceanus, quum, similiter atque ille, æstus faciat refluentium atque affluentium aquarum: unde campi, quemadmodum veteri historiâ proditum est, marinis ibidem aquis stagnantibus, ita replentur, ut aqua inde, pariter atque in Ægypto, fossis atque aggeribus per canales derivetur. Sed & illud sciendum, totam illam regionem, quæ est post Calabros, quosdam Apuliam vocasse, gentemque ipsam, Apulos; eosque etiam, qui rectè atque accuratè scribunt, scribere Καλαβρία, *Calabria*, non per diphthongum, *αύ*, sed per *β'*. Præterea verò, sicuti Thracius ventus

Q dicitur

dicitur is, qui per Thraciam ſpirat, & Locrus, qui per Locridem; ſic etiam obſerva, ventum dici Japygem, qui per Japygiam. Tegeſtræum oppidum Illyricum, hoc eſt, Tegeſtrum, ad intimos eſt fines maris Adriatici. Hoc & Tergeſtrum dicitur a Tergeſtro quodam, ut palam fit in deſcriptione nominum Ethnicorum.

LIV. Adriatico in mari ad orientem inſulæ Liburnæ, ſeu Liburnides: quæ quidem, ut poſtea ait, poſt Apſyrti inſulas ἐῤῥίζωνται, *fixis veluti radicibus ſunt ſtabilitæ.*

> *Hic ubi ad auroram flexum devolvitur æquor.*

Hoc eſt, ubi ad auroram ſinus ille incurvatur. Quod etiam clarè ſignificatum voluit, cum Adriaticum mare tractum ſuum deſignare ac dirigere ait ad ventum Eurum. Ibi verò etiam, inquit, regio munita τῶν Ὑλλήων, ſive Ὑλλέων, *Hyllenſium*, quæcunque iſthmo adjacet. Peninſulam enim incolere aiunt

aiunt Hyllenses, de quibus & hæc traduntur: Hyllenses, gens Illyrica, ab Hyllo, Herculis filio, ut Apollonius ait. Est & urbs Hylla. APOLLODORUS verò Hyllos hos scribit, ubi hæc ejus verba: *Post Hyllos Liburni, & Istri quidam dicti Thraces. Ante hos jacet Hyllis peninsula, magnitudine prorsus Peloponnesi, cum oppidis quinque & decem frequentibus & permagnis.* Atque hæc quidem ita. Ceterùm τὸ Ὑλλήων, *Hyllensium*, quod est apud DIONYSIUM, plerique codices scribunt per diphthongum, pleonasmo τῦ ί. Sciendum namque est, nomina in εύς quinque declinationem modis apud veteres habuisse: communiter per έος· Atticè per έως· linguâ Ionum recenti per ῆος, priscâ per ἦος, per resolutionem diphthongi εἰ· denique per ῖος, producto τῦ ί, ut auctor est SOPHRONIUS. Ibi porrò, inquit, etiam οἱ Βυλιμεῖς, *Bulimenses*, quos aliqui per ν' scribunt Βουλινεῖς, *Bulinenses*, aut Βουλινὺς, *Bulinos*. Liburnidas autem insulas traditum est esse ferè quadraginta numero. Et

denominatæ ſunt eæ a Liburnis. Gens, Liburni in ſinu interiori maris Adriatici, a Liburno quodam, qui ſcaphas, quas Liburnicas vocant, repererit. Sciendum autem eſt, quod in Dictionario Latinico eſt obſervatum, Liburnides nimirum eſſe naves breves.

LV. Illyricæ regionis terminus, edita culmina, Ceraunii montes, ſic vocati ἀπὸ τῶν κεραυνῶν, *à fulminibus*, eo quia crebra eò decidunt fulmina: in quorum montium finibus ſita eſt metropolis novæ Epiri, quæ Epidamnus olim vocabatur, ſive Dyrrhachium, quod ex hac iſtâ ſuâ appellatione loci aſperitatem oſtendit. Eſt enim δυσράχιον, *dorſo difficili ac ſalebroſo*, hoc eſt, eminentiâ ipſâ ſuâ laborioſum atque difficile; &, melioris ſoni gratiâ, mutato τοῦ σ' in ρ', vocatur Δυῤῥάχιον, *Dyrrhachion*. Sicuti etiam τὸ Τυρσηνὸς, Τυῤῥηνὸς, *Tyrrhenus*; ταρσὸς, ταῤῥὸς, id eſt, parvus calathus, ſeu quaſillus; πυρσὸς, πυῤῥὸς, *rufus*; & alia. Ceraunii porrò montes, initium maris Adriatici atque Ionii:

Ionii: quorum quidem marium tametsi unum & commune sit ostium, tamen sunt ea differentia situ. Sinus enim is Ionius, qui statim ab ostio rectus est, id appellationis sortitus a principe quodam viro, qui locis illis cum imperio præfuerit, vel certè ab Ione illâ. At verò Adrias, sive Adriaticus, is, qui interior est, usque ad intimum recessum, ab Adriâ, ut supra dictum est, urbe perillustri, vel à fluvio cognomine. Ibi porrò, veluti tertia quædam pars, sinus Ἀκυλήϊος, *Aquileius*, ut supra dixit DIONYSIUS. Sunt autem & ad Septentriones Caucasi illius borealis montes Ceraunii. Ceterùm Illyrios populos nominatos ita aiunt ab Illyrio, Cadmi & Harmoniæ filio. Ad sinum hunc, qui est ad Ceraunios montes, tumulum videas Cadmi, & uxoris ejus Harmoniæ: quem etiam tumulum semel atque iterum per repetitionem nominat, & perquam gloriosum atque inclytum appellat. De quibus fabula est,

 inquit,

inquit, eos, post beatam opimamque senectutem, illuc Thebis profectos, in flexuosum serpentum genus commutatos fuisse: quoniam & Cadmus draconem olim Martis, eundemque Dirces custodem, Thebis interfecerat. Hæc autem fabula significat, illos eò ex Græciâ profectos, bonos Græcorum mores commutasse, atque ex lenitate, quæ Græcos deceret, in obliquos distortosque mores, ac veluti serpentinos atque barbaros, degenerasse; itaque ex morum mutatione miseram senectutem egisse. Denique, uno verbo, transisse eos in serpentes idem est, atque eos in feritatem atque immanitatem belluinam commutatos fuisse. Cecropem tamen e contrario narrant fabulæ e serpente in hominem transisse, quòd profectus ille in Græciam, barbarisque Ægyptiorum moribus exutis, bonos atque civiles mores induisset. Memorat etiam DIONYSIUS, in hac istâ regione petras duas sibi ex adverso oppositas, fixas utrinque

ac

ac firmatas esse, & has petras, cum principium aliquod sit incolis sese devolventis mali, inter sese concurrere, itaque agitatas collidi, pariter atque de Planetis fabulantur, & hoc quidem incolis certum esse indicium belli futuri. Τὸ ἐρηρέδαται idem planè est atque τὸ ἐρηρεισμέναι εἰσὶ, *fixa ac firmata sunt*, & ἑδραίως ἐῤῥίζωνται, *firmè ac stabiliter radicata sunt*, seu *radices egerunt*, *fixis veluti radicibus sunt stabilita.* Idque Ionicum est, fitque a tertiâ singulari ἐρήρεισται, *fixa ac firmata est*, rejecto per apobolen τοῦ σ, adjectâque per prosthesin syllabâ δα. Cujusmodi etiam τὸ ὠνομάδαται, *nominata sunt*, ex ὠνόμασται, *nominatum est*; & πεφράδαται, *dicta sunt*, ex πέφρασται, *dictum est*, & quæcunque alia hujus generis. Quod autem sciendum est, tametsi fabula Harmoniæ hujus, quæ Cadmi uxor fuit, genus ad Martem & Venerem referat; tamen Arrianus & Asianam eam facit, & sororem Dardani. Narrat enim,

Cadmum a patre missum ad Europam sororem perquirendam, ipsumque oberrantem, in Harmoniam, Dardani sororem, incidisse, eâque raptâ atque in naves impositâ, ad Bœotiam appulisse, ubi Thebanorum imperio est potitus, quum & divitiarum & ceteræ sapientiæ laude in primis commendaretur.

LVI. Longè admodum ad austrum sub Thraciâ, circaque Oriciam, situm est initium Græciæ. Et observa, ut Oriciam vocat Epirum, ubi Molossi & Thesproti: in qua & urbs Oricus, quemadmodum supra scriptum est, & portus Oricus, secundùm Herodotum. Thesproticus aut Epiroticus. Accipit autem Thraciam & Oriciam, tanquam Græciæ terminos, alterum Orientalem, id est, Thraciam; alterum Occidentalem, nimirum Oriciam. Græcia duplici mari cincta est, tum Ægæo, tum Siculo: quorum unumquodque ventum sortitum est, ad quem respiciat, Siculum mare

mare ventum Hesperium ; Ægæum mare Eurum. Hesperium autem ventum, vocari etiam ait Zephyrum, perinde quasi ita nos lacessat ac provocet ad etymologiam adinveniendam. Zephyrus enim idem quodammodo est, atque ventus Hesperius, seu Vesper aut Vesperalis, tanquam ἀπὸ ζόφου, hoc est, τῆς ἑσπέρας, *a vesperâ*, οὖρος, nimirum ventus. Vide verò, ut, quum dicere deberet ἑκατέρα, *utraque*, nimirum θάλασσα, *utrumque mare*, propter Ægæum mare & Siculum (de duobus enim simul atque conjunctè usurpatur τὸ ἑκάτερος, *uterque*) tamen dixit ἑκάστη, *unaquæque*, *hoc est*, *unumquodque mare*, quod quidem dici solet de multitudine. Idque etiam facit postea. Ac tale nescio quid est etiam apud HERMOGENEM. Pelopis νῆσος, *insula*, quamvis propriè sit χερρόνησος, *peninsula*; tamen νῆσος, *insula*, dicitur, eo quia parùm abest, quin sit talis, ad isthmum nimirum, hoc est, ad cervicem paucorum stadiorum, at-

que etiam quia marinis, ut DIONYSIUS quidem ait, hinc atque inde finibus ἐστεμμένη, *coronata* est; quod perinde valet, ac si ἀμφίαλον, *mari cinctam*, dixisset. Ac vide τὸ ἐστεμμένη, *coronata*, quod perinde est atque κυκλωμένη, *in orbem cincta*, seu *circumdata*. Atque hoc quidem loci melius est ita dicere, quàm supra dixerat de Græciâ, ubi eam dixerat cinctam esse duplici mari. Et hac sanè de caussâ νῆσος, *insula*, nominatur. Pelopis verò dicitur, eo quia Pelops, Phryx ille aut Lydus, gener factus Oenomai, regnum ibi olim obtinuerat. Dicitur autem non compositâ modò voce Πελοπόννησος, *Peloponnesus*, duplici νν, ut Ἑκατόννησοι, *Hecatonnesi*, αἱ τοῦ Ἑκάτου νῆσοι, *insula Hecati*, nimirum Apollinis; sed etiam vocibus simplicibus, nimirum extra compositionem, modò Πελοπία γῆ, *Pelopia regio*, ut invenire est apud Euripidem, modò νῆσος, *insula*, ut DIONYSIUS ipse facit, ubi de Arcadibus. Sicuti etiam id, quod freti est ante Pontum Euxi-

Euxinum, tum simplici voce dicit στόμα, *ostium*, tum, junctis vocibus, στόμα Πόντου, *ostium Ponti*. Et sic etiam τὰς Θερμοπύλας, *Thermopylas*, dictas simplici voce invenimus Πύλας, *Pylas*. Est autem Peloponnesus ad isthmum conjuncta atque continens cum extremitate Græciæ. Contingit enim locus ille Græciam; similisque est folio platani μυουρίζοντι, *in modum caudæ muris desinenti*, hoc est, κατὰ μυὸς οὐρὰν, *caudæ muris instar*, coangustato atque attenuato, ad summum pediculum, sive ad caulem, ex quo folium aptum est ac pendet. Et isthmus quidem ille Peloponnesi apud DIONYSIUM, quadraginta ille stadiorum intervallo, coërcitus in angustias atque inclusus, similis est summo folii pediculo; estque ille borealis, & commune in Græciam vestigium figit: quippe quum Græcia, ut dictum est, statim ab isthmo continenter jaceat. At verò interioris continentis ambitus assimilis est folio in multos turbines ac gyros distincto, veluti qui multas inflexiones

nes atque curvaturas, sinuosósque recessus habeat, ad folii platani similitudinem. Quare etiam Pindarus πολύγναμπτον μυχὸν, *flexuosum admodum atque incurvum sinum*, vocat Peloponnesum. Arcem autem Græciæ veteres dicunt Peloponnesum. Vide verò, tanquam de basi, seu plantâ pedis, dictum illud, ἴχνος ἐρείδων, *vestigium figens.* Dictum est autem cum respectu ad illud: Πέλοπος νῆσος ὀπηδεῖ, *Pelopis comes insula adhaeret.* Consequentia enim inter sese, τὸ ὀπηδεῖν, *comitem ire, sequi, comitari,* & τὸ ἴχνος ἐρεῖσαι, *vestigium figere.* Aiunt porrò, Peloponnesum & longitudine & latitudine esse propemodum æquali, mille ferè & quadringentorum stadiorum; itemque ambitum ejus in orbem, si quis minimè in sinus deflectat, quatuor esse stadiorum millibus, aut aliquantò etiam amplius; si quis verò in sinus ingrediatur atque penetret, amplius quinque millibus stadiorum ac sexcentis stadiis.

LVII. Qua

ante P. 211

EUSTATHIUS

In

DIONYSIUM

PERIEGETAM.

Pars altera.

LVII. Qua Peloponnesus ad zephyrum respicit, Triphylis est regio, pars Elidis, ubi Alpheus, fluviorum maximè amabilis, iter facit, diffissus atque discissus a Messenio illo Eurotâ. Ambo enim ex uno eodemque fonte manantes, inter sese separantur, ac discidium faciunt, qui fons vocatur Asea. Ideoque codices emendatiores scribunt:

> *Οἵ τ' ἄμφω 'Ασίηθεν ἀναβλύζουσι ῥέεθρα.*
>
> *Ambo qui ex Aseâ deducunt fonte fluenta.*

Atque alter quidem, Eleorum, id est, Alpheus; alter verò, Amyclæorum regionem dividit, id est, Eurotas. At verò Geographus scribit, Aseam pagum esse Megalopolis, ubi fontes duo, ex quibus Eurotas & Alpheus fluunt: qui terram subeuntes, multis post stadiis emergunt; ostensisque profluentibus suis, alter fit Laconicus; alter in Pisatin regionem defluit, nimirum in decantatam

tam illam Pisam. Et scribitur quidem Πίσα, *Pisa*, cum σ' simplici, habetque id nominis a fonte Pisâ. Ipse verò hic fons sic appellatur, quasi Πίςρα, hoc est, ποτίςρα, *potistra*. *quæ potum nimirum præbeat*, a futuro πίσω, *bibam*, cujus exemplum apud PINDARUM. Sita hæc ista Pisa inter Ossam & Olympum, montes Peloponnesiacos, cognomines Macedonicorum, aut Thessalicorum, qui sunt apud Homerum. Aiunt porrò, aquam esse alicubi in Alpheo, quæ ἀλφοῖς, *vitiliginibus*, medetur, unde & fortasse nomen fluvius accepit, pleonasmo diphthongi εἰ, ut in ἀδελφειὸς, *frater*, aliisque vocibus hujus generis. Bona verò est hujusmodi aqua ad vitiligines albas & impetigines curandas. Quin & Melampodem ferunt, ad Prœti filias expiandas, cum eæ in insaniam inciderunt, has aquas adhibuisse. Alpheum autem vocat DIONYSIUS ἱερατεινὸν, *amabilem*, propter fabulosum illum Siculæ Arethusæ amorem: cujus amore, ut ferunt, captus, ad illam usque dulcis

amator ex Peloponneſo erumpit, ita ut profluentem ſuam puram ſervet, neque eam cum ſalſâ maris aquâ commiſceat. Ad hæc Geographus ſcribit, Plutonem magno ibi olim in honore habitum fuiſſe. Traditum quoque eſt, æmulatione quadam apud Nicæenſes fluvium neſcio quem Alpheum nominatum, & montes quoſdam Olympios; ludumque ibi Olympiacum, ad eorum exemplum, qui in Elide fiebant, agi conſueviſſe. Triphylia porro & Triphylis regio illa Elidis vocatur ἀπὸ τριῶν τινων φύλων, *a tribus gentibus*, quæ eam regionem incoluerunt, in quibus & Pylii indigenæ, & advenæ Minyi; aut certè a Triphylo quodam heroe. Meſſene verò hæc, regio eſt Laconica, cujus colonia Meſſene Sicula, vocata illa quidem olim Zancle; ſed quæ, HERODOTO teſte, nomen in Meſſenen commutaverit. Scribitur autem apud veteres duplici σσ', & propter hanc Eurotas dicitur Μεσσήνιος, *Meſſenius.* At

verò

verò ἡ Ἦλις. *Elis*, a qua οἱ Ἠλεῖοι, *Elei*, quod ad ſpiritum quidem attinet, dupliciter effertur. Nam & denſatur ab ἀλίζω, quod eſt congrego, colligo, cogo, coacervo, eo quia multi ibi in Olympiorum ludo congregantur; & tenuatur maximè propter regulam, quæ tenuari jubet τὸ ἡ ante λ'. Ferunt autem, in hac iſtâ Elide nequaquam naſci mulos, nullam quidem ob cauſſam manifeſtam; ſed ex imprecatione, atque execratione quadam, ut auctor eſt HERODOTUS.

LVIII. Arcades mediâ in Peloponneſo regionem cavam incolunt ſub monte Erymantho, in quo multitudo magna aprorum. Unde & aper Erymanthius, quem Hercules interfecit. Ibi Melas & Crathis & Ladon flumina. Eſt autem & Siciliæ flumen Crathis; itemque circa Sybarin, ut ſupra ſcriptum eſt, ſive circa Thurium: quo flumine flavi efficiuntur, qui in eo lavant. Sciendum autem eſt, Melanem amnem, non hunc modò eſſe, ſed etiam

tiam Thracicum, ex quo Melas sinus nominatur, is, qui est circa Ænum: nec non Asiæ amnem Melanem esse; itemque circa Trachinem, ut HERODOTUS narrat. Arcades porrò DIONYSIUS Ἀπιδανῆας, *Apidanenses*, vocat; recentiores verò Ἀπιδόνας, *Apidones*, secundùm Geographum, ἀπό τινος Ἄπιδος, *ab Apide quodam*: cujus etiam genitivus, Ἄπεως, *Apis*, ut ὄφις, ὄφεως, *serpens*, *serpentis*. Ἄμαστρις, Ἀμάστρεως, *Amastris*. Ζάμολξις, Ζαμόλξεως, *Zamolxis*. Verùm alii tradunt, Apin, Phoronei filium, ex Epiro profectum, Peloponnesum ab infestis serpentibus liberasse, atque in Arcadiâ habitasse: a quo tota etiam Peloponnesus vocata quondam est Ἀπία, *Apia*; & propter eum Arcades in primis Ἀπιδανῆες, *Apidanenses*, apud quos Arcades Apis habitaverat: cujus & Æschylus meminit in illo versu:

Apis profectus finibus Naupactiis.

Itemque Arrianus :

inclytus Apis,
Unde Apiam dixere, virosque etiam Apidanenses.

Alii tamen volunt, Apiam & Apidanenses sic appellatos ἀπὸ τοῦ πιεῖν, καὶ τῶν πιδάκων, *a bibendo & fontibus*, additâ privationis notâ : quoniam a principio regio illa fontes non habebat ; sed, ut Callimachus ait, *adhuc erat ipsa & aquosa vocanda*, ut propterea dici & ipsa posset πολυδίψιος, *valde siticulosa*. Unde etiam Ἀζηνὶς, *Azenis*, vocata, propter τὴν ἄζην, hoc est, siccitatem atque ariditatem ; & gens ibi Azanes, etiam nunc ita appellati. Sciendum autem est, Arcadiam nomen accepisse ab Arcade, Jovis & Themistonis filio ; eamque etiam olim vocatam Pelasgiam & Parrhasiam & Lycaoniam Gigantidem & Azaniam. Quin & LYCOPHRON narrat, dictos Arcades Antelunares, propter

propter magnam admodum gentis illius vetustatem. Duobus in versibus adverbia quatuor localia acriter varièque commutavit, in hunc modum:

Quòque Melas rapidus, quà Crathis, ubi udus Jaon,
Hic etiam Ogygio decurrit flumine Ladon.

Ogygium autem dicit Ladonem, propter antiquam de eo historiam. Vult enim fabula, primam hominibus mulierem, Daphnen nomine, ex eo & tellure natam fuisse. Ogygius namque, sive priscus, is, qui primam humani generis mulierem generavit.

LIX. Argos ab eâ parte Peloponnesi, qua Peloponnesus ad ortum respicit; qua verò ad occasum, Lacedæmon. Centum antiquitus urbibus fuisse dicitur Laconica: sicuti etiam Creta. Quocirca ibi etiam Hecatombæa ad urbium totidem salutem sacrificabantur. Harum autem centenarum urbium una, Amyclæ, quas Amyclas, Lacedæmonis

filius, ædificavit. Sciendum porrò est, hoc ipsum Argos totius olim Græciæ urbibus præstitisse, idque maximè propter civium fortitudinem. Sed, si HERODOTO fides, benè etiam olim in Musicâ audierunt, quasi in eâ primi atque excellentissimi Græcorum. Scire etiam & illud oportet, non unum solumque esse Argos, sed multiplex. Unum hoc Peloponnesi, quod Sophocles quidem tum Argos Doricum vocat, tum Apiam regionem. Idem verò vocatum est etiam aliquando Phoronicum oppidum a Phoroneo. Quin & nomen illi fuit Ægialea, ab Ægialeo quódam; & Hippoboton, atque etiam Jasum ab Jaso quodam; & Dipsion, *id est, siticulosum*, eo quia non magnam aquarum copiam haberet. Sed & Thessalicum Argos, ut aiunt, dicebatur, quæ nunc Larissa; & aliud rursus, Amphilochicum. Denique, uno verbo, usque ad undecim loca veteres enumerant, quæ Argorum nomine vocantur, qui etiam addunt, omnia propemodum loca campestria ad

mare

mare sita, Argos appellata fuisse. At verò Geographus testatur, recentiores, maximèque Macedones ac Thessalos, Argos locum campestrem dicere. Ad hæc, tota Peloponnesus vocata est olim Argos ab Argo illo toto oculeo. Verùm de hoc ita Geographus: Achaicum Argos & tota Peloponnesus vocata est, & propriè Laconica. Itaque quod dictum est apud Poëtam de Menelao: Ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιικοῦ; *An non Argis erat Achaicis?* idem est, ac si dixisset: *Non erat in Laconicâ?* Inde verò & Helena Argea dicitur, seu Argiva. Postea verò ait, vocatam olím Peloponnesum fuisse Argos Jasum, & Achaicum & Hippium, & Hippoboton. Argorum autem gentile, non modò Ἀργεῖος, *Argeus*, ut veteres docent; sed etiam Ἀργόλας, *Argolas*, & regio ipsa Ἀργολὶς, *Argolis*. Sed & unum quoddam Argos propriè ita Argolicum nuncupabatur. Isthmi illius Peloponnesiaci, de quo diximus, latera circumcirca cum

R 3 fremi-

fremitu abluunt, ad occasum quidem, mare Ephyræ, hoc est, Corinthiacus sinus; ad ortum verò, Saronicum mare. Ephyram dictam ipsam Corinthum, aliasque etiam esse urbes hujus cognomines, scriptum est in Commentariis ad Odysseam. Saronicus autem sinus, vel a Sarone, Trœzenis fluvio, in eum sinum delabente, vel quòd Saron quidam venator, dum aprum insequeretur, illinc lapsus, in subjectum mare ceciderit, ibique submersus interierit. Sic & Icarus, quòd in mari Icario expirasset, nomen de suo mari indidit. Itemque Æsarus, ut supra expositum est, quòd, dum cervam insequeretur, simul cum eâ in flumen circa Crotonem ingressus, aquis ibi præfocatus fuerit, amni nomen reliquit, qui ab illo Æsarus est appellatus. Quanquam qui Saronici maris vocandi aliam caussam afferunt, ii sanè commemorent, Minoëm, captis Megaris, proditione Scyllæ Nisi filiæ, quæ, amore ipsius capta, patris sui caput præcidisset, secum

secum in animo reputasse, quæ patrem suum prodiderat, eam a nullo unquam facinore esse facilè temperaturam; ideoque proditricem illam atque interfectricem patris ad gubernaculum navis alligatam, mari σύρεσθαι, *trahendam*, reliquisse. Atque ea quidem in avem est transformata, ut PARTENIUS ait, is, qui Metamorphoses conscripsisse dicitur; sinus verò, immutato paullulum verbo ex vitiosâ litterarum pronuntiatione, appellationem habet ἀπὸ τοῦ σύρεσθαι, *a trahendo*. Ab hac istâ autem Scyllâ Scyllæum etiam nunc vocatur locus in Hermione urbe Peloponnesi, quò mulier, posteaquam demersa fuisset, marinis est tandem fluctibus ejecta.

L X. Ab isthmo illo Peloponnesiaco, ad Orientem, solum est Atticum, ubi Ilissus amnis fertur, non ille quidem valde memorabilis, sed propter inclytas illas Athenas percelebratus, & cognominatus divinus. Unde, inquit, rapuit quondam Boreas Orithyam, Erechthei filiam. Boreas hic, rex fuit

Thraciæ, raptor regiæ hujus feminæ Atticæ: tametsi fabula, propter unius ejusdemque nominis ambiguitatem, hominem hunc e terris submotum, abire in ventum fecerit. Sicuti etiam Aidoneus, ut probatiores scriptores ac Grammatici volunt, rex fuit Epiri, quæ est in Molossis, ad quem & Pirithous & Theseus propter Proserpinam; immo verò & Hercules, propter Cerberum, canem in primis nobilem, magnoque in pretio habitum, venerunt. Et tamen ille ipse Aidoneus, propter nominis similitudinem, accipitur pro Ἅδη, *Dite*, atque a fabularum scriptoribus in subterraneum illum Plutonem commutatur. At enim Hermias Platonicus suspicatur, regiam hanc puellam Orithyam de præcipiti loco a Boreâ vento detrusam fuisse, & hoc sanè modo dici eam raptam a Boreâ. Regio porro, ubi Athenæ, dicta Attica & Atthis: hoc ab Atthide, Cranai filiâ, a quo etiam dicitur Cranaë; illud verò ab Actæone,

vel

vel ab Actæo indigenâ, a quo etiam Attici apud LYCOPHRONEM, Actæi; vel παρὰ τὴν ἀκτὴν, *ab actâ*, seu *litore petroso*. Ea enim quum sit, ut aiunt, triangularis, magna admodum ejus pars ad mare pertinet. Ideoque una quatuor illarum tribuum, quæ sub Cecrope institutæ sunt, vocata est Παραλία, *Paralia*, seu *ad mare sita*, & alia Actæa. Quin & olim aliquando dicta est Acta, & Actica; immo verò & Posidonia, & Athena, a personis cognominibus. Itemque Ionia ab Ione, Xuthi filio, & Mopsopia a Mopso, alio a vate, filio illo Tiresiæ. Cranaë tamen Attica, non modò a Cranao, ut dictum est; sed etiam quia aspera est, & majorem partem montibus subjecta. Atthidem autem, de qua supra meminimus, natam ferunt Cranao, cum is maximè grandi esset ætate: quam adhuc virginem viroque jam maturam demortuam quum honorificè pater atque splendidè sepelisset, regionem ab eâ nominavit. Atheniensium porrò arcem, vocatam olim

fuisse aiunt Cecropiam; eamque unam de iis urbibus fuisse, quæ sub Cecrope ædificatæ. Præterea verò Atticos vocatos etiam aliquando fuisse Iones, narrat Geographus, ubi ait, Poëtam, quo loci dicit, *Bæotique & Iones*, Iones dicere ipsos Athenienses; itemque Iones Asiaticos, horum esse coloniam, eorundemque esse cognomines; denique Iadem, Ionicam nimirum, dialectum, eandem esse atque veterem Atthidem. Atheniensium autem coloniam esse Iones illos Asiaticos, palam etiam facit Themistocles ille apud HERODOTUM, cum Athenienses, Ionum patres appellat. Narrat etiam idem ipse HERODOTUS, Athenienses, cum Cranai vocitarentur; tamen, quo tempore Pelasgi Græciam obtinuerunt, Pelasgos nominatos fuisse; deinde sub Cecrope vocatos esse Cecropides; postea verò quàm imperium Erechtheus suscepit, mutato eos nomine dictos esse Athenienses; tandem, duce exercitus constituto Ione, qui

qui filius fuit Xuthi, Iones ab eo esse appellatos.

LXI. Celeriter adeo, tanquam in transcursu, adeo nimirum breviter, ac veluti per compendium, locum hunc percurrit *Periegeta*, ut, quum quatuor magnas gentes, Bœotos, Locros, Thessalos, Macedones, commemoret, satis habeat, eas gentes nominatim duntaxat recensere, nihilque de iis ampliùs loquatur. Sic enim ait: *Bœotumque solum, tellusque Locrorum, Thessaliaque Macedoniaque urbes.* At enim hic commentarius de unaquaque harum gentium, quæcunque res postulat, explicabit. Bœotis nomen dedit Bœotus quidam, quo is nomine vocabatur: quem clam editum Arne mater in fimo boum exposuit: ex quo etiam nomen habuit, tanquam projectus circa boves. Vel Bœotia regio ἀπὸ τῆς βοὸς, *a bove*, quæ viam illuc Cadmo præivit. Alii verò a bove nominatos dixerunt Bœotos, eo quia non valde prompto essent ac celeri ingenio. Hac autem cum etymologiâ

giâ concinit proverbiale illud, ſus Bœotia, quo quidem Bœoti ſalsè ſatis atque urbanè notabantur, ut manifeſtum etiam facit PINDARUS. Exercitati admodum in palæſtrâ. Quare etiam illud ferè in vulgi ſermone jactatum eſt, Athenienſes arti nauticæ, Theſſalos equeſtri diſciplinæ, Bœotos palæſtrico ſtudio, Cyrenæos curruum agendorum ſcientiæ; omnem operam navaviſſe. Prope a Bœotis Locri Epicnemidii, id nominis ſortiti a Cnemide monte: ut a Zephyrio monte alii Locri Zephyrii. Tradit enim Geographus, Parnaſſum, qua ad occidentem reſpicit, tum Heſperios Locros dividere, qui & Ozolæ vocantur, qui Heſperum ſtellam in ſigillo inſculpunt; tum etiam Epicnemidios, ſic vocatos a monte Cnemide, ſito circa Oetam montem. Horum autem Epicnemidiorum partem dicit ille Opuntios, ſic nominatos ab urbe Opunte, Patrocli patriâ, quam magnificè extollit ac celebrat PINDARUS. Itaque colligendum, quatuor eſſe Locrorum gene-

genera, tria hæc quidem, Opuntios, Epicnemidios, Ozolas; quartum verò, Italicos, nimirum Epizephyrios. Ozolas porrò vocatos aiunt a Centaurorum ibi interfectorum putredine. Repertum namque est apud eos tum Nessi, tum aliorum Centaurorum monumentum. Pelasgia quæ priùs vocabatur, a Thessalo quodam vocata est Thessalia. In hac ferunt minimè omnium licuisse ciconias occidere, quoniam regionem a serpentibus expurgabant. Ab hac certum quoddam calceamenti genus Thessalis dicebatur. Quin & ab hac saltus Thessalus, qui est in proverbio. Celebrantur autem reges Thessaliæ Alevadæ. Ibi quoque nobile atque illustre genus, Scopadæ. Horum sanè genus ad priscos homines referebatur, quorum alter Alevas, alter Scopas vocabatur. Macedones dicti a Macedone, Jovis filio. Alii decem Æoli filios tradunt, quorum unum fuisse aiunt Macedonem, ex quo Macedonia. Fuit & pars quæ-

dam

dam Macedoniæ, quæ dicta est Maceta: ex qua ipsa etiam Macedonia, Macetia appellata. Ceterùm *ὁ Μακεδὼν*, *Macedon*, dicitur etiam *Μακηδὼν*, *Macedon*, ut supra jam a nobis animadversum est, ubi de Alexandriâ. Unde etiam regionem ipsam vocat DIONYSIUS *Μακηδονίαν*, *Macedoniam*, Æmus, qui & neutro genere Æmum dicitur, ab Æmo quodam Scytharum rege, mons est Thracius. Sic enim DIONYSIUS: *nivosi culmina montis Æmi Threicii.* Huic ad zephyrum sita est Dodone, *ἤπειρος ἀπείριτος*, *continens nullis terminis contenta.* Ac vide etymologiæ, seu parecheseos figuram in his verbis: *ἤπειρος ἀπείριτος*, *continens nullis terminis contenta.* Tale & illud: *ἐν ἐκείναις ἠπείροις εἷς πόντος ἀπείριτος*, *Inter illas continentes unus pontus nullis terminis contentus.* Sciendum autem est, non regionem modò esse Dodonam; sed etiam urbem Dodonam, à Dodonâ Jovis & Europæ filiâ, aut a Dodone flumine. Sed & dicta est *Δωδὼν*, *Dodon*, duplici

plici syllabâ. Ab eâ etiam Dodonæum æs de garrulis ac loquacibus. Fuit autem hæc Dodona olim Thesprotis, seu Thesprotia, hoc est, sub Thesprotis, in qua Dodonæi Iovis per quercum oraculum, ut dictum est in Odysseâ.

LXII. Supra Dodonam ad austrum, sub Aracynthi speculâ (Ætolius mons Aracynthus) magna est campestris regio Ætolorum, per quam mediam sese tractu agens Acheloius, argenteis vorticibus suis in Trinacriæ pontum trahitur, & per medias sese Echinades devolvit, quarum una, Taphus etiam Homerica. Has autem, ut perhibent, non est nunc invenire. Namque Achelous, quum multum limi atque fæcum evomat, aggestâ eas humo obduxit. HERODOTUS tamen non omnes de medio sublatas, sed aliquas, affirmat. Dicit enim, Acheloum per Acarnaniam fluentem, atque in mare exeuntem, Echinades insulas dimidiâ ex parte continentem fecisse. His porrò Cephalle-

num

num urbes finitimæ. Sciendum autem eſt, Ætolos quidem populos nomen accepiſſe ab Ætolo, Endymionis filio; Echinades verò inſulas, vel ab Echione quodam, vel propterea quòd multi ibi ἐχῖνοι, *erinacei*. Cujus verò generis erinacei, quærendum alibi, utrùm terreſtres, an verò marini. Vel rurſus Echinades, eo quia locus ille aſper eſt ac veluti ſpinoſus, κατὰ τοὺς ἐχίνους, *erinaceorum inſtar*. Ceterùm τοὺς Κεφαλλῆνας, *Cephallenes*, & τὴν Κεφαλληνίαν, *Cephalleniam*, uſus omnis priſcorum habet cum duplici λλ· appellatio verò eſt a Cephalo quodam, ut ſcriptum eſt in Commentariis ad Odyſſeam. Sciendum autem eſt, τὸ Ἀχελῷος, *Achelous*, adſcriptum habere τὸ ι, ad exemplum poſſeſſivorum in penultimâ circumflexorum, in ῷος: cujuſmodi eſt τὸ πατρῷος, *patrius*, ſeu *paternus*, Μινῷος, *Minous*, & reliqua hujus generis; & eſſe illud veluti poſſeſſivum; ac propterea DIONYSIUM, qui expreſſum enunciatum-

tiatumque velit τὸ ί, dicere ipsum quinque syllabis Ἀχελώϊον, *Acheloium*. At verò Trinacriæ pontum, dicit Siculum. Quid autem sit, quamobrem Sicilia Trinacria vocitetur, postea explicabitur. Quod volo, observes, Geographus Acheloum, non in sinum Siculum exire ait; sed in sinum Corinthiacum: ita ut idem sit sinus & Corinthiacus, secundùm Geographum, & Siculus, secundùm DIONYSIUM. Achelous autem hic est, qui, quum sinistrum ei cornu Hercules fregisset, suum ut reciperet, Amaltheæ cornu reddidit, quo bona omnia indigenti suppeditabantur. Quidquid verò hoc est, fabularum curatores ita ad veritatem accommodant, & cum eâ conciliant, ut, quod occultè innuit, ad significat hæc fabula, ipsi hoc modo explicent atque enarrent. Hercules, qui in omnes ubicunque terrarum mortales beneficia conferre consuevisset, posteaquam amnem hunc intellexit vagè atque immoderatiùs fluere, suisque flexibus atque curvaturis magnam Ætolicæ

S par-

partem refcindere, itaque damnofum eum atque injuriofum effe, aggeribus quibufdam objectis, & foffis, aquarumque derivationibus ipfum coërcuit; quumque eum avertiffet, moderatèque fluere feciffet, terram recreavit, atque ad commodum ferendorum bonorum ufum adduxit; & quod incolis finiftrum erat, fluminis cornu, inordinatam nimirum curvaturam, quam duriorem, ut ita dicam, atque afperiorem incolæ experiebantur, ad mollem veluti dexteritatem, cohibendo undique & coërcendo, redegit. Atque hæc cornua funt Acheloi, tum illud violentum, atque ad vim inferendam paratum, quod debilitatum atque infirmatum fuit, tum illud lucrofum, efficienfque divitiarum, quod permutatum fuit ac retributum, quo quidem Herculis in mortales beneficia perfpecta atque cognita fuerunt. Decurrentium namque amnium curvaturas, cornua veteres vocabant, ac propterea taurino eos capite præditos atque cornigeros figurabant aque effingebant.

gebant. Atque ita quidem aliqui de Acheloo. Alii verò, quum fluere eum, quò ipse vellet, liberè siverint, unius duntaxat cornu Amaltheæ, quod beatum ac locuples erat, rationem sibi habendam esse duxerunt, & , qua parte laborat fabula, eam ita curarunt, ut traderent, Amaltheam anum fuisse quæstuosam, & negotiationi deditam, quæ lucri ex illâ negotiatione maximam partem in cornu immitteret, quod Amaltheæ propterea cornu vocatum est, divitiarum efficiens vitæque perutile. Quoniam verò minutis id nummulis intus repletum Hercules abstulerat, eoque usus, deliciosam ac delicatam vitam egerat, sermonem inde urbanum esse in vulgus disseminatum, Amaltheæ cornu Herculi bona omnia effudisse: non cornu quidem τῆς αἰγὸς, *capræ illius*, fabulosæ, quæ Ægiochum illum Jovem nutrivit; sed cornu anus illius, de qua diximus. Alii tamen cornu hoc Amaltheæ; quo bene res Herculi ac beatè processerunt, volunt tacitè innuere du-

rum atque austerum vitæ illius institutum, vitamque ab illo ad virtutis aliquando regulas exactam, cum ipse seminudus oberrans, orbemque terrarum à malis repurgans, non utique molle vivendi genus sectabatur; sed duriùs sese atque asperiùs erga improbos nefariosque homines gerebat. Atque hoc planè fuit cornu Amaltheæ, herois illius duritia, procul ab omni mollitie, ad labores firmiter sustinendos. Verùm, posteaquam eò animum atque cogitationem adjecit, ut uxoris blanditiis adductus, otioque umbratili indulgens, sese domi contineret, vestesque ad fovendum corpus indueret, neque ampliùs ad frigus sese nudum exerceret; sed ad delicias deflectens, corpus suum foveret atque emolliret; tunc sanè heroem illum fabula combustum inducit, quasi scilicet hoc ei vestium fomentum ad pyram succenderit. Verùm & aliud est in sermone apud alios, qui locum quendam Libycum omni fructuum genere feracem, quod ad figuram quidem

dem attinet, cornui bovis ſimilem exponunt, eumque locum Amaltheæ cuidam feminæ, poſſeſſionis nomine, vindicant. Quem quidem locum, eo quia omne fructuum genus multò copioſius atque abundantius, multiplicato veluti fœnore, redderet, commutat fabula in cornu bovis, itaque exhibet, quæ eo de cornu ſermonibus jactitantur. Quòd ſi quid commodi atque fructus, etiam tanquam aliud agens, Hercules ex hujuſcemodi cornu percepit, cum in Libyam peregrè eſt profectus, dici ita poteſt Hercules hujus iſtius cornu Amaltheæ particeps fuiſſe. Atque hæc quidem hactenus ſatis: quum Acheloi profluens ad hæc nos iſta veluti tranſverſos abſtulerit atque diſtraxerit. Quod autem ſciendum eſt, ſicuti Aſopi multi, nec non Cephiſſi, ſic etiam Acheloi: quorum etiam unus in Peloponneſo, juxta Dymen Achaicam.

LXIII. Orientalior Acheloo regio eſt, quæ à Phoco vocatur Phocis, eaque,

que, Boream versus, porrecta est ad fauces Thermopylarum, sub plicaturâ Parnassi nivosi, subjecta nimirum est Parnasso. Hujus incolæ dicti Φωκεῖς, *Phoces*, duplici syllabâ. At verò Φωκαεῖς *Phocaës*, tribus syllabis, habitatores τῆς Φώκης, *Phoces*, urbis Ionicæ, quæ dicta etiam Φώκαια, *Phocaa*, ut Νίκη, Νίκαια, *Nice*, *Nicaa*. Prope ab his Thermopylis Spercheus amnis effluit. Verùm DIONYSIUS dicit, Cephissi magnum fluentum per mediam hanc Phocidem delabendo κελαρύζειν, *murmurare*, seu *murmur ac strepitum edere*: quippe quum Cephissus flumen sit Phocicum. Ubi consideres, velim, an τὸ κελαρύζειν, *murmurare*, *strepitare*, *resonare*, propriè usurpetur de magnâ amnis profluente. Septem porro Cephissos Geographus enumerat. Thermopylæ autem, compositâ voce, dictæ tum ἀπὸ θερμῶν ὑδάτων, *a calidis aquis*, ibi erumpentibus, tum quia ille locus conclusus veluti est atque coarctatus in angustias πυλῶν, *portarum*, similiter atque dici-

dicitur περὶ τῶν Κασπίων πυλῶν, *de Caspiis portis*: quas etiam Asiæ κλεῖδας, *claves*, vocat postea DIONYSIUS: perinde quasi de his locorum angustiis idem prorsus sit claves atque portas dicere. Scribit autem HERODOTUS, in ingressu ipso Thermopylarum esse θερμὰ λυτρὰ, *calida balnea*, quas etiam χύτρας, *ollas*, vocant indigenæ; atque ad ipsos hos ingressus esse murum, quem Phocenses olim ædificaverant; antiquitus verò & ibi πύλας, *portas*, fuisse. Quin etiam testatur, a plerisque quidem omnibus Græcis locum illum Thermopylas appellatum; sed ab indigenis Pylas.

LXIV. Draconem illum, quem Apollo in urbe ad Parnassum Pythone interfecit, Delphynen DIONYSIUS vocat: cujus τὸν ὁλκὸν, *tergus*, per figuram repetitionis semel atque iterum nominat, in his versibus:

Delphynes sacro tripodi stat proximus ὀλκὸς,

Ὀλκὸς, *sexcentis horrentia tergora squamis.*

Quippe tergore ibi, seu pelle draconis dedicatâ, unde etiam ipsa, ut dicetur, videtur Python denominata. Ὀλκὸν autem, *id est*, *tractum corporis*, dicit tergus, seu pellem draconis; itaque totius nomine partem appellat. Sicuti etiam ἡ βύρσα, *pellis bubula*, *tergus bovinum*, dicitur βοῦς, *bos*; & ἐλέφας, *elephas*, os ipsum elephantis, seu ebur. Ubi etiam notant, Dionysium pro masculino ὁ Δελφύνης, *Delphynes*, dixisse muliebri genere ἡ Δελφύνη, *Delphyne*, mutatione Poëticâ, pro communitate generis. Vide verò, ut de serpente dicit τὸ φολὶς, *squama*, quasi αἱ λεπίδες, *qua & ipsa squama*, attributæ sint piscibus; itemque ut τὸ φρίσσειν, *horrere*, sive *inhorrescere*, usurpat de assurgentibus atque erectis squamis, hoc etiam loci translatâ hac voce a mari. Sicuti enim

enim τὸ κυμαίνεσθαι, *fluctuare*, vocabulum est marinum; sic etiam propriè τὸ φρίσσειν, *inhorrescere*; atque inde ad alias res diversas est translatum. Solum illud Pythonis θυόεν, *adoratum*, propter multas ibi θυσίας, *sacrificationes*. Praeterea verò ἱμερτὸν, *desiderabile ac gratum*, aut etiam μέγα, *magnum*, templum ibi Apollinis vocat, ubi Phœbum ait, a Mileto aut Claro profectum, χρυσείης ἀναλύεσθαι ἅμμα φαρέτρης, *pharetra aureæ nexum resolvere*, nimirum λύειν τὸν τῆς φαρέτρας δεσμὸν, *pharetræ vinculum solvere*; eâque depositâ, quieti sese tradere. Sacra autem erat Apollini & Miletus & Clarus: Sicuti etiam Delus & Python: nec non, secundùm HOMERUM, Cilla & Chrysa & Tenedus & Ismarus. Python porrò dicta a πύθω, quod est putrefacio, quòd draco ille, quem diximus, eâ in urbe computruerit; vel a πυθέσθαι, quod est addiscere, vel resciscere, quòd ii, qui oraculum consulebant, responsumque petebant, inde ad-

discerent res futuras. Quæ quidem sunt communi hominum sermone satis pervulgata. Ceterùm Miletus, urbs est Æolica, de qua nos postea quæ e re esse videbuntur. Clarus verò, navalia esse dicitur Colophonis, itaque appellata esse ἀπὸ τοῦ κλήρου, nimirum a sorte. Multi enim quum dii de eâ, ut aiunt, sortirentur, obtigit ei Apollini. Quin & Iovis ibi Clarii oraculum fuisse memoratur. Unde etiam apud Lycophronem Cassandra dicitur Clari Mimallon, hoc est, Baccha & vates Claria.

LXV. Insula maximè Occidentalis, Gadira, seu Gades extremæ, in medio Portarum, seu faucium illarum, quæ sunt ad Iberiam, sive Hispaniam. Quare etiam Iberica vocat Gadira ARRIANUS. Est ipsa hæc insula, secundùm Geographum, non multò major centum stadiis in longitudinem; latitudine verò ad mensuram alicubi est unius stadii. Ejus gentile quadrifariam dicitur, Gadirita, Gadirensis, Gadiræus, & Gadiranus, ut Bosporanus. Sunt autem non genere

re modò neutro τὰ Γάδειρα, *Gadira, Gadirorum*; sed etiam muliebri ἡ Γάδειρα, *Gadira, Gadiræ.* Sita verò ea est in finibus Oceani, ad mare nimirum Hesperium, seu Occidentale: quæ superiori hominum memoriâ Κοτινοῦσσα, *Cotinussa*, vocitabatur, nimirum Κοτινόεσσα, *Cotinoessa*, tanquam multis referta κοτίνοις, *oleastris*, quod genus est oleæ silvestris; sed, mutato postea nomine, dicta est Gadira. Hîc coli ait Herculem filium Jovis. Planè hic Hercules, aut Thebanus fuit, aut Phœnix, secundùm nonnullos, nimirum Tyrius. Habuit porrò hæc insula Phœnicum coloniam. Phœnices enim quum mercaturam facerent, atque, ut Poëta loquitur, πρηκτῆρες, *negotiatores*, essent, atque τρῶκται, *lucriones atque lucripetæ*, & quocunque locorum adnavigarent, habitarunt etiam ibi, eamque insulam, ut suprà scriptum est, propter loci illius angustias, quasi γῆς δειρὰν, *terræ cervicem*, transnominarunt. Ibi autem Phœnices coloniam constituisse, edocet Geographus, cum coloniam

Ioniam missam fuisse a Phœnicibus ait usque in Iberiam, seu Hispaniam, tum reliquam, tum eam etiam, quæ extra Columnas. Quin & ARRIANUS Tartessum a Phœnicibus conditam testatur. Ælianus item in libris de Providentiâ scribit, aram in Gadiris positam fuisse Anno, & aliam Mensi, in honorem temporis tum brevioris, tum longioris. Est etiam, inquit, insulanis templum senectutis, quo ætatem multa edoctam honorent: templumque aliud Mortis in honorem requietis communis. Ac præterea, inquit, ara apud eos Paupertatis, atque Artis, alterius, ut eam sibi propitient, ac placent, alterius, eam ut sibi ad remedium illius assumant. Strenui porrò in re navali planèque viri Gadiritæ. Ideoque, tametsi ea insula sit extrema; tamen celeberrima atque clarissima evasit. Manifestum autem est, pleraque loca nomen a plantis accepisse, ut hæc ista, de qua diximus, Cotinusa. Sic enim & Ericusa dicitur ab ericis, quibus abundat.

Item-

temque Miletus, ob copiam *τῶν πιτύων*, *pinorum*, vocata est olim Pityusa. Quin & loca Athenarum compluria sunt inde appellata, ut *ἡ Ῥαμνοῦς*, *Rhamnus*, a rhamnis, seu spinis albis ibi provenientibus. Sed & Cerasus Pontica vocata est à cerasis arboribus; itemque Myrrhinusii a myrrhinis, seu myrtis.

LXVI. Post Gadira Gymnesiæ insulæ, sic vocatæ, vel eo quia Bœotorum quidam eò propter naufragium ejecti fuerunt *γυμνοὶ*, *nudi*, lænâque exuti, secundùm LYCOPHRONEM; vel quia incolæ degunt *γυμνοὶ*, *nudi*. Sed & olim hæ istæ insulæ vocatæ sunt Baliarides, seu Baleares. Fundis torquendis optimi præstantissimique insulani, ut LYCOPHRON narrat, eorumque singuli ternas in capite fundas gestant, ideoque, patriâ linguâ, Baliarenses dicti, hoc est, funditores. Gymnesias autem insulas quum aliqui septem esse affirment; tamen Geographus duas esse commemorat: quarum una, inquit, major; altera, minor, beatæ ambæ & opu-

opulentæ ; & bonis eæ quidem portibus instructæ ; sed tamen ad portuum ostia veluti strumosæ, petrosæ nimirum atque asperæ. Homines autem earum insularum primos ait tunicas lati clavi adinvenisse. Traditum quoque est, cuniculis duobus, masculo & feminâ, aliunde ex locis transmarinis in has insulas importatis, eos cuniculos, propagatâ permultùm sobole, usque adeò auctos fuisse, ut, terrâ cuniculatim effodiendâ, & domos & arbores subverterent ; indeque incolas coactos fuisse legationem ad Romanos mittere ad regionem petendam. Suffodiunt autem terram & radicibus vescuntur *οἱ λαγιδεῖς*, *cuniculi*, quos etiam nonnulli λεβηρίδας vocarunt. Post Gymnesias insulas est Βοῦσσος, *Busus*, quam Herodianus in Prosodiâ Universali vocem facit oxytonam, legens Βυσσὸς, *Busus*. Hujus ambitus, Geographo teste, stadiis est quadringentis. Insularum Ligustici maris, secundùm Siciliam, maximæ, Sardinia & Cyrnus. Quare etiam DIONYSIUS Sardi-

Sardiniam vocat latissimam. Cyrnii autem vitâ quàm maximè diuturnâ esse referuntur. At enim Cyrnum vocant etiam, ut est apud DIONYSIUM, Κορσίδα, *Corsidem*, vel, ex quorundam exemplarium fide, Κορσίκην, *Corsicam*. Atque, ut alii quidem aiunt, Corsis appellatur a Corsâ, muliere ita vocitatâ. Fertur enim Corsis dicta esse in mari Tyrrhenico insula à Corsâ servâ, quæ boves pascebat. Verùm, ut vult DIONYSIUS, dicitur Corsis propter τὰς κόρσας, *capita*, quæ ibi sunt, hoc est, montium cacumina. Neque enim, inquit, ulla alia æquè atque illa, est nemoribus atque sylvis ἀμφιλαφὴς, *referta*, hoc est, densa ac frequens arboribus. Ἀμφιλαφὲς autem propriè idem est atque denium, ὃ ἐστιν ἀμφοτέρωθεν λαβέσθαι, *quod est utrinque apprehendere ac tenere*, verso τοῦ β' in φ', Macedonum more, qui etiam τὸν Φίλιππον, *Philippum*, dicunt Βίλιππον, *Bilippum*. Tale ferè & τὸ σοφὸς, *sapiens*, ex σέβω, *colo ac veneror*;

neror; & τὸ στρεβλὸς, *tortuosus*, seu *flexuosus*, ex στρέφω, *torqueo*, seu *flecto*. Ubi sciendum, non de densitate modò dici τὸ ἀμφιλαφὶς, *spissum*; sed etiam generatim de multitudine, vel frequentiâ ac crebritate, ut palam facit is, qui dicit βροντὰς ἀμφιλαφεῖς, *fulgura crebra*, & elephantes alicubi ἀμφιλαφεῖς, *multos ac frequentes*. Atque id quidem hujusmodi. Verùm ἡ Σαρδὼ, *Sardo*, seu *Sardinia*, sicuti alibi supra scriptum est, effertur etiam per ὁ Σαρδὼν, *Sardon*. Sic enim Geographus: Διέχει Σαρδόνος, *Distat a Sardone*, Cyrnus, quæ dicta est etiam a Romanis Corsica, stadiis sexaginta. Aspera ea est, inquit, malèque incolitur; quique eam tenent, inhumaniores sunt feris; suntque adeo pecorini, ut vel in servitutem redacti, aut intolerantes sint vitæ, aut, si vitam sustentant, contumaciâ planè atque stupiditate dominos suos conficiant; ipsosque dominos, qui eos possident, tametsi minimum pro iis pretium dependerint, tamen impensæ postea pœniteat. Vocata est

est autem Sardon a Sardone Herculis filio. Quin & olim nominata est Ichnusa: quoniam figurâ similis est hominis ἴχνει, *vestigio*. Habitata quoque ea olim est ab Iberibus, sive Hispanis, deinde ab Heraclidis, quum eò Hercules tum Thestiades, tum Cadmeorum atque Locrorum quosdam migrare jussisset. Postea etiam habitata est a Carthaginiensibus. Ab hac istâ Sardone, proverbii loco, secundùm quosdam, dicitur Sardonius risus, de quo scriptum est in Odysseâ.

LXVII. Æolum, quo de quærendum ad Odysseam, post HOMERI vestigia; regem dicit hospitalem, & Hippotadem; utiturque etiam in eum repetitione, propter hominis famam atque celebritatem. Eum autem dicit dona planè admiranda sortitum fuisse, quæ quidem sunt & turbantium & quiescentium ventorum κοιρανία, *imperium*, nimirum κυρκότης, *dominatio*. Itemque dicit, Æoli septem esse circumfluas in mari insulas, ἐπωνύμιας,

cognominatas, ut ait, ab hominibus Plotas, hoc eſt, φερωνύμως, *nomine ad rem ipſam appoſito*, ſeu *ducto a re ipsâ nomine*, Plotas vocatas, non quia loco moventur, ut de Delo olim fabulati ſunt; ſed quia, tanquam περίδρομοι, *circumflua*, mediam (hæc enim ejus verba) habent περίπλοον ἀμφιέλικτον, *circumcirca in orbem flexam navigationem*, hoc eſt, περιπλέονται, *circumnavigantur*. Et ſunt eæ notæ, neque expertes ſunt nominis, neque, propter aliquam improbitatem, ſeu pravitatem, ſunt navibus inacceſſæ. Hæc autem bonitas eſt ac præſtantia inſularum. Vocat autem & HOMERUS Æoli inſulam, Ploten, cujus quidem appellationis ibi cauſſam inquirito. Eædem verò inſulæ, id eſt, Æoli, dictæ etiam Liparenſium inſulæ, diſtantes à freto Siculo ſtadiis ducentis, in proſpectu poſitæ navigantibus e Siciliâ atque Epiro. Quarum quidem una Strongyle appellatur, ubi Æolum ipſum domicilium habuiſſe ferunt, quæ inſula flammæ

flammæ quidem vi sex aliis insulis est inferior; sed splendore longè eas antecellit. Maxima autem earum, Lipara, sic vocata a Liparo quodam, Ausonis filio, eademque Cnidiorum colonia: a qua, tanquam a parte multò præstantiori atque excellentiori, insulæ omnes Liparensium nuncupatæ. Hæc verò olim nominata est etiam Meligunis; eique proxima est Sicilia. Ceterùm volo, observes, Æoli insulas dictas illas quidem Æolias, non tamen Æolidas (id enim nominis Æolensium insulæ sortitæ sunt); atque has etiam insulas sitas dici in mari Tyrrhenico. Unde observandum, Siciliam Tyrrhenico mari adjacere.

LXVIII. *Θρινακίαν*, *Thrinaciam*, quam HOMERUS, vocat hic Poëta *Τρινακίαν*, *Trinaciam*, hoc est, Siciliam; quæ, ut ait,

Stat longè in triplicis lateris protenta figuram;

quasi nimirum triangularis. Atque hæc

est veluti etymologia τῆς Τρινακίας, *Trinaciæ*, quasi Τριακρίας; *Triacriæ*, hoc est, habentis τρία ἄκρα, *tria promontoria*. Quocirca etiam LYCOPHRON eam insulam dicit τρίδειρον, *tricipitem*, & PINDARUS τριγλώχινα, *tricuspidem*. Ac vide illud, ἑστηκυῖα ἐπὶ τρισσαῖς πλευραῖς, *stans super tria latera*. Idcirco enim alicubi supra κρηπῖδας, *crepidines*, seu *fundamenta*, bases nimirum, dicit latera ipsa trianguli, veluti stantis, super crepidinem seu fundamentum stantis, nimirum supra basim quandam. Ἄκρα verò ei, inquit, sive ἀκρωτήρια, *promontoria*, & anguli insularis hujus trianguli, Πάχυνός τε, Πελωρίς τε, Λιλύβη τε, *Pachynusque, Pelorisque, & Lilybæum*. Ac vide, ut hîc etiam celeriter atque acriter promontoria tria Siciliæ uno versu complectitur atque comprehendit. Ex quibus sanè Lilybe est ad zephyrum εἰσανέχουσα, *insurgens*, seu *assurgens*, quæ genere etiam neutro dicitur Λιλύβαιον, *Lilybæum*, ut κεφαλή, κεφάλαιον, *caput*. Pachynus verò ad ortum: denique

denique ad ſeptentriones, Auſoniam verſus, reſpectat Peloris, cujus in ſinu Meſſana. Ac vide non ſtipatum fruſtra eſſe præpoſitionibus τὸ εἰσανέχουσα, *inſurgens & aſſurgens*; ſed præpoſitionem quidem εἰς, *in*, apertè indicare, promontorium illud ad multum intra mare ſpatium porrigi atque extendi; præpoſitionem verò ἀνὰ, *ad*, *ſive ſurſum*, tacitè oſtendere promontorii illius faſtigium atque excelſitatem. Unde & ventoſam, ſeu ventis expoſitam vocat Peloridem. Sciendum autem eſt, Pelorin hoc quidem loci promontorium eſſe Siciliæ; ſed & interdum vocem hanc uſurpari de oſtreo. Eſt enim, ſecundùm veteres, πελωρὶς, *peloris*, oſtrei genus, majus chemâ. Quare etiam πελωρὶς dicitur propter magnitudinem. Atque hæc quidem ita. Ceterùm Geographus ſcribit, ex Trinacriâ appellatam eſſe Trinaciam, mutato ita nomine ad concinniorem ſonum. Auctor idem eſt, a Pachyno, promontorio Orien-

rientali, ad ostium Alphei, qui est in Peloponneso, trajectum esse quatuor millium stadiorum; a Lilybæo verò, promontorio Occidentali, ad Africam & Carthaginem, mille & quingentûm minimùm stadiorum; & quendam ferri acerrimo visu præditum, ex speculâ iis, qui in Lilybæo erant solventium Carthagine scapharum numerum renuntiasse. Sciendum porrò est, DIODORUM non promontorium modò Siciliæ Lilybæum agnovisse; sed etiam puteum ibi locorum sic vocatum, nec non urbem putei hujus cognominem, commemorasse. Vide hic etiam in illis verbis: *Τρινακίη δ' ὑπὲρ πέδον Αὐσόνων*, *Trinacia verò supra solum Ausonum*; pro more usum eum fuisse præpositione *ὑπὲρ*, *supra*, de partibus australibus. Australior namque est Sicilia continente Ausonum, unde etiam abscissa ac divulsa fuit, ut dicetur. Alii verò aiunt, Thrinaciam vocari, eo quòd similis sit *θρίδακι*, *lactuca*, quod quidem valde discrepat ab opinione veterum. Non enim figurâ esse

esse tali videtur Sicilia. Verùm enim verò Sibylla sic eam appellatam ait a Trinaco bubulco, illis verbis:

incoluit quam Trinacus heros,
Filius æquorei Neptuni.

LXIX. Boream versùs a Siciliâ perniciosa nautis via, & angusta, & obliqua, & intractabilis: ubi mare, inquit, tractum, moti agitatique Euripi instar, longas circumfremit σπιλάδας, *rupes*, petras nimirum maritimas, seu littorales. Exponit autem in his versibus fretum Siculum: ubi Homerica etiam fabula labem esse narrat Charybdis, & malum Scyllæ. Est hoc sanè fretum undosum ac fluxum; ac ipsum quidem semel atque iterum singulis diebus mutatur: quum tamen integro quatuor & viginti horarum spatio septies id accidat in Euripo illo Euboico, apud quem ARISTOTELEM ferunt diu commoratum, tandem decessisse: ubi & Arethusa illa Euboica, ac præterea Chal-

cis, a qua Euboicus ipse Euripus, Chalcidicus vocatur. Hujus autem Chalcidis cives, viri fortes memorantur, de quibus oraculum hujusmodi in vulgus emanavit:

Thessalicum bene equum, Lacedaemoniamque puellam,
Potantesque viros sacrae de fonte Arethusae.

Ubi, quidquid hoc est oraculi, Arethusios, ex veterum quidem explicatione, ipsos dicit Chalcidenses. Ibi namque est Arethusa, de qua hoc istud oraculum loquitur. Scire enim oportet, non unam solamque hanc Siculam, sed multas esse Arethusas, sicuti etiam Chalcides & Euboeas; immò verò & freta, Siculi instar, fluxa atque undosa, de quibus quidem fretis Byzantinum effluxum tantummodo, non verò refluxum, neque aquarum reciprocationem, habet. Quanquam Hipparchus tradat, id etiam interdum moras facere, nimirum stare. Sed & illud sciendum, duo quum freta

freta sint Siciliæ, alterum ad Italiam, quod est boreale, de quo proximè ante dictum est, tradi esse intervallo stadiorum septem (tantum enim a terrâ intervalli habent angustiæ, ubi eæ quàm maximæ, sicuti etiam pars quædam Hellesponti, ut supra proditum est); alterum verò ad Carthaginem, id est, australe, quod est a Lilybæo ad Africam, ut paullò ante scriptum est, mille esse & quingentûm stadiorum: quem *Λιβυκὸν πόρον*, *Africanum trajectum*, vocat DIONYSIUS. Sicilia, peninsula olim fuit, conjuncta isthmo atque continens cum Ausoniâ. Sed, facto maximo, ut videtur, terræ motu, isthmoque diducto atque diviso, mare, quod ad isthmum erat, irrupisse aiunt, Siciliamque interceptam, insulam, eamque idcirco non valde a continente distantem, constituisse. Unde etiam fertur fabula, Neptunum, veluti qui terræ motibus præsidet, Aonio ferro, eoque multis cuspidibus armato, isthmum il-

I 5 lum

lum abſcidiſſe, & mare, quod cum utrinque iſthmum cingebat, induxiſſe; itaque, quæ peninſula antea fuerat, inſulam eam feciſſe, in gratiam Acaſti Æoli filii, quò hanc tutiùs incoleret. Atque ab hac iſtâ ῥήξει, rupturâ, quemadmodum ſupra dictum eſt, denominatum ferunt Rhegium, quod eſt ibi locorum: pariter atque Thracium, quod apud nos eſt. Nam & id ipſum nominatum quidam opinantur propter hujuſmodi ῥῆξιν, rupturam: qua ῥήξει, rupturâ, defluens lacus proximo ſeſe mari conjunxit. Atque id etiam ferè narrant aliqui Helleſponto contigiſſe, ut infra explicabitur. Geographus porrò ſcribit, nonnullos eſſe qui credant, abruptam fuiſſe Lesbum ab Idâ, ut Siciliam a Rheginâ, & Oſſam a Macedonico illo Olympo, inter quos montes jam inde ab eo tempore Peneus interfluxit: nec non tenuem Euripi fluctum Euboidem inſulam ab actâ Bœotiâ, quæ ſunt Poëtæ cujuſdam verba, ſeparaſſe.

Porro

Porro autem πολυγλώχινα σίδηρον, *ferrum*, seu *contum multis cuspidibus praeditum*, secundùm veteres, vocat tridentem Neptuni, pro eo, quod est τριγλώχινα, *tricuspidem*, cuspides tres habentem. Sicuti etiam postea alicubi dicit, multum esse in Asiâ Oceanum. Quòd ipse quidem interpretatur illis verbis: *namque sinus tres evomit intus*; perinde quasi idem sit dicere Oceanum multum, & Sinus tres ex Oceano. Si qua enim, inquiunt, tria, haec etiam multa. Non tamen e contrario, si multa, necessariò etiam tria. Non enim id sermonis inter sese vicissim convertitur, nec reciprocatur. Denotat autem, ut aiunt, veluti per aenigma, tridens qualitates tres aquarum, salsitudinem, qualis est illa maris; dulcedinem, qualis est illa fluminum; qualitatem inter has mediam, quae est lacuum. Quae enim aquae amarae sunt, & acidae, & si qua forte alia aqua hujusmodi, non eae sanè adnumerandae propter raritatem. Ceterùm ferrum, Aonium vocat, pariter ac si quis Boeo-

Bœotium diceret. Aones namque, gens barbara, cujus ſedes quondam ac domicilium in Bœotiâ: ubi Neptunus colebatur, ubi quidem certè optimum ac præſtantiſſimum eſt ferrum Aonium. Tale enim maximè Chalybicum eſſe, ſcriptorum teſtimonio eſt comprobatum, ut dicetur poſtea.

LXX. Circa Syrtim Occidentalem, parvam nimirum, inſulæ duæ, Meninx, & Cercinna. Atque hæ etiam dictæ. Lotophagorum regio, & maximè Meninx: ubi & ara Ulyſſis, & Lotus multus. De Loto hæc Geographus: Arbor, quæ vocatur Lotus, fructu jucundiſſimo. De quo etiam multa commemorat ATHENÆUS: & de eo quoque ſcriptum eſt in Commentariis ad Odyſſeam.

LXXI. Diomedea inſula, quam noſter hic Poëta fortis Diomedis inſulam vocat, ut ſic eam per periphraſin ab etymologiâ declaret, in mari eſt Adriatico, Japygiam verſus, ad ſiniſtram, ſi quis mare illud ingreditur: ubi domici-

micilium Diomedes habuit, patriâ suâ expulsus, Veneris irâ, quippe quæ vulnus ab eo in prœlio ad Troiam accepisset; quemadmodum narrat etiam HOMERUS. Quod autem sciendum est, Poëta quidem Diomedis uxorem Ægialeam castam facit & pudicam, neque sanè Diomedem expulsum unquam fuisse commemorat. Verùm alii tradunt, Venerem, belli Troiani tempore, Ægialeæ, quam improbam atque malitiosam DIONYSIUS hic vocat, persuasisse, ut cum Sthenelo, Cometæ filio, consuesceret; a quibus etiam post reditum Diomedes exactus, vagus atque errabundus ad Iberes, sive Hispanos, venerit τριλλίστους, *terque quaterque exoptatos atque expetitos*, seu τηλίστους, *longissimè remotos*; immo verò & ad hanc ipsam insulam. Est autem τὸ τριλλίστους, *ter precibus expetitos*, idem quod apud HOMERUM πολυλλίστους, *sæpius multisque precibus expetitos*, seu *valde exoptatos*[1], hoc est, πολυλιτανεύτους· quippe quum τὸ τρὶς, *ter*, sumatur pro πολὺ, *multum*,

seu

ſeu *valde*, contra quam in τῷ πολυγλώχινι, *multas cuſpides habenti*, quod paullò ante dictum eſt. Illic enim e contrario poſuit τὸ πολὺ, *multum*, pro numero τρία, *tria*, ut dictum eſt ſupra. Et hujuſmodi quidem τὸ τελλίςους, *ſemel atque iterum tertioque precibus petitos*. At verò τὸ τηλίςυς, *longiſſimè remotos*, ſignificat eos, qui ſunt ultra fines, vel qui a finibus noſtris longè ſunt remoti, & τῆλε, hoc eſt, procul, ad Oceanum diſtant. Ibi enim ſita eſt Iberia Occidentalis, ſeu Hiſpania. Alii verò inſulas duas Diomedis commemorant: qui etiam dicunt, dominationi illi Diomedis in hoc mari teſtimonio eſſe inſulas Diomedeas, & equum album, qui ei, ut dictum eſt, apud Venetos immolabatur. Harum porrò duarum inſularum alteram, cultam eſſe aiunt & habitatoribus frequentem, cujus etiam meminiſſe videtur DIONYSIUS; alteram verò deſertam eſſe, atque ab incolis vacuam: in qua & Diomedem de

medio

medio sublatum fuisse memorant, & ejus ibi sodales, ut LYCOPHRON ait, in aves transformatos.

LXXII. Quà Adriaticum mare ad Orientem respicit, Apsyrti insularum immensus tractus apparet, hoc est, Apsyrtides insulæ: quas Colchi, inquit, incursarunt, Medeæ vestigia μαςεύοντες, *indagantes*, nimirum inquirentes, consectantes, persequentes, cum illa Jasonem, amore ejus capta, affectabatur: quam quum illi comprehendere minimè potuissent, sed frustra laboravissent; quum, quò se verterent, non haberent, ibi ad habitandum substiterunt. Non enim iis licebat in Colchidem, nisi reportatâ Medeâ, redire. Sic enim Æeta interminatus fuerat. Nominatæ autem hæ sunt insulæ Absyrtides ab Absyrto, Medeæ fratre, quem de insequentium comitatu unum Medea comprehensum, membratimque dissectum dilaniavit, cujus etiam carnium frusta mari dispersit. Vide verò, quàm lepidè atque urbanè vestigia Medeæ dixerit, quasi de ferâ,

quam

quam venatores insequantur, atque vestigent. Est autem vel sic grandis ac magnifica oratio Latenter enim notat eam, veluti ferinam, propter cædem fratris. Quin & observa τὸ ὀλκὸς, *tractus*, dictum etiam de insutis, ita ut non de serpentibus tantùm, neque de solâ aquâ vox hæc usurpetur.

LXXIII. Post Ceraunios saltus, ad austrum, Ambracientium insulæ apparent, pinguisque illa Corcyra, charum solum Alcinoi, qui, si qua fides historiis, magnâ ibi nominis celebritate regnavit: ἐφ' ἧ, *ad quam*, id est μεθ' ἣν Κέρκυραν, *post quam Corcyram*, fixa firmataque est Ithacæ sedes: quam & Nericiam vocat, non quasi a Nerico ibi monte, ut volunt nonnulli (illum enim montem Poëta Νήριτον, *Neritum*, dicit per τ') sed quasi Epiroticam. Epiri namque urbs, Nericum, quæ nunc Leucas, ut dictum est ad librum ω' Odysseæ, scripto hoc nomine per *c*: tametsi LUPERCUS nescio quis, scriptor oppidò vetustus, ut Scholiastæ aiunt, id ipsum

ipſum etiam oppidi ſcribat per τ′, eodem prorſus nomine, atque montem illum Ithaceſium. Ambracienſes porrò, gens & ipſi Epirotica, ita appellati, aut ab Ambraciâ, Augeæ filiâ, aut ab Ambrace, Theſproti filio, a quo etiam ſinus Ambracioticus, & urbs Ambracia, ut a Theſproto Theſprotia regio. Sunt tamen, qui τὸ ἄμβραξ, *Ambrax*, affectato vetuſtatis more, ſcribant per π′, ac propterea regionem ipſam Ἀμπρακίαν, *Ampraciam*, pariter atque inſulas ipſas Βρεττανικὰς, *Bretanicas*, Πρετανικὰς, *Pretanicas*. Sed frequentior atque uſitatior ſcriptura eſt per β′. Pinguem verò vocat τὴν Κέρκυραν, *Cercyram*, tum a copiâ atque ubertate, tum a bonitate atque felicitate fructuum, quod quidem ſatis indicat Poëta in Odyſſeâ. Vetuſta tamen Scholia, multique hiſtoriarum codices oſtendunt, ambiguè ſeſe apud veteres habere inſulæ hujus ſcripturam: dici namque etiam Κόρκυραν, *Corcyram*, per ό. Ædificata autem eſt a Corinthiis Cercyra, magnumque olim

V incre-

incrementum accepit, & urbes complures atque insulas, missis coloniis, frequentavit, multasque copias navales habuit, ita ut in Persico bello Cercyræi sexaginta naves instruxerint, classiariisque militibus compleverint, cum ancipitem belli fortunam veriti, neque Xerxi, neque Græciæ auxiliati sunt; sed auxilia distulerunt. Verumtamen desolata rursus est, ac deserta, ita ut in proverbium hujuscemodi abierit: Libera Cercyra, cacato, ubi velis. Cercyræ porrò, duæ: altera Phæacis, ad sinum Ionium, de qua sermo nunc etiam DIONYSIO, quæ & Phæacia vocata, & Scheria, & Drepanum, & Argos. Atque hæc quidem una. Altera verò Cercyra intra Ionium, dicta maximè Corcyra per ό, & Melæna eadem vocata. Ceterùm Phæacis portus habet duos, quorum alter Alcinoi appellatur. Quod autem sciendum est, Cercyræi apud quosdam dicti etiam Cercyres, ut & Illyrii, Illyres; & Assyrii, Assyres; itemque *οἱ θεράποντες*, *ministri*,

ministri, θέραπες, ut cum Ælianus ait: λέγουσι δὲ καὶ οἱ προφῆται, καὶ θέραπες τῶν θεῶν, *Dicunt etiam propheta, & ministri deorum.* Præterea etiam οἱ πολύποδες, *polypedes*, dicti reperiuntur πόλυπες, *polypes.* Chalcis, mons est Ætoliæ, qua ex Chalcide Achelous vorticibus serpit argenteis. Sunt autem & aliæ Chalcides, quo quidem nomine montes aut urbes significantur, ut, exempli caussâ, Chalcis illa Euboica, sicuti paullò ante fusiùs dictum est; itemque Thracica, quæ etiam nunc nomen servat.

LXXIV. Insulæ Cretâ magis boreales, πρὸς ζόφον, *ad occasum* (hæc est enim, quod ad sensum attinet, narrationis hujus structura), Ægyla, Cythera, asperaque illa Calauria. Carpathus verò, ab alterâ parte, nimirum ad ortum; & prope eam Creta: cujus quidem laudes celebrat illis verbis: Creta honorata, nutrix Jovis, cujus amplitudo πελώριος, *eximia*, nimirum magna; ingensque illa & pinguis, bonis pascuis prædita: super quam Ida, mons ejus

insulæ, unde Troiana illa Ida, ut Geographo videtur, nomen accepit. Atque hanc sanè, ut percelebrem, atque memorabilem, per repetitionem nominis ita commendat DIONYSIUS:

Ida, procul quernâ silvarum fronde virescens.

Multis enim mons ille magnisque arboribus frequentior. Creta autem dicitur, ut veteres aiunt, a Curetibus, qui ibi incoluerunt, quasi Cureta, & per syncopen Creta. Verùm alii Cretam eam nominant a Crete, filio Iovis. ARRIANUS verò, Cres, inquit, a quo Creta denominata, is, qui Jovem in Dictæo monte occultavit, cum eum Saturnus, interimendi ejus caussâ, quæreret. Archias tamen quidam, ut fertur, Κρεήτην, *Creetam*, eam, pleonasmo τοῦ ε, nuncupavit. Quatuor autem quum hoc loci insulæ simul cum Cretâ commemorentur, Ægyla non multis quidem verbis veteres sibi persequenda esse duxerunt. At verò Cythera, insula est juxta Cretam,

tam, quæ id etiam nominis in hodiernum usque diem servat, quæ etiam videtur fuisse in caussâ, cur Venus Cytherea vocaretur, secundùm fabulam HESIODI, qui Venerem Cythereram dictam testatur, propterea quòd ad Cythera appulisset. Eam quoque insulam vocatam olim ferunt Πορφυροῦσαν, *Porphyrusam, quasi Purpurantem*, eo quia pulcherrimas πορφύρας, *purpuras*, haberet. Nominatam autem eam aiunt a Cythero, Phœnicis filio. At verò τὴν Καλαύρειαν, *Calauriam*, insulam, veteres Scholiastæ voce efferunt proparoxytonâ, quippe qui legant Καλαύρειαν, *Calauriam*, ad regionis τῶν Καλαβρῶν, *Calabrorum*, seu Calabriæ, distinctionem, quæ pro regionum regulâ acuitur in penultimâ: quum sic tamen servent scripturam per ι, neque hanc Καλαύρειαν, *Calauriam*, scribant per β in penultimâ; sed per diphthongum αύ. Aiunt porrò, hanc insulam ambitu esse stadiorum triginta, eamque ab Epiro dis-

tare freto quatuor ſtadiorum. Deinde poſt eam aiunt eſſe ſinum Saronicum, cujus ſupra meminimus: ante quem jacet Ægina, inſula jam ipſa maris Myrtoi, ſicuti etiam Cythera, & Calauria, & Salamin. Præterea verò aiunt, Calauriam hanc inſulam Neptuni fanum pro aſylo habuiſſe, quare etiam Demoſtheni, quum eò confugiſſet, miſſum ab Antipatro Archiam nequaquam vim intuliſſe; ſed perſuadere conatum fuiſſe: tametſi ille non ſibi perſuaderi paſſus fuerit; ſed ultrò ipſe ſibi mortem conſciverit. Fertur autem Neptunus Calauriam hanc cum Latonâ Delo permutaſſe, quam pro Calauriâ dedit: ſicuti etiam Tænarum accepit, datâ pro Tænaro Pythone. Unde trita illa communi ſermone in proverbii modum carmina de iis, qui par pari arbitratu ſuo anteponunt, atque inter ſeſe commutant:

Par

Par habitare tibi Delumque Calaureamque ,

Pythonemque ſacram, pulſataque Tanara ventis.

Carpatho porrò narrant nocumento olim atque exitio lepores fuiſſe, malum eò aliunde importatum , ut perſpicuè etiam declarat id , quod eſt in adagio : Carpathius leporem. Cretæ verò urbes maximæ , quemadmodum etiam ſupra ſcriptum eſt , Gortyna , Cydonia , & Cnoſſus , Minois regia , quæ Cæratus quoque eſt appellata , cognominis amnis cujuſdam præterfluentis. Minos porro primus inſulam legibus , regendarumque civitatum inſtitutis , incoliſque in urbes cogendis manſuefecit. Ac de eâ quoque locutus eſt HOMERUS in Odyſſeâ ; ibique a nobis ſcripta , quæ locus & res ipſa poſtulabat. Sciendum autem eſt , *Periegetam* , pro eo ac ſi diceret , *inſulæ magis ſeptentrionales Cretâ*, dixiſſe , *magis ſeptentrionales Amniſo* , ut ita ex parte totum ſignificaret. Pars

 enim

enim quædam Cretæ, Amnisus, ubi & spelunca Lucinæ, ut Poëta narrat in Odysseâ. Ex adverso Ægyptiæ πέζης, *planta veluti pedis*, nimirum crepidinis septentrionalis τȣ Delta, seu firmamenti, aut basis, Rhodus sita est, cujus ambitus stadiorum est nongentorum & viginti. In eâ urbs Lindus, etiam nunc percelebrata, a qua naves Lindicæ. Ac præterea Jalyssus, ac Κάμιρος, *Camirus*, quæ vox scribitur per ί, ad differentiam nominis proprii. Siquidem ὁ Κάμειρος, *Camirus*, nomen proprium, scribitur per diphthongum. Post hanc ad ortum, initio maritimæ oræ Pamphyliorum, intra magnum Patarorum promontorium, Chelidoniæ tres insulæ positæ sunt, pari inter sese magnitudine, atque inter sese stadiis ferè quinque distantes; remotæ verò a terrâ stadiis circiter sex: a quibus quidam putant initium ducere percelebrem illum montem Taurum, quum ejus re verâ initium ducendum sit ab eâ maritimâ orâ, quæ est e regione Rhodiorum. Sciendum autem est He-

RODIA

RODIANUM in Prosœdiâ Universali legere Χελιδονιαὶ, *Chelidoniæ*, voce oxytonâ; ut πυρκαϊαὶ, *pyræ*. Patara porrò ædificata a Pataro, urbs magna, de qua supra fusiùs scriptum est. Ceterùm Rhodus tum alia admiranda habuit, tum etiam colossum illum solis, opus Charetis, hominis Lindii, cubitorum septuaginta. Atque ipse quoque unum fuit de septem spectaculis, seu admirandis: qui, fractis terræ motu genibus, cecidit. Sed & multas alias Rhodus statuas habuit, quarum ut singulare artificium, expressamque omnino similitudinem vitæ (parùm enim aberat, quin animatæ viderentur) quodam veluti ænigmate artifices indicarent, catenis eas ligaverant, ut ne forte sese ipsæ clam, demigrandi aliò caussâ, moverent. Quòd si insulam hanc non maximo modò colosso commendare; sed etiam quàm minimo donario extollere oportet; pulchra ibi perdix fuit, percelebrata appendix atque auctarium picturæ Protogenis. Ve-

rumtamen propter magnum illum colossum, quem diximus supra, Rhodii, veluti a magno insigni, sunt etiam Colossaënses appellati. Dicitur quoque Rhodus navalia occulta, vulgòque arcana, habuisse, &, si quis ea introspexisset, id ei capitale fuisse. Fertur etiam vocata ea olim fuisse Ophiusa, deinde Telchinis, propter Telchines illos Cretenses, qui domicilium ibi habuissent, homines sanè maleficos, qui præstigiis atque fascinationibus uterentur: tametsi aliqui eos homines infamiâ temerè notatos fuisse affirment: eos enim potiùs ab ejusdem artis æmulis per calumniam atque invidiam fascinatos fuisse: quum optimi ipsi essent æris ferrique artifices, qui & falcem Saturno sunt fabricati. Geographus autem scribit, Rhodios, quum in Hispaniam usque navigassent, urbem ibi Rhodum ædificasse.

LXXV. Cyprus, quod ad præstantiam quidem atque excellentiam attinet, nulli alteri insularum secunda, Pamphy-
lio

lio Iſſicoque ſinu abluitur, qua nulla adhuc inſula magis recedit ad orientem. Eam autem vocat, Ἀφροδίτης ἄστυ ἐπήρατον, *urbem Veneris amabilem*, pariter atque Samothraciam, Κορυβάντων ἄστυ, *Corybantiam urbem*, parùm quidem decorè (non enim magniloquæ orationis eſt, inſulam tantam, ἄστυ, *urbem*, ſeu *civitatem*, dicere) ſed ut conſequens ac conſentaneum eſt fabulæ, propterea quòd ibi maximè Venus eſt commorata. Erat enim hæc inſula deæ in oblectamento ac deliciis, a qua & Cypris ea eſt denominata, idque propter impudicitiam ac venuſtatem inſulanorum. Ceterùm quidam aiunt, vocatam eam eſſe Cyprum a Cypro, Cinyri filio, vel a flore Cypro, quem nominant, copioſè ibi proveniente. Verùm alii vocatam eam olim fuiſſe aiunt Cryptum, διὰ τὸ κεκρύφθαι, *eo quòd abdita atque occultata fuiſſet*, a mari: quod etiam in fabulis fertur de Delo, itemque de Rhodo, ſecundùm PINDARUM. Sed & Sphecciam & Ceraſtiam eam olim appellatam, patet

tet ex LYCOPHRONE. Beatiſſimi autem & locupletiſſimi inſularium, Cyprii. Quin & ipſi imperium quondam maris aliquandiu obtinuiſſe dicuntur. Inſulæ porro hujus ambitus, ſi quis ſinus ſequatur atque circumeat, ſex ſtadiorum millia, & quadringenta ac viginti. Atque iſthmos etiam ſubinde facit, propter figuram ab alterâ parte longiorem. Inſula circa Phoenicen Aradus. Feruntur Aradii in celebritate quondam & gloriâ fuiſſe, cum, diſſidentibus inter ſeſe fratribus, Seleuco, qui & Callinicus dictus, & Antiocho, qui & Hierax, ipſi Callinici partes ſecuti, eam poteſtatem acceperunt, ut a rege ad ſeſe confugientes recipere ſibi liceret, neque eos invitos tradere: excepto quòd perfugæ ſine regis permiſſu minimè ab ipſis enavigarent. Eſt autem & alia inſula, Aradus, ut dicetur infra. Ante Sunium promontorium, ἐφύπερθεν, *ſupra*, vel ὑπένερθεν τῶν Ἀβάντων, *infra Abantes*, conſpicuas ſeſe dant Salamiſque

&

& Ægina. Scire autem oportet, idem hoc loci significare τὸ ἐφύπερθεν Ἀβάντων, *supra Abantes*, & τὸ ὑπένερθεν, *infra*, *vel subter*, ita ut utrâque hac voce dicat id, quod est magis australe: quod quidem, quamvis sit ὑπένερθεν, *infra*, eo quia nobis polus attollitur septentrionalis; tamen, pro *Periegeta* consuetudine, ὕπερθεν, *supra*, *vel supernè*, est, quippe qui præpositionem ὑπὲρ, *supra*, usurpet de partibus australibus. Promontorium autem percelebratum Atticæ & Eubœæ, Sunium: qua in Eubœâ Abantes, de quibus paullò post. Salamis verò prima est in Saronico mari, quà Corinthus respicit ad orientem; & post eam, Ægina, quam passim *Pindarus* decantat. Qua de Æginâ hæc etiam litteris consignata: Insula ante Epidauriam Ægina, clarissima, ambitu stadiorum centum & octoginta, abluta tum Cretico mari, tum Myrtoo, quod est inter Cretam atque Atticam; eaque in profundo quidem glebosa, sed petrosa in summo; ideoque ab arboribus nuda,

nuda, tametsi hordei satis ferax; eademque Oenone olim appellata. Ex eâ Æacus. Porrò autem primi ibi insulani Myrmidones vocati sunt, non quod, secundùm fabulam, obortâ per insulam pestilentiâ, incolisque morbo absumptis, myrmeces, seu formicæ, in homines, Æaci precibus, transierint; sed quòd, myrmecum, seu formicarum, more, bonâ terrâ, quæ in profundo erat, suffossâ, eam petris injecerint, quo terram colere, & in fossis habitare possent, quippe qui, ut terram haberent, a faciendis lateribus parcerent. Ipsi autem Æginetæ, jam inde à majoribus Dorienses, ex Epidauro, secundùm Herodotum. Ex hac etiam insulâ Crius, magnâ vir celebritate, athleta generosus ac strenuus, à quo expulsus ex hac insula Cleomenes, rex Laconum, quum exterrere eum vellet, urbanâ ad Crii nomen allusione, quòd Græcè arietem significat, dixit decantatum ac pervulgatum illud: Jam nunc contra ferrum cornua, ô Crie, tanquam

quam si cum ingenti esset ille malo congressurus. Quin & Sostratus quidam fertur mercator Ægineta magnum ex mercibus quæstum fecisse. Atque hæc quidem de Æginâ. Salamis porrò circuitu est septuaginta, aut octoginta stadiorum. Ea verò vocata olim fuit Cychrea, à Cychreo quodam, cujus LYCOPHRON & ARRIANUS meminerunt: qui, propter loci quidem asperitatem, cognominatus est Ophis, quasi serpens; abactusque ex hac insulâ fuit ab Eurylocho. Præterea verò hæc insula nominata fuit Scirax ab heroë quodam, à quo etiam Sciras Minerva apud Athenienses, & Scirophorion mensis, & Scira, locus in Atticâ. Habuit item fluvium, Bocarum nomine, ut & LYCOPHRON narrat, perinde ac si quis Bucephalum diceret. Sicuti etiam Burina, fons quidam Italiæ apud THEOCRITUM, id nominis habet ἀπὸ βοὸς ῥινὸς, *a naribus bovis*. Ceterùm nemo quisquam, in historiis paullò versatior, ignorat, Xerxem

Xerxem ad Salaminem navali prœlio ſuperatum fuiſſe, inſulam verò hanc navales olim copias minimè contemnendas habuiſſe. Salaminis autem fretum duûm ſtadiorum eſſe aiunt, quod Xerxes, niſi fugâ prohibitus fuiſſet, conatus fuerat aggeſtâ terrâ complere, itàque exſiccare, contra quam juvenili jactantiâ atque temeritate fecerat in Atho, cujus cervice perfoſsâ, aridum in mare mutaverat.

LXXVI. Ægæum pelagus inſulas habere dicit innumerabiles, & admirandum profundum *πόρον*, *meatum*, illum Ægæi appellat. Helleſpontum quoque per paraphraſin, aut periphraſin, aut etymologiam, explicat, cum eum dicit anguſtum gurgitem Athamantidis Helles, eo quia Helle, Athamantis filia, eò cecidiſſet, locoque nomen reliquiſſet: cujus etiam ſepulcrum HERODOTUS tradit eſſe in Cherſoneſo Thracicâ. DIONYSIUS porrò ait, Seſtum ibi & Abydum contrariam inter ſeſe ſtationem poſuiſſe. Seſtus, Leſbiorum

biorum colonia, quemadmodum etiam Madytus, ut Geographus ait, urbs Cherfonefia, Abydo diftans ftadiis triginta, a portu in portum: ubi etiam quæ dicta eft Apobathra, ubi compacta atque juncta eft ratis Xerxis. Eft autem ipfa hæc urbs in Europâ; eaque Atticè quidem dicta Seftus, muliebri genere. Namque apud Ephorum dictus eft Seftus, genere virili. Habuitque ea olim urbs murum firmum ac validum, ut Herodotus tradit. Abydus verò, ad ortum Sefto objecta, à Milefiis ædificata, pari diftat intervallo a Lampfaco & Ilio, ut Geographus ait: ubi fretum eft ftadiorum feptem, quod Xerxes quidem ponte junxit. Incenfa autem hæc Abydus fuit à Dario Xerxis patre. Sed & fuiffe quondam dicitur Abydus Libyca in Ægypto, regemque Memnonem habuiffe, fecunda a Thebis illis centum portarum. Ac præterea etiam memoratur Abydus Italica. Cæterùm de Hellefponto tum alia veteres in dubitationem ac controverfiam vo-

carunt, tum unde etiam inciperet, quemadmodum jam antea ſcriptum eſt. Iſtrum autem neſcio quem auctorem citant, qui tradiderit, magnas quatuor terrarum inundationes fuiſſe, quarum unâ diſruptus Helleſpontus Europam ab Aſiâ disjunxerit. Sciendum verò eſt, ex Gentilium nominum ſcriptore, oppidum quoque Italicum dictum neutro genere Abydum; Mileſios autem hos Abydenos Sycophantiæ, ſeu calumniæ, mollitieique infamiâ flagraſſe. Unde etiam adagium: *Neque temerè Abydum calces*, nimirum, ne confidenter in eam ingrediaris. Ac rurſus ab eâ ipsâ urbe alterum adagium de rebus moleſtis atque ingratis: *Abydena bellaria.* Illud porrò, ἐναντίον ὅρμον ἔθεντο, *contrariam ſtationem poſuerunt*, pro eo eſt, ac ſi diceret: oppoſitæ inter ſeſe jacent, vel ſunt ſibi e regione oppoſitæ, fretoque interjecto, ſunt ſibi utrinque obverſæ.

LXXVII. Inſularum Ægæi maris quotquot, ſub flexu manus ſiniſtræ, ſitæ

sitæ sunt ingredientibus in Hellespontum, sunt eæ quidem Europæ: de quibus & Macris est, & Scyrus, & Peparethus, & Lemnus, quæ Vulcanum colebat, & Imbrus, & Samus Thracia, quæ Cabirorum sacra habebat, qui & Corybantes vocabantur; & Thasus, quæ & auraria quondam metalla habuit, & Datum condidit, claram & celebrem urbem, ad oram maritimam Strymonis: unde adagium veteres usurpant: Δάτος ἀγαθῶν, *Datus bonorum*, ut illud: Ἀγαθῶν Ἀγαθίδες, *Agathorum*, seu *bonorum*, *Agathides*. Atque hic quidem considera hoc ipsum adagium: *Agathorum, id est, bonorum, Agathides.* Etsi enim id proverbii plerique omnes veterum aliter interpretantur; tamen videtur esse ἡ Ἀγαθὶς, *Agathis*, nomen locale. Quare etiam appositum atque adjunctum est, ad exemplum proverbii illius: Datus ἀγαθῶν, *bonorum*, ita ut, quemadmodum dicitur Datus agathorum, puta, locus & urbs; sic etiam dicatur, *Agathides*

agathorum. Nisi enim ita sit, quæ unquam alia in reliquum duûm horum proverbiorum inter sese similitudo? Sciendum autem est, Thasum urbem ædificatam a Pariis fuisse; Parium verò, urbem esse in Propontide. Verùm aliter Arrianus: Parius, inquit, Jasionis filius, a quo, veluti conditore, denominatum Parium, quod est in Hellesponto. Neque a superiori narratione dissentit Arrianus; sed, perinde quasi sint illa synonima, Propontis & Hellespontus, unam fortasse & eandem urbem denotat, quod & aliis visum est, ut scriptum jam antea. Atque ita quidem Parii Thasum ædificasse perhibentur. Aliqui tamen e contrario Parium Thasi coloniam affirmant. Arrianus verò scribit, vocari Thasum a Thaso, Neptuni filio; vocatamque eam etiam olim auream insulam propter auraria metalla, quorum Herodotus meminit, quo loci narrat Herodotus, Thasios magnos proventus & aurifodinas in scaptesylâ habuisse, easque aurifodinas

dinas Phœnices adinveniſſe, qui oppidum in inſulâ ſimul cum Thaſo, Phœnicis filio, condiderunt, ex quo nomen inſulæ. Habuit autem Thaſus templum Herculis, ab iiſdem his Phœnicibus poſitum, qui ad Europam perquirendam navigantes, Thaſum ædificaverant. Atque hæc quidem de Thaſo. Vide verò, ambitioſiùs hoc loci ſplendere, ac niteſcere Poëtam, cum ad unamquamque harum inſularum epitheton adhibet. Et Macrin quidem, hoc eſt, Eubœam, Abantiadem vocat, à populis ejus inſulæ Abantibus, gente Thraçicâ, ut Arrianus ait, ſic appellatâ ab Abante quodam Argivo, filio Neptuni. Hos Homerus & ab occipite comatos eſſe ait, Thracico more, & magnanimos appellat. Scyrum verò Dionysius ventoſam dicit, Peparethum excelſam, Lemnum, ad Homeri exemplum, aſperum ſolum Vulcani, propter crateres ignis, qui ibi aliquando fuerunt. Quare etiam duarum in eâ urbium al-

tera vocata est Hephæstia, seu Vulcania. Atque hinc etiam incoluisse olim ferun'ur Pelasgi, qui ex Atticâ ab Atheniensibus, ut injusti & rapaces, exacti fuerant. Ad hæc, Thasum, Ogygiam dicit, itemque Cereris actam, seu horreum, propter insulæ opulentiam atque fertilitatem. Quod & abiit in proverbium illud: *Thasos bonorum*; perinde ac si quis diceret, *δάσος*, *fruticetum*, seu *silva*, tametsi aliqui, quidquid hoc est proverbii, scribant: *Datos bonorum*, quo de proverbio paullò ante scriptum est. Vide porrò hoc loci, ut quum alii Poëtæ τὸ Δήμητρος ἀκτὴ, *Cereris acta*, accipiant pro *δωρεὰ*, *donum*, seu *munus*; tamen hic Poëta acceperit pro loco ac fano. Præterea verò illa etiam de his, quas diximus, insulis scienda: Eubœa, insula una, de septem illis percelebratis, quæ & Macris nominata. Macris, a situ seu positu *ἐπιμήκει*, *oblongo*. Sic enim quodammodo *παραμήκης*, *oblonga*, extenta ac producta est. Ideoque Comico occa-

occasionem dedit dicti urbani ac faceti, in illis verbis:

> *A Pericle enim & vobis ea est extensior.*

Eo quia Athenienses tributa ei olim & vectigalia intendissent, sive auxissent. Inflectitur autem insulæ hujus nomen Μάκεις, *Macris*, per ὁ purum. Quare etiam, qui ibi est insularis, dictus Μακρεὺς, *Macriensis*. Fuit quoque & ora maritima sic appellata, sed declinato nomine per δ. Dicta etiam Macris Cycladum una, id est, Icarus, a qua putant nonnulli Icarium mare nomen accepisse. Scyrus appellationem hanc habet, propter insulæ hujus asperitatem, ac solum veluti σκυρῶδες, *scruposum*, nimirum petrosum ac lapidosum. Scyrus enim, seu scrupus, idem atque cæmentum, nimirum fragmenta lapidea, seu assulæ e lapidibus, dum hi inciduntur atque scalpuntur, exsilientes. Sita est autem hæc Scyrus ante Magnesiam, sicuti etiam Peparethus. Admirabiles por-

rò capræ Scyriæ. Quin & venæ ibi ſunt lapidis varii, quem Scyrium vocant, pariter atque Caryſtium. Ad hæc, Imbrus inſula eſt Thracica, ipſa quoque Cabiris ſacra. Nomen deorum, Cabiri. Colebatur ibi etiam Mercurius, quem Imbramum Cares vocant, ut perſcriptum eſt in Ethnicis. Unde & forſaſſe Imbrus inſula denominatur. Porrò autem Samus Thracia dicitur etiam, compoſitâ voce, Samothracia, itàque appellatur ad differentiam alterius Sami, quæ eſt Ionica. Atque hujus quoque HOMERUS meminit. Dicta eadem olim Dardania propter Dardanum, qui in alluvione, quum terras aquæ inundaſſent, inde tranſmiſit ad loca Troadis. Hac de Samo agetur etiam inferiùs. Et hujuſmodi quidem, ut dictum eſt, harum iſtarum inſularum epitheta. Samum verò illam Thracicam, oppidum dicit Cyrbantium, ſeu Corybantium, propter Corybantium ibi myſteria, quorum & LYCOPHRON meminit,

à

à quibus etiam κορυβαντιᾶν, *corybantiare*, ſeu *corybantiſſare*, id eſt, cum alienatione mentis furere, ſeu fanatico furore, Corybantum more, affici. Hæc curſim de maris Ægæi inſulis, ad ſiniſtram eorum ſitis, qui in Helleſpontum ingrediuntur: quæ quidem inſulæ Europæ attribuuntur. Harum autem una cum compluribus aliis, inſula eſt ad Atticam, Helena nomine, quò Helena poſt captum Ilium appulſa eſt, vel etiam antea, cum raperetur.

LXXVIII. Ægæi maris inſulæ, dexteræ iis, qui intro in Helleſpontum navigant, Aſiæ illæ quidem contribuuntur: quarum primas partes, ſi quis ex Europâ in Aſiam trajiciat, obtinent eæ inſulæ, quæ Delum ἐκυκλώσαντο, *in orbem circumeunt*, ſeu κύκλῳ, *circulo*, *mediam includunt*: eâque de cauſâ Cyclades ſunt nomine. Atque hæc eſt etymologia nominis Cycladum. Delus porrò valde in hiſtoriis celebratur, tanquam Apollini ſacra, cujus erat oraculum perilluſtre. Vocata olim ea etiam

eſt Ortygia, ut Geographus ait; & fabuloſa appellationis hujus cauſâ legitur apud LYCOPHRONEM. Ibi verò minimè licuiſſe aiunt, neque mortuum ſepelire, neque canem alere. Verùm de hac inſulâ ita ARRIANUS: Delus, quæ fuit antiquitus fluitans atque natatilis, ſtetit, cum Latona, pueros geminos in utero gerens, in eam deſcendit. Similiter verò atque ARRIANUS, alii quoque monſtra ac prodigia loquuntur, qui narrant, vocatam eam fuiſſe Delum, propterea quòd, quum merſa olim ſub mari ferretur, tandem e profundo, ut & aliæ quædam, emerſerit, atque apparuerit, atque a baſi ἀδήλῳ, *inconſpicuâ atque occultâ*, radicibus penitus actis atque infixis, firma atque ſtabilis conſtiterit. Hæc autem ideo ita conficta atque compoſita ſunt, quòd frequenter olim hæc inſula, ut quibuſdam viſum eſt, terræ motibus concuteretur. Quare etiam locus quidam in eâ fuit, qui Tremon vocabatur. Sed tamen huic ſententiæ adver-

adverſatur pervulgatum illud oraculum, in hæc verba :

Immotam quamvis Delon, tamen ipſe movebo.

Ferunt enim, quo tempore Dates, dux Darii, trecenta thuris talenta in Apollinis Delii arâ adolevit, atque inde ſolvit, tunc Delum, quæ immota prius fuerat, primùm atque ultimùm motam fuiſſe. Scribunt autem veteres, eſſe Cyclades ampliùs duodecim. Ex his Cythnus, à qua caſeus dictus Cythnius : unde etiam Cydias, pictor clari nominis. Parus, ex qua adagium, τὸ ἀναπαριάσαι, *repariaſſarunt*, nimirum pœnitentiâ ducti, ſententiam mutarunt. Parii namque olim ex pœnitentiâ, fractâ fide, minimè ſteterunt pacto, quod de deditione fecerant cum Miltiade, quippe qui ſociorum ſibi alicunde auxilia ventura fruſtra ſperaviſſent. Amorgus, ex qua Simonides, Poëta Jambicus, dictus inde Ἀμοργῖνος, *Amorginus*, circumflexâ vocis hujus penultimâ, inſtar

ſtar nominis gentilis. Nam τὸ ἀμόργινος quidem, voce proparoxytonâ, epitheton eſt tunicæ, à colore fortaſſe veluti oleaceo. Namque ἀμόργη, *amurca*, ſedimen eſt, ſeu retrimentum, hoc eſt, fæx olei. Quanquam PAUSANIAS, cujus eſt Dictionarium Atticum, aliud longè repræſentat his verbis: Amorgus, ſimile quid byſſo. Et, Amorgis, propriè linum, ex quo indumenta, dicta amorgidia, ut patet ex Comico in Lyſiſtratâ. Delus, ſic appellata, vel propter cauſſam illam fabuloſam, quæ eſt in communi ſermone, eo quia nimirum, quum priùs, ut dictum eſt, eſſet ſubter mare, poſtea apparens, ἐδηλώθη, *ſeſe oſtendit, atque in conſpectum dedit*; vel propter edita ibi oracula, quibus res inventu difficiles ἐδηλοῦντο, *declarabantur*. Tenus, a Teno quodam id nominis ſortita. Erat in hac inſulâ magna alliorum copia, quibus incolæ victitabant, ut manifeſtum eſt ex Comœdiâ, cum Teniorum alliorum meminit. Inſula eadem aquis irrigua, quocirca Hydruſa eſt appellata:

fon-

fontemque eadem habet, cujus aqua nequaquam miſcetur vino. Quin & parvam phialam eâ olim in inſulâ dedicatam fuiſſe ferunt, eo mixturæ ac temperaturæ genere, ut inde ignis perquàm facilè accenderetur. Ios, μητρὶς illa, ſecundùm oraculum, ſeu materna civitas HOMERI, unde nimirum erat HOMERI mater. Ac vide τὸ μητρὶς, *quaſi matria, civitas materna*, ad exemplum τῆ πατρὶς, *patria*. Seriphus, quæ ſaxoſa adeò eſt, dictum ut ſit Comicè per irriſionem, id ei à Gorgone accidiſſe, quippe educato ibi Perſeo, quaſi ſcilicet Perſeus caput ei Gorgonis portaviſſet, quo illius inſulæ homines in ſaxa commutaſſet. Seriphii porrò ipſi, Iones ſunt ab Athenis, ſicuti etiam Siphnii, ut HERODOTUS tradit. Myconus, in qua jacere dicuntur gigantum valentiſſimi atque robuſtiſſimi, ab Hercule interfecti. Unde de iis, qui uno ſoloque ſuffragio malè multantur, de iis nimirum, qui unâ ſolâque ſententiâ condemnantur, uſur-

usurpatur illud : *omnia sub unâ Mycono*, nimirum, omnia simul sub unâ noxâ, aut condemnatione. Vernacula Myconiis, eorumque propria calvities: ideoque calvi, dicti iidem Myconii. Nisyrus, cujus & HOMERUS meminit, sic vocata à *νῶ*, *neo*, seu *nato*, & *σύρω*, *traho*, eo quòd Neptuni tridente abscissa à Coâ insulâ, *ἐπισύρη*, *tracta atque immissa est*, in Polybotam gigantem *νέοντα*, *nantem*, hoc est, demortuum. Ea tamen, secundùm quosdam, una est insularum Sporadum, eaque à lapidibus molaribus petrosa. Est & bonum in eâ vinum Nisyrium. Syrus, quam Poëta Syriam vocat in Odysseâ: quæ, secundùm Geographum, longam habet, nimirum producit, primam syllabam, hoc est, syllabam à principio. Siphnus in mari Cretico : à qua Siphnius taxillus, propter frugalitatem ac parsimoniam. Quanquam res olim Siphniorum floruisse dicantur, iique maximis divitiis affluxisse, eo quia auraria, & argentaria metalla in eâ insulâ essent.

essent. Cyclas quoque Andrus, ab Andro quodam sic vocata. Quin etiam Naxus, ita dicta à Naxo, Carum duce, vel a verbo νάξαι, quod est sacrificare, propter eximia quædam & selecta sacrificia, fieri ibi solita. Ad hæc HERODOTUS Naxios quosdam in Siciliâ commemorat, ubi etiam de Cyclade hac Naxo tradit, eam, quod ad magnitudinem attinet, non magnam quidem esse; sed tamen alioquin & pulchram & bonam, eamque prope esse ab Ioniâ, multasque pecunias atque opes habere. Fuerunt quondam insulanis octo millia militum scutatorum, navesque longæ complures. Dulci vere recens ineunte, seu incipiente, cum dulcisona luscinia procul ab hominibus in montibus fœtificat, tunc sanè Cyclades choros ducunt Apollini: quos etiam choros vocat ῥύσια, *grati animi pignora*, quippe qui ῥύσεως, *liberationis*, gratiâ, & pro servatâ salute celebrarentur: tametsi propriè ῥύσια, ut & in Iliade apparet,

est ab ARRIANO. Hanc in insulam missis quondam militibus Athenienses, omnem incolarum pubem interfecerunt. Alii verò hanc Melum, Cycladem dicunt, eamque aiunt urbem cognominem habere: ex qua fuit *Diagoras* ille Melius, ab impietate in Comœdiâ notatus. Sporadum est etiam Patmus in Icario mari; quæque in mari Carpathio est Astipalæa. Immo verò & Cimolus circa Cretam, ex qua Cimolia terra, apta atque idonea ad nitrum conficiendum, ut & Comicus docet. Præterea verò Lerus una est Sporadum circa Cariam, quam qui incoluerunt, eò in coloniam deducti, erant illi pravo improboque ingenio, ut ostendit PHOCYLIDES illis versibus:

Quique mali Lerii: neque verò est hic malus, hic non.

Quique, nisi Proclees; sed Proclees Lerius.

Sporas quoque, Νουσία, *Nusia*, insula prope Rhodum, quæ, ex vocis

 depra-

depravatione, ita est, ut aiunt, appellata. Est enim quasi Διονυσία, *Dionysia*, seu *Bacchica*: quoniam Διόνυσος, *Dionysus*, *hoc est*, *Liber pater*, eò Ariadnam, cum Minos eam pater insequeretur, e Naxo adduxit. Sunt autem & aliæ Sporades, quas, ut dictum est, Cosmographiæ tabula minimè omnium habet: in quibus aliqui Tenum quoque adnumerant, quæ Tenus suprà Cycladibus accensebatur. Videntur autem Sporades esse argillaceæ, terrâ nimirum albicante. Ideoque dicit DIONYSIUS, totas eas lucere ac splendere, ceu quando, sereno atque innubilo aëre, lucent astra, post expulsas atque exactas nubes vi boreæ septentrionalis. Idque maximè dicit propter terram, quæ, ut dictum est, argillacea ibi est atque alba. Sporades porrò vocatæ, tum propter alias fortasse caussas, tum maximè ad distinctionem Cycladum. Non enim, ut eæ, certum ac definitum locum habent; sed sunt veluti διεσπαρμέναι, *disseminata*

seminata, multis locis: quandoquidem Sporadem quidam etiam dixerunt Proconnesum, quæ est intra Hellespontum. Verùm, secundùm aliòs, Sporades insulæ vocantur à magnâ earum multitudine, ac frequentiâ. Dixeris enim, inquiunt, eas veluti κατεσπάρθαι, *disseminatas esse*. Quin & de Sporadibus sunt Calydnæ illæ apud LYCOPHRONEM, quarum una Calydna propriè vocatur, a qua reliquæ adjacentes eandem appellationem sortitæ sunt. Habet autem hæc insula mel Calydnium prædulce, & exquisitum, & Attico facilè comparandum. At verò Ethnicorum scriptor & mel vocat Calymnium, & has ipsas insulas Calymnas per μ'. Ceterùm illud, ὑγρὰ νέφη βιαζομένυ βορέυ, *humentes nubes expellente boreâ*, explicatio veluti est Homerici illius, αἰθρηγενέτυ βορέαο, *serenitatem gignentis borea*. Qui enim nubes expellit atque exigit, hic sanè αἰθρίαν, *serenitatem*, facit, ac propterea est αἰθρηγενέτης, *effector ac dator serenitatis*. Quod autem volo, observes,

 sinum

esse quendam aiunt ad Arabiam, qui Sporades insulas habeat.

LXXX. Post Sporades insulas, Ionides sunt, hoc est, Ionum imperio ac dominationi subjectæ, veluti ἡ Καῦνος, *Caunus*, quam HERODIANUS in Prosœdia Universali scribit ultimâ acutâ; nec non Samus, quam tum desiderabilem, seu amabilem DIONYSIUS vocat, tum etiam Pelasgidem, veluti a Pelasgis quibusdam, à quibus etiam Juno ibi Pelasgia colitur. Sciendum autem est, urbem quoque Cariæ esse Caunum, sic dictam à Cauno quodam, cujus amore capta soror ejus Byblis, laqueo sibi mortem conscivit. Unde & Caunius ille amor in proverbio de nefariè amantibus, vel etiam de iis, qui ideo quòd nefariè amarunt, damnum acceperunt. Est hæc sanè insula insalubris ab aëre nequaquam bono, tum æstivo, tum autumnali tempore, propter nimios calores, nimiamque æstivorum fructuum copiam atque ubertatem. Ubi quum Stratonicus, celeber ille citharœdus,

dus, homo perquam urbanus, incolas perpallidos, & colore veluti flavescentium foliorum vidisset, protulit illud:

Quale genus cernis foliorum, tale virorum.

Quumque id ei crimini daretur, quòd urbem propter morbos irrideret, multò adhuc salsiùs atque urbaniùs respondit: Quo ego unquam pacto morbosum locum dixerim, ubi vel demortui obambulant? Samus verò hæc Ionica, felix olim valde fuit ac fortunata, adeò ut proverbii loco dictum sit, ferre eam lac gallinarum. Verùm sub tyrannis fortunam experta est maximè adversam: quum, propter Sylosontem tyrannum, quòd is acerbiorem atque difficiliorem tyrannidem exercuisset, habitatoribus ferè defecisset. Unde etiam proverbium: Propter Sylosontem locus latè patens. Sylosontis tamen frater, Polycrates, non malè imperio usus est; sed, quum fortunatissimus fuisset, tandem a Persis

suspensus fuit. Is est Polycrates, qui annulum projecit in mare: quem rursus annulum per piscem, qui eum absorbuerat, recepit. Ceterùm à vino, agere hanc insulam aiunt non satis beatè. Eadem nominata etiam olim fuit Melamphyllus, & Anthemis; itemque Parthenia à Parthenio flumine. Hac ipsâ in Samo mons quoque fuisse dicitur ad centum & quinquaginta orgyas editus; & ad imas ejus radices fossa, ut HERODOTUS ait, multorum stadiorum, per quam derivata canalibus aqua, e magnis fontibus in urbem deducebatur. Fossæ hujus architectus, Eupalinus Megarensis. Fuit & ibi, inquit, templum maximum, cujus architectus, Rhœcus, homo indigena. Hujus civis, Samius. Sami tamen, quæ est in Cephalleniâ, civis Samæus, eo quia illa Same etiam dicitur, ut reperire est apud HOMERUM. Sciendum autem est, Samum hanc, quam diximus, vocare nos Ionicam, ad eam distinguendam, tum ab Homericâ illâ Samo Cephallenicâ, tum

tum à Samo Thraciâ, de qua ſuprà diximus, quæ ita quidem vocata eſt propter faſtigium atque celſitudinem. Sami namque, ut aiunt, faſtigia atque celſitudines. Samum autem illam Thraciam ad multum faſtigii atque celſitudinis attolli, conſtat ex eo, quod dicit Poëta, ex eâ tum Idam conſpici univerſam, tum loca alia Troadis. Quanquam alii affirment, Samum illam Thraciam vocatam, quaſi Saum, & pleonaſmo τȢ *m*, Samum, à Saiis, gente vetuſtâ, quæ eam incoluerit: cujus & meminit Archilochus, cum ſeſe confitetur purum atque intactum clypeum ſuum, cum e prœlio fugeret, apud eos projeciſſe. Præterea verò Chius, Ionum eſt inſula, cum urbe benè à portu inſtructâ, ut Geographus ait, itemque cum navalibus capacibus navium octoginta, & luco palmarum, quam totam inſulam ſi quis circumnaviget, ambitus eſt nongentorum ſtadiorum. Hujus conditores Pelaſgi. Mons hîc Pelinnæus. Memo-

riæ quoque proditum eſt, primùm in Chio vinum nigrum proveniſſe, primoſque inſulæ illius incolas θεράπουσι, *therapontibus*, ſeu *famulis*, ulos fuiſſe, ſic vocatis propriâ quadam & peculiari appellatione δουλωτικῇ, ſeu δουλικῇ, *famulari*, ſeu *ſervili*. Sicuti etiam Lacedæmonii uſi aliquando fuerunt Hilotibus, Macedones Peneſtis, Argivi Gymneſiis, Sicyonii Corynephoris, Cretenſes Dmoëtis, Italici denique Pelaſgis: ita ut ex hac ipsâ hiſtoriâ ſervilia apud veteres nomina ſint, Hilotes, Peneſtæ, Gymneſii, Corynephori, Dmoëtæ, Pelaſgi, Therapontes. Verùm alii Cretenſem vocem hanc eſſe dicunt Therapontum: quippe quum Cretenſes famulum armigerum, vocent therapontem.

LXXXI. Inde, nimirum poſt Ionicas illas inſulas, apparent Æolides inſulæ, Lesbuſque ſpatioſa, & Tenedus amabilis. Metropolis autem Æolicarum urbium, Lesbus, circuitu ſtadiorum mille, quæ caput ſibi Orphei vindicat. Eò namque aiunt, poſt Orphei mortem,

tem, caput loquens accessisse. Idque commenta est fabula, propterea quòd homines ibi præstantissimi, &, secundùm Orpheum, eloquentiâ atque litteraturâ excellentes, extiterunt, de quibus fuit Arion ille Methymnæus, & Pittacus & Alcæus Poëta, & Sappho, mulier sanè, hominum judicio, admiranda, quâcum nulla altera mulier conferenda in Poësi esse videatur. Urbes habuit Lesbus quinque; atque harum quinque unam Lesbum, à qua tota insula, Lesbus appellata, quippe quæ à parte sortita id nominis fuerit. Sicuti etiam eadem dicitur nunc Mitylene, ab urbe cognomine, unâ illarum quinque. Qua eadem ratione LYCOPHRON Issam eam vocavit. Una namque & Issa earundem urbium quinque. At verò Tenedus circuitu est stadiorum octoginta; distatque à continente non ampliùs stadia quadraginta. Habet ea urbem Æolicam, & portus duos, & Sminthei templum Apollinis. Ei autem adjacent,

quæ dictæ sunt suprà. Calydnæ duæ insulæ. Quin & olim vocata ipsa fertur Calydna. Immo & appellata aliquando est Leucophrys. Verùm propter Tenem, cujus sedes ac domicilium fuit, quippe qui in eâ regnaverit, obtinuit, ut ipsa Tenedus vocaretur: quem quidem Tenem Cycnus pater, calumniosâ ac falsâ novercæ Phylonomæ, seu Polybœæ, delatione, inclusum in arcâ unà cum Leucotheâ, ejus sorore, in mare projecit. Sed, quæ justitiæ præest, Dice eum tandem servatum, regem insulæ constituit. Erat autem calumnia illa novercæ apud Cycnum amatoria, quasi scilicet vim ei Tenes intulisset: quamvis id ipsa in Tenem facere conata fuisset. Ab hac insulâ in eos, qui acerbiùs atque duriùs aliquid decernunt, celebratur adagium: *Tenedius vir.* Fertur enim quondam iis, qui magno ibi de crimine judicium subibant, homo securim gestans adstitisse: quem reo objecti criminis convicto vulnus statim lethale infligere oportebat.

LXXXII. Ibi

LXXXII. Ibi locorum ad Tenedum irrumpit in Hellespontum, spumam evomens, Melas sinus, qui & appellationem hanc habet à Melane amne, de quo suprà etiam dictum est, cum in sinum influente; vel etiam propter nimiam profunditatem. Coit namque atque conjungitur cum Ægæo quem supra jam DIONYSIUS βαθὺν πόρον, *profundum meatum*, seu *trajectum*, vocaverat. Sinus autem Melas est, ut accuratiores quidem scriptores volunt, quos videtur subsecutus etiam esse DIONYSIUS, ubi sita est Ænus, urbs Æolica. Aiunt namque, Ænum in sinu esse Melane, ad ostium Hebri. Qui verò circa Cyzicum & Prœconnesum Melanem sinum ponunt, nulla ii sanè citare testimonia videntur: nisi si forte præsto iis sit locus quidam OPPIANI in Halieuticis, ubi ille de pelamydum piscatione loquitur. At verò HERODOTUS: Melas, inquit, fluvius, ex quo sinus ad Ænum. Narrant, hunc fluvium exercitui Persico minimè suffecisse, cum Xerxes in Eu-

Europam trajecit; ſed ad bibendum defeciſſe. Et ſic etiam Scamander ſuppeditandæ aquæ par minimè fuit: neque verò ſatis fuit Liſſus, amnis Thracicus; ſed profluentem ſuam prodidit, ut loquitur dulcis ille HERODOTUS.

LXXXIII. Ex adverſo Boryſthenis, fluvii ſeptentrionalis, qui ad ſiniſtram ponti Euxini in eum evolvitur, poſita in alto eſt inſula Heroum percelebris, Achilli ſacra; ubi etiam e regione is, de quo diximus ſuprà, Dromos Achilleus, ita ab Achille denominatus. Hanc autem inſulam vocari ait Leucen, ſeu Albam, *κατ' ἐπωνυμίαν*, *nomine ad rem ipſam appoſito eamque exprimente*, hoc eſt, *φερωνύμως*, *ducto nomine a re ipſâ*: quoniam quæ in eâ ſunt *κινώπετα*, *volatilia*, beſtiæ nimirum volatiles, hoc eſt, aves, ſunt albæ, puta, gaviæ, ſeu, ſecundùm quoſdam, ciconiæ. Κινώπετα porrò ſunt, quorum *ἡ κίνησις ἐν τῷ πέτεσθαι*, *motus in volando*. Et verbum hoc eſt inſolens atque inuſitatum. Ibi verò, inquit,

inquit, fama eſt, & Achillis & heroum animas deſertas per valles verſari. Itaque Heroum inſula dicitur inſula hæc Leuce: quemadmodum Beatorum inſulæ illæ decantatæ in Oceano Occidentali. Et hoc, inquit, pro virtute donum optimatibus illis ac præſtantiſſimis viris. Nimirum hoc virtutis præmium heroës illi ſortiti ſunt, ut in hac iſtâ inſulâ luſus atque delicias in otio, & vitæ tranquillitate agant. Tum gnomen, ſeu dictum ſententioſum adnectit, quo ad virtutem cohortetur, in hæc verba: *Namque incorrupti virtutis honores*, hoc eſt, virtus, bonum eſt æternum atque immortale, neque ſimul perit cum corpore. Ubi ſcire oportet, præclara hæc ac ſententioſa dicta, rariſſima eſſe apud DIONYSIUM, hujuſque rei cauſſam hanc eſſe, quòd materia ipſa hujus operis atque tractationis minimè ei concedit, ut ſententias frequenter loquatur.

LXXXIV. Immenſa intra Mæotin inſula conſtabilita eſt, quam Taurican vocant, in qua Phænagora & Hermonaſ-

monaſſa, Pæonum coloniæ, qui has ibi urbes condiderunt. Coloniarum harum deductores, Phænagoras quidam & Hermon, à quibus loca hæc vocantur. ARRIANUS verò ita commemorat: Phanagorea, quam Phanagoras Tius ædificavit, dum fugeret ab injuriâ & contumeliâ Perſarum. At verò Hermonaſſa, propter Hermonaſſam, Semandri, Mitylenæi hominis, uxorem, qui Semander quum Æolenſes quoſdam in coloniam deduxiſſet, atque in urbe ædificandâ immortuus fuiſſet, uxor ejus tum urbis imperio potita eſt, tum nomen urbi ſuum impoſuit. Oſtium porro Mæotidis, Boſporus dicitur Cimmericus, de quo ſuprà ſcriptum eſt: ubi fretum, quà anguſtiſſimum, ſtadiis eſt viginti. Sunt autem Mæotidis accolæ bellicoſi, deditique agriculturæ; & certè quidem, ſecundùm Scytharum gentem, omnium fortiſſimi: & ab iis appellatio eſt Mæotidi, ut nonnulli affirmant. Aiunt etiam, Scythas univerſos, qui proximi ab iis habitant, olim aliquando frumento victitaſſe,

ctitasse, & aratores fuisse; sed, mutato loco ac vitæ genere, nomades, seu pecuarios ac pastores, alienosque & extorres, evasisse, eam ob caussam, quam postea afferemus.

LXXXV. Complementum sententiæ atque clausulam adhibet DIONYSIUS, figurato illo loquendi genere: *Hæ sunt percelebres mortalibus insulæ*, quibus planè verbis crassiori sese Musâ *Periegesin* hanc composuisse rursus confitetur. Et profecto nihil novi: quandoquidem etiam Geographus, qui latissimè atque fusissimè exspatiatur, tamen profitetur, pleraque sese consultò ultroque prætermittere. Nam minuta quæque commemoratione persequi, ut in Proœmio diximus, proprium est Chorographiæ. Dicet autem DIONYSIUS, *Periegesi* sese suâ descripturum insigniores quasque atque clariores earum insularum, quæ coronatæ atque circumdatæ sunt Oceano. Atque in his quidem ab Africâ incipiet: quum & hoc loci initium

initium hoc faciat, itàque primigenium veluti jus honoris suæ ipse genti afferat. Metaphorâ audaciori atque ad ornatum Poëticum satis decorâ, *σφυρὸν*, sive pedem, venti, vocat basim, hoc est, situm atque locum, unde is spirat. Quid autem propriè sit *τὸ σφυρὸν*, *malleolus pedis*, explicat atque interpretatur ARISTOTELES, his verbis: Tibia quum gemino osse constet, pars ejus anterior dicitur *ἀντικνήμιον*, *tibiæ spina*; posterior verò, *γαστροκνημία*, *sura*, *pars carnosa tibiæ*; quòd verò extremum est *ἀντικνημίου*, *spinæ*, id porrò *σφυρὸν*, *malleolus*. Addit etiam ARISTOTELES, *τῶν σφυρῶν*, *malleolorum*, utrumque à latere inflecti, dextro & sinistro.

LXXXVI. Erythea, insula illa Geryonis, in fluento est Atlantis, nimirum in mari Atlantico. Ac vide, ut locum ipsum, nimirum pelagus, Atlantem vocat, ipso eodem nomine herois, à quo id mare est denominatum. Insulam hanc, *βουτρόφον*, *boum nutricem*, cognominat, propter magnam il-

lam

lam boum Geryonis olim copiam. Hac in insulâ Æthiopes, Macrobiorum filii, de quibus supra dictum est: qui post Geryonis, ut ait, mortem, insulam hanc incoluerunt. Eo namque vivente, erat aliis inhabitabilis, propter illius inhospitalitatem. Poëtarum autem carminibus percelebratum est, Herculem ad eam lebete æreo navigasse, cum Geryoneas illas boves abegit,

> *Ære secante salum nutrice boum ex Erytheâ*,

ut proditum ferunt ab Euphorione, ac similiter ab Alexandro Ephesio in illo versu:

> *Atque lebete æquor magnum trajecit aheno.*

Atque hic iste lebes fortasse genus erat navigii, cui & lembus piraticus videtur per parechesin, ac paronomasiam quandam voce ipsâ consonare. Quòd autem hic lebes æneus dicitur, id apertè ostendit, aliquid in eo lebete operis extitisse

ex ære conflatum, ut si forte, exempli causâ, rostrum æreum fuerit, aut quædam, ut videtur, insignia ex hac istâ materiâ in puppi aut prorâ habuerit. Sciendum porrò est ARRIANUM, quippe qui existimaverit, Herculem Tyrium ad illa Gadirorum & proxima loca ventitasse, ex fide HECATÆI, historiarum scriptoris, tradere, Geryonem, ad quem Hercules Argivus missus fuit, nihil ad Hispanorum regionem attinuisse, nimirum non ex Hispaniâ extitisse, sed regem Ampraciæ in Epiro fuisse, atque ex hac ipsâ Epiro Herculem boves abegisse, neque id quidem parvi atque ignobilis præmii loco habuisse. Ego verò, inquit, scio, hanc ipsam Epirum ad hæc usque tempora pascendis pecoribus esse peropportunam, & boves pulcherrimas alere. Atque hæc quidem ita. Verùm Æthiopes, qui in Erytheâ sunt, vocat DIONYSIUS Macrobios, id est, longævos, ad distinctionem Æthiopum Acridophagorum, id est, vescentium locustis, qui brevi sunt vitâ,

quòd

quòd quadraginta raró annos, Geographo teſte, excedant, eorum jam carne in ferinam commutatâ. Macrobios autem *θεώδεας*, *divinos*, ſeu *deo ſimiles*, cognominat, & *ἀμύμονας*, *inculpatos*, propter juſtitiam, eo quia alii Heſperii injuſti ſunt atque nefarii. Ubi ſciendum, minimè deeſſe, qui Macrobios quoſdam etiam de Hyperboreis commemorent. Alii tamen, minimè conſentientes DIONYSIO, Erytheam inſulam, Gades ipſas dixerunt. At verò alii Erytheam, inſulam quandam eſſe aiunt, Gadibus appoſitam, atque ab iis freto unius ſtadii ſeparatam atque diremptam. Idque illi putarunt, quòd hanc iſtam inſulam egregiè paſcuam cernerent: ubi ovium lac ſerum non facit; ſed & multum aquæ in conficiendo caſeo, propter pinguedinem, admiſcent. Atque ibi etiam intra dies triginta animans ipſum ſuffocari aiunt, niſi ſi quis ſcarificando, parum inde ſanguinis detrahat. Porrò autem ipſe ille Geryones, ut bobus, ſic etiam locuples nomine. Namque &

Γηρυὼν, *Geryon*, dicitur & Γηρυόνης, *Geryones*, & Γηρυονεὺς, *Geryoneus*. Ad sacram illam ἄκραν, *summitatem*, quæ est juxta opulentos Iberes, hoc est, ad ἀκρωτήριον, *promontorium*, illud sacrum, quod ita vocant, quod & caput Europæ alii appellant, Cassiterides sunt insulæ decem, prope inter sese ad septentriones positæ, quas quidem DIONYSIUS Hesperides nominat, propter locum ipsum, ubi eæ sitæ sunt. Sunt enim occidentales, unde, inquit, κασσιτέροιο γενέθλη, *stanni ortus atque origo*. Quare etiam Cassiterides, quasi stannariæ, appellatæ. Neque verò ibi stannum in summâ tellure esse aiunt; sed fossum inveniri. Harum decem insularum una deserta. Alias incolunt Melanchlæni, homines tunicis talaribus induti, cincti pectore, cum virgis obambulantes, Furiis Tragicis similes, ut veteres aiunt. HERODOTUS tamen scribit, sese minimè omnium novisse insulas Cassiterides, ex quibus ὁ κασσίτερος, *stannum*, ad nos ventitat.

LXXXVII. Ad

LXXXVII. Ad septentriones, ubi verticem suum Rhenus in Oceanum extremum eructat, Bretanides sunt insulæ duæ, Vërnia, & Alvïon, sive Bernia, & Albion. Βρετανίδες, *Bretanides*, scriptæ apud hunc Poëtam cum unico ac simplici τ· quarum magnitudo πελώριος, *immensa*; quod quidem dixerat etiam de Cretâ. Neque verò ulla alia inter insulas universa eis ἰσοφαρίζει, *æquiparatur*, hoc est, exæquatur, & parem, atque ipsæ, magnitudinem obtinet, quibus etiam quum insulas, quæ ibi sunt, Amnitarum comparet, has formâ diminutivâ, νησῖδας, *parvas insulas*, vocat: ubi, inquit, illustrium Amnitarum uxores, ex adverso litore profectæ, sacra ex more peragunt Baccho, nocturnæ, corymbisque hederæ, nigra folia habentis, redimitæ:

Stridor ubi sonitu vario miscetur acutus.

Quo quidem loci hederam μελάμφυλλον,

 nigram

nigram foliis, ſeu *nigra folia habentem*, intelligit denſam atque opacam, veluti quæ μελανίαν τοῖς φύλλοις, *nigrorem foliis*, præbeat. Et ſic etiam in HOMERICO illo: μέλαν δρυὸς ἀμφικεάσσας, *nigrore roboris ſciſſo*, *nigrum roboris quum diſcidiſſet*; δρυὸς μέλαν, *nigrum*, ſeu *nigrorem roboris*, quidam intellexerunt ubertatem, nimiamque copiam foliorum, eorumque denſitatem, ex qua, ut & ſuprà ſcriptum eſt, nigror ille & opacitas umbræ efficitur. Corymbi porrò nunc dicti fructus racemoſi hederæ. Conſtat autem, uſurpari etiam hanc vocem de vertice, ſeu ſummitate montis. Sic enim HERODOTUS: οἱ μὲν ἔφυγον ἐπὶ τοῦ ὄρευς τὸν κόρυμβον, *Illi quidem in corymbum montis fugerunt*. At verò τὸ παταγὴ, *bacchatio*, ſeu *incondita pulſatio*, tametſi communiùs acuitur, ut τὸ ἀλαλαγὴ; *ululatus*, *vociferatio militaris*; tamen HERODIANUS id ipſum gravat, quum fieri id affirmet, non ex πατάσσω, *pulſo*, ſeu *pulſando ſtrepitum edo* (ſic enim acueretur, ut τὸ ἀλαλαγὴ): ſed ex πάτα-

πάταγος, *ſtrepitus*, ſeu *pulſus*: cujus femininum, inquit, *ἡ παλάγη*, *pulſatio*. Atque hæc quidem hujuſmodi. Ceterùm aiunt, parvam eſſe inſulam in Oceano, neque illam longiùs in alto ſitam, quam Amnitarum uxores, Baccho illæ quidem percitæ atque afflatæ, incolunt. Neque verò unus aliquis de viris in eam inſulam deſcendit; ſed ipſæ ad viros navigant; &, poſteaquam cum iis conſueverunt, revertuntur. Tum hæc ipſa ſacra cum aliis ſimilibus ſacris Oratoriè comparat, in hæc verba: Non ſic quidem Abſynthii illi Thraces, neque ſic Indi illi per Gangem, nigricantium aquarum amnem, *κῶμον*, *Bacchanal*, nimirum *κωμαςικὴν ἑορτὴν*, *Bacchanale feſtum*, ſeu *Bacchanalia*, Libero patri peragunt, ut inſulares hæ mulieres *ἀνευάζουσιν*, *Evium inclamant*, hoc eſt, hymno Evium Bacchum celebrant, clamantes, *Evoe Evan*. Hæ quidem certè fanaticæ in Bacchum acclamationes. Fama enim eſt, Amnitarum has uxores, furore per totam noctem exagitatas, choreas

reas ducere, ita ut hac in re & Thraces eis, & Indi cedant, tametsi & ipsi afflati sint numine instinctuque Bacchi, eique orgia magno opere celebrent. Geographus præterea scribit, templum esse mulieribus his Amnitarum, quod eæ quotannis retegunt, eodemque rursus die ante solis occasum integunt, unaquaque onus importante, quòd si onus deciderit, mulierem ipsam importantem furiosè discerpunt. Sciendum autem est, nocturna Libero patri facta hæc mysteria fuisse, hoc ut veluti ænigmate ostenderent, eos, qui vino indulgent, id oportere in occulto facere, neque, bacchando, turpiter atque inhonestè in propatulo agere: aut etiam propter curam atque studium reponendi recondendique vini, veluti ad inveterationem. Quare etiam Bacchus Custos domûs est appellatus. At verò Absinthii populi vocati sic videntur ab Absintho flumine. Sic enim DIONYSIUS: Θρήϊκος ἐπ' ἠόσιν Ἀψίνθου, *Thracis ad ripas Absinthi*. Idque bifariam scribitur,

bitur, tum per ύ, tum per ί· Sicuti etiam τὸ ἀψίνθιον, *absinthium*, plantæ genus, ut veteres aiunt. Verba porrò illa, *Evoe Evan*, erant, ut dictum est, acclamationes in Bacchum, ad laudes ejus canendas accommodatæ: quibus de acclamationibus paullò post, ubi de Camaritis. Ceterùm Bacchus Εἰραφιώτης, *Eraphiotes*, vocatur, vel παρὰ τὸ ἐρράφθαι ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διὸς, *ex eo, quòd Jovis femori insutus fuit*, vel παρὰ τὸ ἔριν φαίνειν, ex eo, quòd in lucem profert, palamque exhibet discordiam. Vinum namque, si immoderatiùs bibitur, pater est discordiæ atque contentionis. Idemque etiam ἐρίβρομος, & ἐριβρεμέτης, *perfremens*, seu *perquam fremebundus*, vel propter ebriorum clamores (quare etiam Bacchus dicitur, quasi ἀπὸ τοῦ βάζειν, *a loquendo*, assumptâ litterâ κ' ad majorem vocis asperitatem) vel propter βρόμον, *fremitum*, quem vinum adhuc musteum, cum inflatur & fervet, facit. Atque hæc quidem ita. Verùm maximam Bretanicam insulam veteres tra-

Z 5 dunt

dunt figurâ esse triangulari, in quam quum trajiceret, nimirum enavigaret, Cæsar, qui deus est cognominatus, de nocte solvit, postridieque appulsus est, horâ ferè quartâ, confecto spatio trecentorum stadiorum. Semel autem atque iterum narrant eò Cæsarem trajecisse, nullâque re memorabili gestâ, quàm celerrimè rediisse, quum neque multùm in insulâ processisset; sed duobus aut tribus prœliis victoriam consecutus, multas naves, ex æstuum Oceani accedentium atque recedentium incremento, amisisset. Magnitudinem Bretanidum insularum, quas al ii, ut suprà dictum est, Pretanides vocant per *P*, non DIONYSIUS modò, ut memoratum est suprà, repræsentat; sed etiam declarat PTOLEMÆUS in enarratione suâ Geographicâ, ubi insularum principem magnitudine & gloriâ esse ait Taprobanam Indicam; secundum ab eâ locum obtinere Bretanicam; tertiam esse, Chersonesum Auream; quartam, Breta-

Bretanorum alteram, Uërniam; quintam, Peloponnesum; sextam ab eâ, Siciliam; septimam, Sardiniam; octavam Cyrnum; nonam, Cretam; decimam denique, Cyprum, coronidem esse hujus catalogi. Et sic quidem PTOLEMÆUS insulas maximas ad denarii usque numeri summam provehit: quum & in iis Chersonesos, seu peninsulas, simul duas adnumeret, ut, quemadmodum opinor, denarium numerum commendet atque extollat. Verùm alii, ut supra alicubi dictum est, ad septem tantummodò eas contrahunt: quas & versibus sic describunt:

Septem insularum, maximas mortalibus
Quas edidit natura, Sicilia, ut ferunt,
Prima insula est, secunda Sardo, tertia
Cyrnus, deinde quarta Creta, altrix Jovis,
Eubœa quinta angustior, sexta est Cyprus;

Lesbus-

Lesbusque septima ordinem extremum tenet.

LXXXVIII. Post Bretanides, valde ad septentriones Thule insula, cujus magna est à reliquis terris remotio atque distantia. Posita namque est ad septentriones, maximè earum omnium insularum, quæ nomen habent: ubi, inquit, dies simul ac noctes ignis semper splendidus effunditur, cum sol sursum versus ad polum Arcticum progrediens, ad Cancrum pervenit, atque in eo versatur. Atque hoc quidem supra fidem est, planèque hyperbolicum, eo tempore diem ibi esse perpetuum. Sed illud tamen in hyperbolen multò majorem transit, quod utique quidam tradunt, solem ibi æstivum totum esse supra terram; hybernum verò subter terram, ut inde annus in illo ipso climate in dienoctium, hoc est, diei & noctis spatium, unum dividatur, nimirum in unum diem & in unam noctem. Sicuti etiam HERODOTUS, ubi de Cimmeriis

riis loquitur, affirmat, fieri nequaquam posse, ut homines sint, qui semestrem noctem dormiant. Verùm alii aiunt, solem, cum ad Arctos adscendit, diem ibi protractum facere ad horas æstivas viginti, atque aliquantò etiam ampliùs; noctem verò ad horas paucissimas breviare; contraque facere in hyeme. Cur autem semper ibi lux appareat, caussam hanc affert DIONYSIUS, quòd tunc sol flexu atque gyro obliquiore convertitur, atque circumvolvitur, hoc est, obliquiùs sol adscendit, ideoque in superiori parte immoratur. Illud verò, quod subjicitur, *ἀκλίνων ἰθεῖαν ἐπὶ κλίσιν ἐρχομένων*, *radiis rectam ad inclinationem venientibus*, pro eo est ac si diceret, directè contra insulam lato sole, atque ad eam veluti respiciente. Et est figura Oratoria antithesis: quum antitheta atque opposita inter sese sint, obliquum & rectum, perinde ac si dixisset, solem, tametsi naturâ est alioquin obliquior, tamen tunc directè, seu rectâ lineâ, esse illi lineæ oppositum. Idque, ut

ut ait, facit ſol, donec auſtralem rurſus viam ad cyaneos homines conficiat; hoc eſt, fit iis dies oblongior, qui ad polum borealem habitant, donec ſol ad oppoſitum ſemicirculum auſtralem, ſeu auſtrale hemiſphærium, convertatur. Hos enim vocatos aiunt cyaneos, Æthiopes nimirum, qui ſunt in parte auſtrali: ad quos comminiſcitur Poëta, Jovem, qui utique ſol eſt, peregre aliquando abire. Illud porro, *ἐς πόλον ἄρκτων ad polum arctorum*, pro eo eſt ac ſi diceret, *παρὰ τὸν ἀρκτῷον πόλον, ad polum arctoum*, ſeu *arcticum*, circulum nimirum cœli, circa quem arcti, ſeu urſæ duæ, vertuntur.

LXXXIX. Ad Oceanum Eoum eſt Aurea inſula, ita appellata, vel eo quia, ut quibuſdam placet, fert aurum; vel, ut placet certè DIONYSIO, quia ortus ibi ſolis clarè purèque lucentis apparent. Itaque propter puram illam planèque ſplendidam lucem aureus quodammodo eſſe ſol videtur: non certè quidem triſti turbidoque adſpectu, ut apud

apud Scythas, propter Cronii illius maris à nebuloſo & caliginoſo loco opacitatem. Qua etiam de cauſsâ Aurea hæc inſula dicitur, quæ ſub eo ſplendet atque illuminatur.

XC. Taprobana, Salica quondam nominata, inſula eſt in alto poſita, non minor Bretanicâ, ut hiſtoriâ proditum eſt, lateribus illa quidem quaternis, ferarum altrix, elephantibus bene à proboſcide inſtructis referta, ut Alexander ait cognomento Lychnus. Inſulam hanc DIONYSIUS, matrem vocat elephantum in Aſiâ genitorum; eamque etiam dicit, inſulam magnam Coliadis, hoc eſt, Veneris, cujuſmodi eſt Cyprus: eo quia qui in Taprobanâ ſunt viri, muliebri ſeſe mundo nitidè expoliunt atque exornant, præſertim quum & rebus ipſi Venereis molliùs atque laſciviùs indulgeant, ac præterea implexos colligatoſque capillos gerant. Ad hæc etiam tradit, Cancrum, ſignum æſtivum, ſupra eam ipſam inſulam in orbem moveri, cœleſtibus gyris atque conver-

conversionibus sublatum: quippe quum clima ibi positum sit sub Cancro. Quanquam PTOLEMÆUS Arietis signum supra eam insulam versari affirmet. Verùm observa, ut hic Poëta, pro acrimoniæ, seu dulcedinis ratione, conversiones ipsas ac motus stellæ Cancri in cœlo vocat nunc *στροφάδας*, *strophades*: quum tamen usus communis Strophades, nomen insularum habeat in mari Siculo positarum. Colias autem Venus, fortasse à loco Attico, quò, facto naufragio, navium Persicorum fragmenta acervatim devenerunt, quo de loco oraculum hujusmodi ad vulgus emanavit:

Coliades matres visis remis horrebunt.

Est autem, ut aiunt, hic iste locus Atticus similis hominis *κώλῳ*, *membro*, nimirum cruri, expositus atque excurrens in mare, cum templo Veneris, quæ inde à loci similitudine Colias vocitatur. Verùm alii vocatam aiunt Coliadem à loco, in quem avis *κωλῆν*, *armum*, victimæ, ex sacrificio quodam raptum, depo-

deposuerat. Pars pedis anterioris, ἡ κωλῆ, *armus*. Et circumflectitur ex synæresi, sicuti γαλέα, γαλῆ, *feles*, sic etiam κωλέα, κωλῆ, *armus*. Alii tamen tradunt, Tyrrhenos olim, magnis piraticis copiis coactis, prædam ex Atheniensibus, iis in servitutem abreptis, egisse; mulierem verò Tyrrhenicam, Attici cujusdam captivi amore captam, illum à vinculis liberasse, qui fugâ inde elapsus, Coliadis Veneris templum posuerit, quòd sibi propter eam τὰ κῶλα, *pedes*, soluta fuissent. Porrò autem Cancrum αἴθωνα, *ardentem*, appellat, pro eo ac si diceret efficientem ardoris atque æstûs, propter calorem, quo aër afficitur, cum sol in hoc isto æstivo signo versatur. Et inest in hoc isto ipso loco parechesis novæ cujusdam rationis, quales multæ commemoratæ sunt in Commentariis ad Odysseam. Est autem hujusmodi: στρεφθεὶς νοτίης προπάροιθε κολώνης, αἶψά κε Κωλιάδος ἐπὶ νῆσον ἵκοιο, *Conversus australem ante collem, illico Coliadis ad insulam perveneris*. Parechesin

 enim

enim quodammodo inter ſeſe habent, atque conſonantiam, ἡ κολώνη, *collis*, atque ἡ Κωλιὰς, *Colias*. Immo verò fortaſſe neque hæc eſt Parecheſis; ſed caſu quodam atque fortuitò ita evenit, non quòd eam Poëta curioſè exquiſierit. Taprobana, quòd ad magnitudinem attinet, patet illa latiſſimè. Itaque Taprobana Geographo dicitur inſula in alto ſita, magna, longè diſtans à continente. Habet etiam, DIONYSIO teſte, magnam vim cetorum, montibus altiſſimis ſimilium, quibus in ſummis dorſis πέφρηχεν, hoc eſt, τετεάχυνται, *exaſperatus eſt, ſive aſper eſt ac ſalebroſus*, tractus longiſſimus ſpinæ: quorum etiam ora dicit λυγρὰ, *funeſta atque exitioſa*; iiſque rictum, ſeu hiatum oris, ita magnum eſſe ait, ut ſæpe etiam navem ſimul cum ipſis vectoribus unà καταβρώξωσι, *deglutiant*, hoc eſt, devorent atque abſorbeant. Fictum eſt autem per onomatopœiam τὸ καταβεόξαι, *deglutire*, tanquam à verbo βεόχω, *glutio*. Et ab eo eſt ὁ βεόχθος, *guttur*; item-

itemque verbum *καταβροχθίζω*, *devoro*. Cete autem iſtiuſmodi, monſtra vocat, & pecora maris Erythræi, ubi illa inſula jacet. Atque ut ea oratione grandiora efficiat, ex animi prorſus ſententiâ, perinde quaſi inde ſibi ipſe metuat, illud poſtea optat ac precatur, ut hoſtium liberi illis occurrant, hoc eſt, hoſtes in mari oberrantes in ea cete incidant atque incurrant. Cui quidem figurato loquendi generi contrarium eſt illud, quo poſtea utitur, cum de Maſſagetis ita loquitur: Neque ego ipſe, neque àlter quiſquam ſodalium meorum ad eos accedat. Valde enim ii inhoſpitales. Hoc enim planè e contrario figuratum eſt, atque illud. Etſi enim utrumque ex animi ſententiâ profertur; tamen ea valde inter ſeſe differunt: quatenus hoc quidem loci, dum exitium hoſtibus imprecatur, eò tacitè ſpectat, ut pro amicis deprecetur. Dicit enim, ſeſe optare, ut hoſtes cetis appropinquent, nimirum non amici. Ubi verò de Maſſagetis loquitur, dum deprecatur pro amicis, eò

ſpectat e contrario, ut hoſtem devoveat atque exſecretur. Hæc enim ejus verba: Neque ego, neque alter quiſquam meorum Maſſagetis appropinquet. Sed nimirum hoſtis eis appropinquet. Volo autem, obſerves, Poëtam quidem hunc dixiſſe τὸ τέτρηχεν pro τετραχύνται, *exaſperatus eſt, ſive ad aſperitatem factus*; verùm apud Homerum vocem hanc legi eadem prorſus ſignificatione atque τὸ τεταράχθαι, *tumultum ac turbam eſſe excitatam*, in illis verbis: Τετρήχει δ᾽ ἀγορή, *Turbata erat concio*, ſeu *tumultu ac turbis plena.* Vide etiam eum dicere ὁλκὸν ἀκάνθης, *tractum ſpinæ*: adeò ut ὁ ὁλκὸς, *tractus*, variâ ſit multiplicique ſignificatione, quemadmodum paullò ante eſt oſtenſum. Spinam porrò vocat, non os quidem ceti, quod ſimiliter ſeſe habet, atque ἡ ῥάχις, *ſpina dorſi*, quod propriè etiam dicitur de piſcibus atque ſerpentibus; ſed ſpinam eſt nunc intelligere extantes dorſi aculeos, &, tanquam in ſepe, quæ ſpinas habet, erectos atque inſurgentes.

Nam

Nam ſceleratis
Conſtituit mala multa deus terrâque mariqne.

Ubique nimirum locorum mala malis. Diximus autem & ſuprà, Poëtam hunc, ex communi conſuetudine, inopem eſſe à dictis ſententioſis. Neque enim valde ea curant Topographi.

X C I. Ad Carmaniæ promontorium Ogyris inſula; tumuluſque in eâ Erythræi regis, quem alii Erythram vocant: qui ita etiam ſcribunt:

Eſt in Erythræo longè poſita inſula ponto,
Ogyris. Hîc tumulus pelago regnantis Erythræ
Præjacet.

Ab eo autem ipſum etiam mare, ut ſcriptum ſuprà eſt, accepiſſe nomen videtur. Verùm alii, epitheto gentili, Erythræum regem, Deriadem intelligunt, ibi ſepultum, cujus etiam antea mentionem fecimus: qui quum genere eſſet

Erythræus, ad Indos poſtea profectus; Baccho, Jovis filio, exercitum contra Indos ducenti, præclarè reſtitit. Carmania verò, emporium eſt Perſarum. Inſula in mari Perſico borealis, Icarus, cognominis alterius inſulæ, quæ eſt in mari Ægæo: cujus etiam nomen, propter ejus celebritatem & gloriam, ſemel atque iterum per repetitionem uſurpat. Sumptuosè ibi atque magnificè colitur Tauropolus Apollo, ſeu Diana. Alii verò Perſicum ſinum paullò minorem Euxino eſſe aiunt, in quo tum Icarus inſula, tum Tyrus & Aradus, Phœniciarum cognomines. Sciendum tamen eſt, inſulam illam maris Ægæi Geographum quatuor ſyllabis Icariam dicere: à qua etiam parvâ inſulâ exiſtimat Icarium mare appellatum. Eam autem inſulam deſertam eſſe ait, paſcuaque habere, quibus utuntur Samii.

XCII. Oceani inſulas, ſicuti & alias, quemadmodum ſupra dictum eſt, craſſiori Minervâ percurrit, quippe qui clariores tantummodò atque illuſtriores verſi-

versibus suis ac memoriæ mandaverit. Itaque sic ait : Tot quidem ampliores, atque latiores : aliæ verò innumeræ, aliæ hîc, aliæ illic locorum, aliæque alibi : aliæ ab hominibus frequentatæ, beneque à portu naviumque statione instructæ ; aliæ altis præcipitiis præruptæ, neque nautis peropportunæ : quarum neque facilè sibi esse ait nomen universarum referre.

XCIII. Asia regio nomen accepit ab Asio, Atyis filio, ut dictum etiam est, cum de Europâ ageremus ; vel ab Asiâ, matre Promethei, ut vult LYCOPHRON ; vel eo quia multas ex aquis lacunas habet, ideoque est limosa. Ἄσις namque limus seu cœnum, ut & apud HOMERUM. Quidam verò ipsam etiam Atticam vocatam olim fuisse tradunt Asidem. Alii autem narrant, Asium philosophum, mysteriorum atque initiationum peritum, ad custodiam conservationemque Troiæ, dedisse Troi Palladium ex ligno, initiorum sacris dedicatum, nimirum ceremoniis quibusdam

magicis atque incantamentis consecratum: Troëm verò, in viri illius honorem, regionem imperio suo subjectam, Epirum priùs vocatam, mutato nomine, Asiam appellasse; atque ab eâ, tanquam à parte in primis celebri atque præstantiori, reliquam etiam regionem in ejusdem appellationis consortium atque societatem venisse. Proditum autem est historiis, ut portio quædam Libyæ regionis dicta est Libya, quemadmodum suprà scriptum est, ita etiam partem quandam totius Asiæ sic propriè Asiam vocatam, eodem nomine atque totam illam continentem. Vocatur enim, ut aiunt, Asia, quæ intra Taurum Lydos, Cares, Lycaones, Paphlagones, Iones, Æolenses, atque alios, continet. Quidam verò scribunt, isthmum esse ad Amysum & Themyscyram, & quæ regio intra hanc lineam comprehenditur atque includitur, eam propriè Asiam vocitari. Alii verò aiunt, Asiam urbem esse Lydiæ ad montem Tmo-

Tmolum, qua in urbe trichordis cithara reperta est; & ab hac urbe regionem ipsam appellari, vel ab Asiâ quodam Lydo, à quo ὁ Ἀσίας λειμὼν, *Asias pratum*, ut τὸ κοχλίας, *cochlea*; ut & HOMERUS: Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, *Asia in prato*, non casu quidem dandi, id est, Ἀσιανῷ, *Asiano*; sed gignendi communiter Ἀσίε, *Asia*, ut κοχλίε, *cochlea*; & Ionicè Ἀσίεω, ut legere est apud HERODOTUM, & per syncopen, Ἀσίω, ut Ἑρμείεω, Ἑρμείω, *Mercurii*, &, ἐϋμμελίω Πειάμε, *hastâ bene utentis Priami*. Africæ & Europæ simul ambarum ῥυσμὸς, *tractus*, hoc est, protractio atque extensio, qui tractus, ut suprà dictum est, simul finitur ac terminatur in conum, figura est Asiæ, eo quia nimirum ipsa per sese sola ab alterâ parte sit conus: cujus quidem pars latior conjuncta est ac cohæret cum vestigio Europæ atque Africæ, ita ut & illius & hujus coni basis fit communis; pars verò hujus acutior desinat ad intimum recessum totius Orientis, hoc est, ad Oceanum Eoum,

& Liberi ibi patris Columnas : quemadmodum alterius coni pars similiter acutior terminatur ad Gades in occidentem, atque ad Columnas Herculis. Quare etiam à principio dictum est fundæ esse similem terram, cujus quidem pars utrinque acutior ad vias solis. Horum porrò istorum duûm conorum differentiam postea assignat, tum pro ratione magnitudinis (multò enim major conus ille Asiæ) tum pro ratione etiam formæ, quoniam illic quidem unum mare immensum interjectum est inter Europam & Africam, idque ab Oceano occidentali, quod ipsam etiam Asiam ad tractum satis magnum attingit : at verò in Asiâ multus, inquit, Oceanus, neque unum ac solum mare. Tres enim, inquit, fluctuantes sinus evomit, quos introrsum immittit, Persicum, Hyrcaniumque, & Arabicum, cujus sanè vortices profundi. Atque hoc etiam loci repetitione utitur, per eam figuram, quæ dicitur Epanastrophe, seu Reversio. Sic enim loquitur:

Australes

Australes illos. Boream respectat at iste,

Respectat boream, & Liba.

Intelligit autem Hyrcanium : quem etiam, tanquam Borealem, vicinum dicit Ponto Euxino. Est autem hæc ista figura Epanastrophes similis illi HOMERICÆ :

Ipse virum aggrediar, quamvis digitos similem igni,

Quamvis & digitos igni similem, & præcordia ferro.

Aliud etiam quiddam commune est utrique horum istorum conorum. Sicuti enim in Gadibus ad occidentale coni acumen Herculeæ stant Columnæ; sic etiam in Indiâ, ad fluxum extremum Oceani, in ultimis Indorum montibus, Columnæ Bacchi Thebani, qui eò usque progressus fuerit, cum regionem sibi illam subjecit, ut & in fine hujus *Periegeseos* commemorabitur. Ac vide, ex aliquorum certè sententiâ, ex Græciâ

ciâ illos fuisse, qui terras usque ad earum terminos peragrarunt, Herculem nimirum, & Bacchum. Atque hoc certè non Græciæ modò laudi est; sed etiam Thebis, iisque maximè. Inde enim hic iste tum Bacchus, tum Hercules: tametsi aliqui alios velint id fecisse. & non Græcos illos, Herculemque, & Bacchum. Quo loci dicit, Gangem, fluvium illum Indiæ, candidam aquam Nyssæam volvere ἐπὶ πλαταμῶνα, *per æquor latè patens*, non propriè usus videtur hac voce; sed generatim de planitie terræ latè in campos patentis dicit τὸν πλαταμῶνα, *æquor*. Propriè autem ὁ πλαταμὼν, *æquor*, dici solet de mari, quod petras, seu scopulos, sub aquis latitantes habeat. Et talis etiam fortasse est locus ille, per quem Ganges fluit. Nyssæ verò variæ perhibentur, Æthiopica, Arabica, Euboica, ubi miraculum fertur illius vitis, quæ racemum quotidiè produceret. Sed & aliæ sunt Nyssæ, ut Ethnicorum scriptores testantur. Aiunt autem, eos, qui viam hanc Nys-

Nyſſæam Indicam inſident, quique ad montem hunc Nyſſæum incolunt, veſci carnibus humanis. Sed de hac Nyſsâ nos etiam poſtea.

XCIV. Iſthmum, de quo jam diximus, medium inter Pontum Euxinum, & Hyrcanium, eumque latiſſimum, qui nimirum eſt ad Iberiam Orientalem, tum immenſum appellat, tum longis hinc & inde campis porrectum. Atque hîc etiam obſerva, ut iſthmus, generatim ſic, atque ſimpliciter dictus, terrarum inter maria duo anguſtias ſignificat. Quòd ſi apponitur τὸ μακρὸς, *longus*, aut πλατὺς, *latus*, aut ἀθέσφατος, *immenſus*, aut aliquod aliud hujuſcemodi epitheton, qualia multa excogitat atque comminiſcitur DIONYSIUS, tunc ſanè, propter has iſtas appoſitiones atque adjectiones, iſthmus intelligetur is etiam, qui minimè omnium eſt anguſtus. Idemque etiam intelligendum de freto. Siquidem apud veteres πορθμὸς, *fretum*, dicitur illud Siciliæ, non modò boreale, quod ſeptem

tem eſt ſtadiorum; ſed etiam auſtrale, quod menſurâ eſt mille & quingentorum ſtadiorum, atque in hiatum tantum aperitur. Taurus mons, initio à Pamphyliâ ducto, ut Poëta hic opinatur, per totam Aſiam progreſſus, ad Indos uſque porrigitur, alibi quidem, ut ait, obliquus & curvus, atque, ut infrà loquitur, multas habens ϛϱοφάλιγγας, *vertigines*, ſeu *gyros*; alibi verò veſtigiis ſuis, atque inceſſu, rectior. Tum verò cauſſam reddit, cur ille mons ſic appellatur, his verbis: Taurum autem ipſum vocitant, eo quia in tumulos erectus, tauri inſtar, & ὀξυκάρηνος, *capite acuminato*, incedit, montibus ἐκταδίοις, *extentis atque porrectis*, hoc eſt, longis, hinc atque inde multifidus. Ubi τὸ ὀξυκάρηνος, *habens caput acuminatum*, ſcribitur etiam ὀρθόκραιρος, *habens caput erectum*; idque congruens eſt atque conſentaneum cum appellatione ipsâ Tauri. Epitheton namque tauri, & generatim bovis, τὸ ὀρθόκραιρος, *habens caput*

caput erectum, ut patet ex illo, *βοῶν ὀρθοκραιράων*, *boum erectum caput habentium*. Dicit autem, hunc ipſum Taurum non unum ſolumque cognomen ſortitum fuiſſe; ſed in unoquoque flexu atque anfractu nomen habere. Deinde rurſus oſtendit, craſſiori ſeſe pinguiorique Minervâ *Periegeſin* hanc compoſuiſſe, uſus illis verbis:

> *Qui vicina tenent, populis ea cura relicta.*

Quod loquendi genus ſimili figurâ eſſe aiunt, atque illud HESIODI:

> *Singula quique ſciunt, loca ibi vicina tenentes.*

Poſtea verò, quàm amnes magno cum ſonitu ex Tauro profluentes, innumeros atque infinitos dixit, ſubdit: Quis nomina omnia referat? Quin & gentes ſeſe oratione percurſurum, atque enarraturum profitetur, non certè quidem univerſas; ſed quotquot clariores ſunt, atque celebriores; illud a Muſis precatus,

tus, ut vestigium sibi rectissimum, & non obliquum, ducant: tametsi multi sint flexus atque anfractus locorum, quos hæc *Periegesis* percurrit, & perinde quasi per singula nos loca ducat, singillatim exponit. Vide verò, ut ad imitationem illius, *Σαμία μία ναῦς*, *Samia una navis*, dixit etiam hic Poëta: *ἐπωνυμίαν μίαν ἔλαχε*, *cognomentum unum sortitus est.* Quæ ambo accepta sunt ex HOMERO, cujus est illud in Odysseâ: *Σαμία μία*, *Samia una.* Verùm de Tauro ita Geographus: Taurus mediam Asiam præcingit, ab occidente ad orientem conversus: cujus pars extrema, Imaus mons, qui mare Indicum contingit. Partem autem quandam montis hujus Tauri, Cragum quoque appellatam testatur ipse postea DIONYSIUS: ubi aliæ etiam, quæ veteribus placuerunt, caussæ adjunguntur, cur hic iste Taurus vocetur. De Tauro quoque ita ARRIANUS: Taurus mons Asiam dirimit, initio ducto à Mycalâ monte, qui e regione est Sami insulæ; divisâque Pamphy-

Pamphyliâ atque Ciciliâ, inde ad Armenios pertinet, indeque ab Armeniis ad Medos. Angulos quatuor Mundi brevissimè hîc ad formam, atque exemplum celeritatis, complectitur his verbis :

Amnes ex Tauro innumeri, ad Boreamque, Notumque,

Atque Euri, Zephyrique auras.

XCV. Ad Mæotin, de qua suprà commemoratum est, tum ipsi sunt Mæotæ, qui sunt nimirum à Mæotide denominati, vel etiam fortasse, ex quibus Mæotis palus vocata fuit ; tum etiam siti sunt Sauromatæ, incolæ illi quidem sylvæ immensæ, qua mediâ sese volvens Tanais, mediam in Mæotin delabitur : qui sanè Tanais Europam & Asiam secernit, Europam ad occasum, Asiam ad ortum. Verùm de his dictum est supra, quidquid è re esse videbatur. Sauromatas, quæ gens est Scythica, strenuum genus bellicosi Martis appellat, vel quia sunt ii bellicosi, vel quia

ipſi ab Amazonibus, eæ verò à Marte, genus ducere feruntur. Narrat enim, prognatos eos fuiſſe ex fortium Amazonidum concubitu, quo ſeſe illæ olim cum Sauromatis miſcuerunt, cum à patriâ illæ ſuâ ex Thermodonte in Scythiam oberraſſent. Quare etiam magnanimi ex iis filii prognati fuerunt. Ferunt autem, Amazones illuc oberraſſe, vel quia expeditione contra Græciam ſuſceptâ, partes Boreales circumierunt, Iſtrumque tranſmiſerunt: à quibus, tanquam ἐξ Ἄρεος, *a Marte*, genus ducentibus, nomen quoque Athenis accepit ὁ Ἄρειος πάγος, *Areopagus*, quippe quæ eò uſque progreſſæ fuiſſent; vel quia Hercules, ducto contra eas, propter Hippolytæ balteum, exercitu, ex Aſiâ eas fugavit. Verùm de his ita HERODOTUS: Græci, Amazonibus ad Thermodontem ſuperatis, &, quaſcunque potuerunt, vivis captis, Euxino renavigarunt: quos illæ in alto adortæ, trucidaverunt. Tum fluctibus ventoque delatæ, ad Mæotin perveniunt: ibique

in

in terram egressæ, Scythicamque regionem depopulatæ, à principio viri esse videbantur; sed tandem agnitæ, citra vim ac prœlium, volentes lubentesque subactæ sunt, indigenisque adolescentibus junctæ, Tanain trajecerunt; quumque trium dierum itinere ad ortum solis processissent; substiterunt tandem in regione, quam nunc vocant Sauromatarum. Ceterùm τὸ Ἀμαζονίδες, *Amazonides*, non est nomen diminutivum, ut ne mulieres illas fortes per diminutionem deprimat, atque extenuet; sed factum id nominis est per paragogen. Tale & supra visum est illud, Ἀσίδα γῆν, *Asidem regionem*, & illud, Σικελικὴν πορθμίδα, *Siculum fretulum*, & si quid aliud hujusmodi. Paphlagonicum porrò illum amnem Thermodontem, patriam Amazonum dicit, eo quia hæ olim in locis illis Paphlagonicis habitarunt, ut historiis proditum est.

XCVI. Tanaidis, de quo diximus, fontes in montibus murmurant Caucasiis; ipse verò latè fusus huc & illuc

Scythicos campos percurrit. Caucaſi autem nomine, intelligendam nunc eſſe aiunt partem quandam maximè borealem Tauri, de quo ſuprà memineramus, ad mare propemodum Cronium pertinentem: cujus etiam partes, montes Ripæi, de quibus ſuprà ſcriptum eſt. Hunc iſtum quidem certè Caucaſum, in quo Prometheum fabulæ cruci affixum ferunt, veteres in Tabulâ Geographicâ minimè omnium ineſſe ſicut conſpici affirmant. Veruntamen Geographus porrigi eum teſtatur uſque ad Tibarenos. Quod autem obſervare te velim, tametſi DIONYSIUS dicit, defluere ex hoc iſto Caucaſo Tanain; tamen Geographus ſcribit, Tanaidis fontes pariter eſſe incognitos ac Nili; ubi etiam tradit, urbem ei adjacere, fluvii ipſius cognominem. Verùm alii eum volunt, à palude quadam, tanquam à fonte, fluentem in Mæotin paludem, duplici in eam oſtio exire. His in locis, qui ſunt circa Tanain, & Caucaſum ibi borealem, ſæviente boreâ cum magnâ procellâ, gla-

ciem præ gelu ac frigore concretam videres. Deinde DIONYSIUS verè ex animo, quasi illorum misertus, qui eò loci habitant, propter glaciem illam immensam, atque immoderatam, atque etiam præterea hyemem per amplificationem describens atque explicans: Miseri, inquit, illi mortales. Semper enim iis & gelida nix, & frigus graviter spirans. Ac profectò, cum ex ventis major vis frigoris venerit, & equos quis ante oculos morientes, & mulos intueatur, &, quod per hyperbolen dictum videri potest, oves quoque in agro stabulantes, ad quas, ex HESIODI sententiâ, ne Lenæonis quidem, sive Januarii, frigus, propter velleris densitatem, penetraverit. Neque verò ipsi, inquit, ibi homines illæsi manent à frigore. Sed enim, junctis rhedis (vitam enim ibi homines in plaustris degunt) aliò vagi atque errones commigrant, & ventis regionem hibernis relinquunt. Hoc autem & in proverbio positum est de regione frequentatâ olim ac cultâ, postea deser-

desertâ ac desolatâ, cum ventos nimirum dicimus hanc, exempli caussâ, vel illam urbem desertam perflare. Verùm observa, nivem veteres perquam lepidè lanatam aquam vocare, præbente iis exemplum atque ansam sapiente illo rege Davide, cum dixit: *dante nivem suam quasi lanam.* Vide etiam, perspicuè hoc loci non in contumeliam, sed in commiserationem, dictum esse τὸ σχέτλιοι, *miseri.* Porrò autem in confesso est, vagorum horum atque erronum Nomadum regionem hiberno esse tempore ad incolendum perdifficilem. Quare ne asinos quidem alit. Est enim id animal alsiosum, frigorisque impatiens. Quin & historiæ mandatum est, rumpi ibi hiberno tempore hydrias æreas, agique alicubi plaustra, ubi fit navibus trajectio. Quidam etiam aiunt, calores ibi æstate multò esse vehementiores. Attamen DIONYSIUS non ita opinari videtur; sed continenter atque perpetuò regionem illam frigere. Dicit namque:

Semper

Semper ibi gelidæque nives, frigusque malignum.

Et ſic etiam HERODOTUS: qui quum Scythiam perfrigidam, & pluſquam hyemalem vocaſſet, ſubjungit, frigus octo ibi menſes, quale eſt, prorſus eſſe intolerabile, & rurſus, aquam ſi effuderis, lutum nondum te eſſe facturum; ſed, ſi ignem accenderis, lutum te eſſe facturum: ac mare etiam & Boſporum Cimmerium congelari, reliquos verò quatuor menſes eſſe ibi ait frigora. Fortaſſe igitur Scythia interior, quæ eſt ad Septentriones, talis eſt, qualem eam dicit HERODOTUS; reliqua verò, ut credibile eſt, caloribus etiam atque æſtibus afficitur. Ac hujuſmodi quidem regio eſt Scytharum univerſa, quibus de Scythis narrat ARRIANUS, veſci eos quondam ſolitos frumento, aratoreſque fuiſſe, atque in domibus habitaſſe, & urbes habuiſſe; poſtea verò, quàm à Thracibus cladem acceperunt, priſtinos mores mutaſſe, magniſque exſecratio-

nibus sancivisse, ut ne domum deinceps unquam ædificarent, neque aratro terram proscinderent, neque urbes conderent, neque quid in supellectile pretiosum deinceps possiderent; sed ut domos plaustra facerent; cibum, carnes ferinas; potum, eundemque etiam cibum, lac; utque pecora duntaxat possiderent, quæ agenda iis essent, cum ex aliâ in aliam regionem migrarent; & ab eo demum tempore ex agricolis Nomades eos, seu pecuarios, evasisse. Insignem porrò virum Scythia tulit Anacharsin, cujus & HERODOTUS meminit, ubi ait, Euxinum gentes præbere maximè indociles atque imperitas; nullâque ex gente earum, quæ sunt intra Pontum, virum insignem memorari, præterquam ex Scythicâ, ex quâ Anacharsis. Ferunt autem, Nomades hos Scythas ad Chersonesum usque Thracicam olim penetrasse, quum per Europam grassarentur, atque percurrerent, quo tempore Darius, illuc cum

exer-

exercitu profectus, eos irritaverat.

XCVII. Sauromatas ἐπίχουσι, *statim habent*, Sindi, qui secundum quosdam, dicti etiam Zicchi. Dicit autem τὸ ἐπίχουσι, *statim habent*, pro διαδέχονται, *excipiunt*, & μετ' αὐτοὺς τὴν γῆν ἔχουσι, *post eos regionem habent*. HOMERUS tamen τὸ ἐπίχειν dicit τὸ κατά τινος ἔχειν, *contra aliquem sese habere*, *in unum aliquem tendere*, *uni alicui instare & imminere*; idque construit cum dativo, ut, Δαιμονίη, τί μοι ἐπίχεις; *Improba, quid mihi instas?* Similiter post Sauromatas sunt etiam Cimmerii, de quibus fusiùs commemoratum est in Odysseâ; itemque οἱ 'Ορέται, *Oreta*, sine τοῦ σ', sic appellati Namque οἱ 'Ορέσται, *Oresta*, cum τοῦ σ', gens sunt Europæa Molossica, sic vocati ab Oreste, Agamemnonis filio. Ibi etiam, inquit, Cercetii, quorum regio, Cercetus dicta, adjacens illa quidem Caucaso, de quo suprà dictum est. Ibi & robusti Alæi: quos a Troiâ, inquit, Noti & Zephyri auræ νοσφισάμεναι, *separantes*, nimi-

rum *νόσφι*, *separatim*, ac seorsum, longèque abducentes, atque segregantes, & sejungentes, illuc duxerunt, cum regem Aretiadem comitarentur. Pelopidam nimirum Agamnemnonem: quem Aretiadem vocat, hoc est, *ἐξ Ἄρεος*, *ex Marte*, genus ducentem, propter Hippodamiam, Martis filiam, quam Pelops, Agamemnonis avus, uxorem duxerat. Verùm alii hos ipsos Achæos secutos volunt regem Aretiadem, seu Martialem, bellicosum nimirum illum Achillem, quando, duce ipso belli constituto, latrocinia cum eo agitabant; aut potiùs secutos eos volunt Jalmenum, Martis filium, Aspledionorum regem. Erant autem Orchomenii. Geographus verò scribit, jam inde à militari illâ Jasonis in Colchos expeditione Phthiotas Achæos Phthiam Asiaticam incoluisse; Lacones verò Heniochiam regionem, quibus cum imperio præfuerunt Rhecasque & Amphistratus, Dioscurorum *ἡνίοχοι*, *aurigæ*: a quibus gens

ibi

ibi Heniochi, regioque ipſa Heniochia. Alii tamen Aretiadem, ſeu Martialem, regem, Pompeium intelligunt, qui Scythis ſociis atque auxiliaribus uſus, quibuſcum erant hi iſti Achæi, civile bellum geſſit cum Cæſare. Porrò autem τὸ Ἀρητιάδης, *Aretiades*, fit ab Jambico Ἄρης, Ἄρητος, *Ares*, *Aretos*, *Mars*, *Martis*. Hanc enim iſtam declinationem Jambicam habet ὁ Ἄρης, *Ares*. Ceterùm τὸ νοσφισσάμενοι, *ſeparantes*, *atque ſejungentes*, vocabulum eſt HOMERICUM. Nam poſteriores quidem uſurpant τὸ νοσφίζεσθαι, pro *ſibi vindicare*, *ſuum facere*, *ſibi lucrari auferre*, *ac ſurripere*.

XCVIII. Poſt Achæos Heniochi, de quibus antea dictum eſt, itemque Zygii, gens maximè fera atque agreſtis, ut hiſtoriæ traditum eſt, a Pelaſgis oriundi. Narrat autem Charax, Argonautas non unâ ſolâque navi, ut de Argone ſermo eſt vulgaris ac pervagatus; ſed multis navigiis in Euxinum navigaſſe, eorumque quoſdam aberraſſe:

atque

atque in illarum quidem navium unâ Tyndaridarum ἡνιόχυς, *heniochos*, aurigas nimirum Dioſcurorum, fuiſſe: à quibus populi vocati ſint Heniochi, & Tyndaridæ; immo verò & regio ipſa Dioſcuris, qui eſt Euxini μυχὸς, *intimus ſinus, ac receſſus*, extrema nimirum ad Trapezuntem Colchicam navigatio. Unde & adagium:

Ad Phaſin uſque extrema navigatio,

hoc eſt, ad Colchidem ipſam regionem, à parte, ubi finis ac terminus totius ibi navigationis. Siquidem alioquin multa ſtadia, multaque eſſe dicitur navigatio à Phaſide ad ſinum intimum Euxini, atque ad Dioſcuridem, cui continens eſt Trapezus, à Sinopenſibus ædificata, magnum emporium, ubi Trapezuſia regio. Quin & Tyndaridarum regio ad ipſum eſt intimum ſinum Ponti, nimirum Euxini. De quibus, & quid cauſſæ ſit, quamobrem Tyndaridæ vocentur, dictum eſt ſuprà. HERODOTUM auctorem ſequitur hic Poëta, cum poſt

ejus

ejus vestigia affirmat, Colchos advenas esse ex Ægypto, hoc est, ἀποίκους, *in coloniam missos*, vel μετοίκους, *inde asportatos*. Atque huic sententiæ illud argumento est, quòd & οὐλόκρανοι, *capite crispo*, sunt, hoc est, οὐλότριχες, *capillis crispis*, ut Ægyptii, & cute nigrâ: ac præterea consuetudines sunt apud eos Ægyptiæ, quarum una illa quidem certè est, ut circumcidantur, & vestes lineas induant. Quin & victûs ratio & lingua similiter sese habere dicitur apud Colchos & Ægyptios. Verùm ita Geographus: Colchi post Heniochos sub Caucasiis & Moschicis montibus. Vocantur autem Colchi à Colcho, Phasidis filio. Feruntur infra hos siti esse Thoanes, homines sordibus atque illuvie nihilò quidem certè meliores vicinis Phthirophagis; sed abundantes auro. Torrentes namque apud eos aurum deferunt, quod incolæ velleribus, seu pellibus lanatis excipiunt. Unde datus est locus fabulæ de vellere aureo, cujus gratiâ Argonautæ navigationem illam susce-

susceperunt. Quanquam Charax vellus aureum esse dicat viam atque rationem conficiendi auri litteris mandatam, eamque in membranis contentam: propter quam, tanquam memoratu dignam atque in pretio habendam, expeditionem illam Argonis navis instructam confectamque fuisse affirmat. Atque hæc quidem hujusmodi. Verùm DIONYSIUS, Colchorum loca describens incolere eos ait ad intimum sinum, quem diximus, Ponti Euxini, post illos ipsos Tyndarides, de quibus commemoravimus, prope à Caucaso, de quo suprà: qui sanè Caucasus circa sinum Hyrcanium montibus altissimis excrescit, ubi, inquit, & Phasis,

Circæi rapidus campi per dorsa volutus,

Euxinum in Pontum spumosas evomit undas.

Namque in Pontum Euxinum exit Phasis fluvius, qui productam habet primam syllabam; itaque vocatur à Phaside,

de, cujus filius Colchus traditur. Defluit autem in Colchidem asper ac violentus, pontibus centum ad transitum junctus, ut Geographus ait, propter obliquitatem. Influunt autem in eum Glaucus & Hippus flumina, eique etiam urbs cognominis adjacet. Quod autem ad circumjacentia loca attinet, Phasiana vocatur regio tum à Diodoro, tum ab aliis; phasianique item aves habere inde nomen videntur, quippe qui multò ibi sint copiosiores. At verò Caucasus appellatur etiam ab incolis Caspius, ut Geographus tradit: qui etiam testatur, quà is mons spectat ad mare, Ceraunios montes vocari, eodem nimirum nomine, quo Illyrici; itemque hunc Caucasum Pontico Caspioque mari imminere, ac veluti muro isthmum, qui ibi est, intercipere atque munire; Albanosque quidem & Iberes ad austrum dirimere; Sarmatas verò ad septentriones. Circæus porrò campus sic vocatur propter Circem, Æetæ Colchorum regis sororem, quæ inde herbas colligebat.

bat. Hoc de campo ſcribit Geographus, ad Albanorum fines templum eſſe Circes, ubi etiam phiala quædam Ulyſſis oſtenditur; & Circæum montem, radicibus abundantem, inſulæ inſtar, inter mare & paludes. Sciendum tamen eſt, ſecundùm LYCOPHRONEM, Circæum & montem quendam eſſe circa fines urbis Romæ. Armenium montem, ex quo fluere incipit Phaſis, Ethnicorum ſcriptor ad Hyrcaniæ initium eſſe exiſtimat. Verùm alii Armenium montem, partem eſſe aiunt Tauri, porrectam atque protentam uſque ad Armeniam, quæ ſic appellata eſt, vel ab Armenio eo monte, quem diximus, vel ab Armeno quodam, viro Rhodio. Quanquam aliis Armenia regio dicta eſſe videatur per denominationem ab Armeno heroë, ex Armenio, oppido Theſſaliæ, qui eò ſimul cum Jaſone in expeditionem profectus fuerit. Nam & ad hæc iſta loca Jaſonem penetraſſe, cum ad vellus aureum adnavigavit, multa ſunt indicio atque argumento apud veteres. Cete-

Ceterùm Armenius mons, numero etiam multitudinis dicti Armenii. Quod autem sciendum est, HERODOTUS Armenios oriundos à Phrygibus eorumque coloniam facit, ubi etiam scribit esse illos re pecuariâ valde locupletes. Ad hæc Eudoxus in libro, quo circuitum orbis terrarum describit, Armenios ait genus ducere ex Phrygiâ, atque ad Phrygum in multis loquelam proximè accedere, lapidemque suppeditare, quo gemmæ scalpuntur ac perforantur. Quin & illud sciendum, quod traditum ferunt, Justinum Imperatorem Armeniam regionem in partes quatuor divisisse, primamque, ut aiunt, Heptapolin, clarissimam illam ceterarum atque celeberrimam, ex urbibus septem posuisse, cujus metropolis Bazanis, dictà priùs Leontopolis: cujus etiam est Theodosiopolis, & Colonea, itemque Trapezus & Cerasus à sinu Polemoniaco. Secundam verò Armeniam eundem ipsum in urbibus quinque collocasse, quarum una Sebastea: tertiam verò Armeniam,

Hexapolin ex urbibus ſex conſtituiſſe, quæ ſecunda olim Armenia vocabatur, cujus urbs primaria atque princeps Melitene: qua etiam in Armeniâ ſita Comana, eademque Chryſe nominata, & Cucuſſus. Quartam denique Armeniam, ſub ſatrapis, variis ex partibus compoſitam, & Tzopharen, & Balbitenen, aliiſque hujuſmodi barbaris nominibus appellatam, ordinaſſe.

XCIX. Armenio monti ad ortum & ſeptentriones iſthmus eſt inter mare Caſpium & Euxinum: in quo Iberes ſunt Orientales, hoſtes, ut aſſolet, Hyrcaniorum, eò, tranſlatis ſedibus, profecti ab Iberibus occidentalibus, qui ſunt ad Pyrenen, quam certè Pyrenen dictam. quoque novimus Pyrenæum montem. Hunc iſtum porrò iſthmum iterum 'per repetitionem nominat, eo quia tractu eſt multò ampliori, dignuſque ſanè eſt, qui commemoretur. Hic enim eſt, quem nonnulli, ut ſuprà quoque ſcriptum eſt, Aſiæ, atque Europæ terminum exiſtimarunt. Hos autem Iberes

Iberes scribit Geographus cultu sese Armenio atque Medico induisse atque ornasse: qui etiam testatur, de his qui montani sunt, eos esse pugnaciores atque bellicosiores. Verùm observa, ut, quæ sit hîc isthmi repetitio, repetitio simul est & epanastrophe, seu reversio. Sic enim DIONYSIUS:

adjacet isthmus,
Isthmus Caspiaci, Euxinique.

Hoc enim, quatenus, priori quidem sententiâ desinente in ἰσθμὸς, *isthmus*, secundus versus ab eadem voce incipit, epanastrophen, seu reversionem, facit, figuram oratoriam. Quoniam verò, perspicuitatis gratiâ, semel atque iterum isthmus necessariò dicitur, fit epanalepsis, seu repetitio.

C. Eo in isthmo, quem diximus, jacet magna gens Camaritarum: qui sic appellantur à navigiis teretibus prædatoriis, quibus ii utebantur; quæ quidem navigia vocabantur καμάραι, *cameræ*, apud Græcos. Erant autem navi-

culæ exiles, anguſtæque & leves, quæ quinque & viginti homines caperent; raro uſque ad triginta. Hi Camaritæ Bacchum ex bello Indico, ut narrat, hoſpitio exceptum proſecuti ſunt, ſimulque cum Lenis, hoc eſt, Bacchis, choros agitarunt, quum illarum geſtamina, cingula nimirum, pelleſque hinnuleorum, pectoribus injeciſſent, &, Euœ Bacche, clamarent. Erat id acclamationis, hymnorum proprium, quòd, veluti epiphonema, in Liberum patrem, dum ejus laudes canerentur, ſubjungebatur: Sicuti etiam τὸ Εὐάν, *Evan.* Unde & deducitur τὸ εὐάζειν, *Evan acclamare, ac bacchari*, & Bacchus Evius vocatur. Hæc autem alii denſo ſpiritu afficiebant, veluti adverbia primigenia. ex furore quodam fanatico; alii verò ſpiritu tenui, quippe qui vocem hanc *Periegetæ* acciperent atque interpretarentur pro εὖ οἷ, hoc eſt, αὐτῷ; *bene ei:* atque ex eâ τὸ εὐὰν, *evan*, deducerent, idque fortaſſe in unâ quidem ac ſimplici voce; ſed & fortaſſe ex duabus compoſi-

positum, id eſt, εὖ, & αὖ. Sciendum autem eſt, Bacchas, comites illas & miniſtras Bacchi, vites allegoricè intelligi. Hæ namque nutrices, atque altrices Bacchi, qui pro vino accipitur. Bacchicis verò hinnuleorum pellibus varios atque multiplices uvarum colores denotari. Multicolores namque hinnuleorum pelles, multiſque punctis atque maculis diſtinctæ, aut etiam ebriorum ignaviam, atque ſocordiam indicari. Timidum namque atque ignavum animal, ὁ νεβρὸς, *hinnuleus*, fugacis cervæ pullus, cujus pellis ἡ νεβρὶς, aut etiam quia ebrii mente ſunt variâ, propter inconſtantiam & levitatem. Varia autem hinnulei pellis, à macularum, quibus veluti notis diſtincta eſt, multitudine.

CI. Quemadmodum Hesiodus, ubi ſermonem habet de navigatione, ſeſe de eâ dicturum profitetur,

Nec tamen ipse sciens pelagi, neque nautica doctus.

Ausus enim nunquam lato me credere ponto &c.

ut ita intelligendum præbeat, sese, tanquam Musarum vatem atque interpretem, omnia cognovisse; sic etiam DIONYSIUS, sese tibi faciliùs descripturum ait Caspium mare, tametsi ipsum non viderit, neque navi trajecerit. Deinde hanc eandem sententiam, veluti ad speciem quandam ac pompam theatralem, amplificat illis verbis:

Nam neque vita mihi nigris in puppibus acta,

Nec mihi mercatus patrius, neque ad ostia Gangis

Tendo.

Neque hoc facio, neque illud, ut alii, quæ sunt ejus verba,

Temnentes vitam, argento ut potiantur & auro.

Quod

Quod quidem ſententioſè atque in modum proverbii, de iis uſurpatur, qui minimè omnium parcunt navigationi. Sed me, inquit, Muſarum mens agitat, hoc eſt, Mathematicæ diſciplinæ,

quæ certa, minimèque vagantes,
Immenſum poſſunt metirier undique pontum,
Aſtrorumque viam ætheriam, monteſque ſolumque.

Et obſerva, ut DIONYSIUS, quum talem fieri velit auditorem ſuum, hanc ipſam tractationem inſtituit, à qua ille, veluti à Muſis agitatus atque impulſus, ad DIONYSII hujus ſimilitudinem quàm proximè accedat. Vide verò, ut hoc ipſum, quod eſt περιηγήσασθαι, *periegeſi, quaſi circumducendo per ſingula, ſingillatim omnia explicare*. dicit hoc loci καταγράψασθαι, *deſcribere*, & μετρήσασθαι, *metiri*, in his verbis: καταγράψομαι θάλασσαν, *deſcribam mare*, &, πολλὴν ἅλα μετρήσασθαι, *magnum mare metiri*. Cui quidem loquendi generi ſimile

prorſus eſt τὸ γῆν μετρήσασθαι, *terram metiri*, ex quo compoſitum eſt τὸ γεωμετρεῖν, *terram dimetiri*, *Geometram agere*, *Geometricè metiri*. Id autem vocabuli eſt HOMERICUM, deſumptum ex illo: Ὄφρα τὴν ὀλοὴν ἀναμετρήσαιμι Χάρυβδιν.

Ut metirer adhuc funeſta pericla Charybdis.

Videtur & Caucaſus eſſe Erythræus, ſiquidem dicit DIONYSIUS:

Καυκασίας κνημῖδας Ἐρυθραίων Ἀριηνῶν.

Caucaſii imum montis Erythraorum Arianûm.

ſed melius eſt ſcribere:

Καυκασίας κνημῖδας, Ἐρυθραίων τ' Ἀριηνῶν.

Caucaſii imum montis, Erythraûmque Arianûm.

Ita ut dicat, ſeſe minimè ſcrutaturum, neque exquiſiturum borealem illum Caucaſum, atque Arianam regionem, de

de qua poſtea. Ac vide, ut montium *κνημὰς*, *tibias*, pedes nimirum, *κνημῖδας* vocat diminutivè, aut potiùs denominativè, ſuâ quadam acrimoniâ. Sicuti etiam alicubi *τὸν πορθμὸν*, *fretum*, dicit *πορθμίδα*, *quaſi fretulum*; & mare Caſpium ſimiliter poſtea *Κασπίδα*, *Caſpidem.*

CII. DIONYSIUS *περίδρομον*, ſeu *περίτροχον*, *rotundam*, ſeu *orbiculatam*, undique ſinuoſam maris Caſpii figuram vocat, veluti circularem; idque mare commixtum ait cum Oceano. Hæc enim ejus verba:

nec mora, ad Arctos
Protractum. Oceano fluxus commiſcet aquarum.

Atque ita quidem DIONYSIUS: qui certè & oſtium aſſignare videtur, quo nimirum in id mare Oceanus emittitur, ut initio etiam hujus libri apparet. Verùm PTOLEMÆUS neque oſtium ejus tale novit, qui & id mare terreſtri in orbem itinere circumiri affirmat, neque orbiculatum

tum

tum id narrat; ſed ſimile ponit fundæ: qualem utique poſuit DIONYSIUS terræ habitabilis figuram. Bifariam igitur quum ita inter ſeſe docti viri diſſentiant, quæ de figurâ quidem hujus maris ab iis controvertuntur, talia ſunt fortaſſe, ut nullo modo inter ſeſe conciliari poſſint. At verò reliqua controverſia, ut in principio dictum eſt, conciliatis ſententiis, eſt penitus ſublata, quippe à veteribus, tanquam arbitris, præclarè ſapienterque compoſita. Si enim ex occultis ac cæcis fontibus Oceanus Caſpium ex ſeſe mare emittit, ſalva atque incolumis manſerit & PTOLEMÆI ſententia & DIONYSII, ut ſcriptum eſt ſuprà. Quatenus enim ex Oceano mare eſt Caſpium, vera eſt DIONYSII ſententia, veluti qui Oceanum dixerit in ipſum influere. Sin autem incerti ſunt fontes, neque oſtium ejus aut exitus apparet, vera quoque eſt ſententia PTOLEMÆI. Caſpium mare DIONYSIUS πόρον vocat *ἀμείλιχον*, *trajectum implacabilem atque immitem*; nec non mag-

magnum mare. Cur verò magnum? quia, ut ait,

non citiùs trajeceris illud,
Quàm ter Luna suos rediens decurrerit orbes.

Hoc est, ad menses tres, ex conversione nimirum circulari. Namque alioquin trajici nequaquam potest, quippe quum remigio utentibus in longum pateat navigatione dierum quindecim; in latum verò dierum octo, ubi est quidem quàm maximè latum, ut scribit HERODOTUS. Atque hinc observa, non esse ad amussim rotundum Caspium mare, ut fortasse *Periegeta* statuit; sed alterâ parte longius, ut PTOLEMÆUS testatur. Multa & alia admiranda Caspium mare apud mortales adauget; gignitque id etiam crystallos lapides, & jaspin ἠερόεσσαν, hoc est, ἀεροειδῆ, *caliginosam*, atque obscuram, eamque Empusis, aliisque spectris inimicam. Videtur enim hic lapis utilis esse malis averruncandis, spectrisque avertendisquo-

rum unum eſt Empuſa, dæmon de comitatu Hecates, qui ἑνὶ ποδὶ, *uno duntaxat pede*, pervadere ac pertranſire videatur, perinde ac ſi quis diceret, μονόπους, *unum pedem habens*, pedem nimirum animantis: quippe altero pede æreo, ſecundùm fabulam. Verùm infra jaſpin alteram commemorat, ὑδατόεσσαν, *aquoſam*. Dæmones autem quidam videntur plerique ad certa quædam materiarum genera perterreri, ut dictum eſt in Odyſſeâ.

CIII. Scythæ prope ſunt à mari Cronio, de quibus, quali vitæ ſint inſtituto, ſuprà jam ſcriptum eſt. Vocati dicuntur Scythæ, vel παρὰ τὰ σκύτη, *a pellibus*, quibus amicti ſunt: vel παρὰ τὸ σκύζεσθαι, nimirum ὀργίζεσθαι, *ab iraſcendo*: ſunt enim iracundi, vel à Scythâ, Herculis filio, ſicuti etiam alibi ſcriptum eſt. Erant autem Scythæ & gens Thracia, qui Nomæi etiam appellati. Οὖννοι, *Unni*, ſeu Θοῦννοι, *Thunni*, cum litterâ θ, populi ſunt Caſpii de genere Scythico. Quanquam maximè adhæ-

adhærendum sit iis, qui scribunt Οὖννοι, *Unni*, sine τῷ θ'. Itaque in Simocati Historiâ orbis terrarum fertur, Οὔννους, *Unnos*, populos boreales ad orientem. quos Persæ Turcos vocant, tantam olim vim auri habuisse, ut & lectos aureos & mensas, & solia, & suggestus, opere ductili fabricarent, quum à Medis, specie atque obtentu quietis, quadraginta staterum aureorum millia exigerent. Postea tamen hos istos Unnos tradunt tributum Babyloniis pependisse. Neque verò Simocatus modò; sed etiam multi fide digni Unnos gentem Scythicam percelebrem commemorant. Quemadmodum hi isti. Unni Scythæ sunt; sic etiam qui post eos sunt Caspii, gens valde memorabilis: à quibus mare etiam vocatur Caspium, ut ab Hyrcaniis Hyrcanium: apud quos etiam testatur historia, mel e foliis defluere, & vitem multum fructum ferre. Quin etiam ficus usque eò fructibus locupletari atque ditescere dicitur, ut ficus nonnullæ fructum ad medimnos usque sexaginta

xaginta multiplicent. Ibi quoque Albani populi, pastoritii; & non multùm illi quidem, sed tamen satis bellicosi, medii inter Iberes & mare Caspium: quorum Cyclopea esse fertur vivendi ratio, hoc est, beata minimèque omnium laboriosa: quibus terra ipsa, multis in locis, factâ semel sementi, deinceps iterum atque tertiò fructum ex sese, citra sationem, profert. Moribus autem sunt simplicibus, neque leges sciunt, neque numerare ultra centenarium numerum noverunt. Linguæ iis, Geographo teste, sex & viginti. Illic autem & Cadusii, ex Dionysio, quorum aspera est regio, homines ad incedendum per saxa periti atque exercitati, optimique jaculatores, ut Geographus tradit, & tales, qui in aspretis ipsi pedites vice equitum prœlientur. His proximi Mardi & Hyrcanii, & Apyri, quos Tapyros vocat Geographus, præfixâ litterâ τ' qui, post duos aut tres liberos ex uxore susceptos, uxores in reliquum suas aliis elocant. Mardus amnis, & Dercebio-

cebiorum & divitum Bactrorum potus est, influens ille in mare Hyrcanium, qui & medius inter utrasque has gentes devolvitur. Parnassi, montis Bactrii, meminit hîc DIONYSIUS. Et quærendum, utrùm ita scribendum sit, idem ut sit hujus nomen, atque Parnassi Europæi, an verò nominandus hic Parpamissus. Sic enim pleraque habent exemplaria. Sed Parpamessi montis meminit alicubi postea *Periegeta*.

CIV. Trans Araxem ad Orientem Massagetæ, sagittarii peritissimi, maximèque inhospitales, gens magna ac robusta: apud quos periit Cyrus, regnum tenente Temyride. Horum feritatem ita delineat, atque describit, ut dicat, non iis pro cibo in usu esse mellitum frumentum, neque verò vinum *μεταδήμιον*, nimirum *ἐνδήμιον*, *vernaculum*, seu *domesticum*; sed equinum eos sanguinem cum lacte albo miscere, itàque victitare. Quare etiam illud optat ex animo, ac precatur DIONYSIUS, ut & paullò ante clariùs dictum est, ut neque ipse-

neque ipſemet, neque alter quiſquam ſodalium ſuorum ad eos appropinquet. Multò enim, inquit, ſunt aliis inhoſpitaliores. Ac vide, ut, quum alii *οἶνον* dicant *μελίφρονα*, *vinum mellitum*, hic Poëta *μελίφρονα*, *mellitum*, vocat panem e frumento. Atque etiam obſerva, hunc Poëtam pro longâ accepiſſe antepenultimam τῦ *κακοξεινότερος*, *inhoſpitalior*, ut & Poëta in Odyſſeâ, ubi etiam dicta, quæ dicenda eſſe videbantur. Sciendum autem eſt, potuiſſe quidem per figuram Dionysium vitioſam metri rationem evitare, ſi nempe, quemadmodum ſuprà, ex *αἰδοῖος*, *venerabilis*, Ionicè fecit τὸ *αἰδοιέστερος*, *venerabilior*; ſic & hoc loci ex *κακόξεινος*, *inhoſpitalis*, figuratè dixiſſet τὸ *κακοξεινέστερος*, *inhoſpitalior*; ſed tamen videri eum maluiſſe cum Homerico metro claudicare, quàm aliter rectum verſum, minimèque lubricum proferre. Ceterùm narrant, pulcherrimum apud Maſſagetas mortis genus eſſe, cum ſenio confecti, unà cum ovillis carnibus concidun-

tur,

tur, ſimulque cum iis comeduntur. Induunt phocarum pelles, & ſolem dominum inſcribunt, equumque ei immolant, tanquam velociſſimo, quod aiunt, mortalium omnium velociſſimum. Magna iis vis auri atque æris: at nullus omnino ferri uſus, quia nec ferrum habent. Araxes porrò vocatur fluvius is, quem diximus, tanquam ἀπαράξας, *abſcindens atque abrumpens*, montium ibi cohærentiam, & per eos montes elapſus. Sicuti etiam Peneus, qui nunc Salabrias vocatur, Oſſam ab Olympo ἀπέῤῥηξεν, *abſcidit atque abrupit*. Quare etiam, ex Geographi hiſtoriâ, ipſe quoque Peneus vocatus eſt olim Araxes, veluti & ipſe ἀπαράξας, *abſcindens, atque abrumpens*, ab Oſſâ Olympum; cum Tempe illa Theſſalica terræ motu diſrupta, diſceſſerunt. Maſſagetici autem hujus Araxis meminit quoque Æſchylus, cui etiam placet, ut is vocetur ἀπὸ τοῦ ἀράσσειν, *ab abſcindendo*. Ceterùm Herodotus majorem eum eſſe dicit Iſtro, atque ex Matianis fluere, in-

 ſulaſ-

fulasque magnas frequentes habere; & ostiis eum quadraginta in paludes atque lacunas exire; uno verò in Caspium mare influere.

C V. Oxus fluvius, quem & Sacrum Poëta hic vocat, ex Emodo monte per Sogdiadem regionem devolutus, in Caspidem labitur. Ac vide τὸ Κασπίδα, *Caspidem*, dictum idquoque denominativè, pro consuetudine DIONYSII. Mons porrò Indiæ, Ἠμωδὸς, *Emodus*, ad Liberi patris Columnas: quem quidem montem nonnulli proparoxytonè Ἤμωδον, *Emodum*, dicunt, pariter atque Ἴμαον, *Imaum*, quæ pars est Tauri. Verùm infra DIONYSIUS eundem ipsum montem multitudinis numero vocat Ἠμωδὰ ὄρη, *Emodos montes*. Regio quæ dicta Σουγδιὰς, *Sugdias*, dicitur etiam Συγδιανὴ, *Sugdiana*: ubi in historiis tradunt, petram fuisse inexpugnabilem, quam Alexander cepit multâ contentione atque industriâ Macedonum, quos, cum a principio ad expugnationem aggressi sunt, barbari cum risu alatis militibus assimi-

assimilarunt. Sciendum autem est, in his fermè circa Oxum locis, ut est in historiâ, castra habente Alexandro, non longè ab ejus tabernaculo, fontem aquæ repertum fuisse, aliumque fontem ei proximum, olei; Aristandrumque vatem dixisse, fontem illum quidem olei, indicium esse laborum, siquidem oleo unguntur athletæ; sed & victoriam post labores significare. Post Oxum Jaxartes fluvius, ubi Sacæ, gestantes arcus, quos arcùs nemo alter quisquam sagittarius ἐλέγχοι, *improbaverit*, seu *reprehenderit*. Non enim iis fas est ἀνεμώλια βάλλειν, *in cassum jacere*. Id autem per parœdiam expressum est ex HOMERICO illo, ἀνεμώλια βάζειν, *in cassum loqui*. Quin & τὸ ἐλέγχοι, *reprehenderit, atque improbaverit*, sumpsit DIONYSIUS ex HOMERO, cujus est illud: μὴ σύ γε μῦθον ἐλέγξῃς, *ne tu quidem certè sermonem improbes*, nimirum otiosum atque irritum facias. Hos verò ipsos populos, id est, Sacas, quidam aiunt inventores fuisse σακέων, *scutorum*, quæ fuerint ab

iis denominata. Sed & hiſtoriæ mandatum eſt, Sacas magnâ olim potentiâ fuiſſe, &, quod regionum illarum optimum ac præſtantiſſimum erat, uſque ad Euxinum in poteſtatem ſuam redegiſſe; & ab iis partem quandam Armeniæ, Sacaënen appellatam fuiſſe: ſed uſque ad internecionem deletos eos à Perſis aiunt, dum feſtum ex ſpoliis, ludoſque panegyricos agerent. Verùm alii id ita commemorant, ut Sacæ, ſuperato Cyro, deinde, illo reverſo per ludificationem ſuperati, propter ebrietatem perierint; eâque de cauſſâ feſtum ſacrum Perſicum, Sacæa deſignata atque conſtituta fuerint; Cyrus denique diem, quo illos ſuperaverat, Deo patrio conſecratum, Sacæum appellaverit. HERODOTUS autem ſcribit, Scythas univerſos vocatos à Perſis Sacas.

CVI. Φροῦροι, *Phruri*, gens Scythica, voce barytonâ, ad diſtinctionem τῦ φρουροὶ, quod accentu quidem acuto, ſignificat cuſtodes, ſeu præſidiarios. Quidam tamen ſcribunt Φρῦνοι, *Phryni*, eodem

eodem nomine, quo vocatur animal. Namque φρῦνοι, i. e. *rubeta*, ut Philon quoque scribit, ranæ. At verò τὸ Τόχαροι, *Tochari* (gens & ipsa similis) quidam acuunt, qui tria ejus gentis genera esse affirmant. Seres, gens barbara Scythica, à quibus telæ sericæ appellatæ. Hi boves quidem, ut ait, pinguesque oves aspernantur; sed, variis desertæ incultæque terræ floribus depexis, vestes vario artificio pretiosas concinnant, colore sanè floribus pratensis herbæ consimiles, adeo denique tenues, ut ne opus quidem aranearum cum illis certaverit. Porrò autem aiunt, byssum ex herbâ colligi. Itaque observa, Seres textilia ex floribus facere. Quare neque prata sinunt depasci. Seres porrò homines esse insociabiles, atque à mutuâ vitæ consuetudine alienos, inde manifestum, quòd, rerum veno positarum æstimatione saccis inscriptâ, sese inde subducunt. Tum accedentes mercatores, pretio deposito, retrocedunt. Veniunt postea Seres; &, siquidem acquiescunt,

cunt, pretium; sin autem minùs, sua capiunt. Aiunt autem, Seres vitâ esse maximè diuturnâ, quippe qui vivendi spatium ultra annos ducentos protrahant. Verùm observa, similiter atque de Seribus narrant, fieri etiam extra Herculis Columnas. Mercatores namque Carthagine eò profecti, mercibus extractis atque expositis, ut HERODOTUS ait, succenso igne, fumum excitant. Atque ii quidem à littore in altum subvehuntur; indigenæ verò, propiùs accedentes, dispiciunt merces, auroque deposito, recedunt. Tum Carthaginienses, e navibus egressi, justum pretium expendunt, citraque usum colloquii, inter sese negotiantur, exæquatoque cum rebus venditis pretio, discedunt. Itaque historiis proditum est, tum hos, tum Seres justos, atque æquos in rebus contrahendis fuisse.

CVII. Scytharum regio ventis malè obnoxia atque infesta, porrecta longiùs est, hibernis ventis atque grandinibus relicta, ut & suprà scriptum est. Hîc

Hîc autem per paraphrasin explicat, atque interpretatur superius illud : *λείπουσι δὲ γαῖαν ἀήταις Χειμερίοις*, *terramque relinquunt flatibus hibernis*, quatenus hîc quidem dicit : *χθὼν Χειμερίοις ἀνέμοισι λελειμμένη*, *terra relicta flatibus hibernis.* Occidenti Colchis & Phaside propiores, ad Euxini labrum, turmatim positi sunt Byzeres, à quibus etiam portus Byzericus ; & Bechires, gens Pontica & Scythica : nec non Macrones, & Mosynœci, & Tibareni, & Chalybes, de quibus paullò post. Ἡ Χαλκὶς ἄρουρα, *Chalcis tellus*, sita est ad ostium Ponti Thracium, regio nimirum Chalcedoniorum, cujus Chalcidis nomen gentile, *οἱ Χαλκιδεῖς*, *Chalcidees*, seu *Chalcidenses.* Sic igitur idem ipse infrà :

> *Chalcidees, qui prima tenent circa ostia Ponti,*
> *Littore in adverso Byzantia mœnia spectant.*

Hos oraculum cæcos vocavit, propterea quòd Megarenses, ii, qui Chalci-

dem ædificarunt, quum eò primùm navigassent, & Byzantinam regionem occupare neglexissent, regionem sitam illi ex adverso, steriliorem atque macilentiorem, elegerant. Itaque Megabyzus, quum Chalcedonios, ut est apud HERODOTUM, septem & decem antè annis, quàm Byzantios, oppidum in eâ regione ædificasse didicisset, hoc ipso tempore cæcos eos fuisse affirmavit. Non enim, si lucis hujus usum habuissent, præ meliori pulchriorique loco, qui præsens adesset, ultroque in oculos incurreret, turpiorem illum atque deformiorem elegissent. Est autem & in Eubœa, ut supra dictum est, Chalcis, quæ Eubœa priùs vocabatur. Unde & Chalcidica pocula apud Comicum. Quin & Chalcidenses ii, qui sunt in pago Siciliæ, colonia sunt horum Chalcidensium Euboicorum. Proditum autem est, in Chalcide hac Euboicâ metalla esse ferraria atque æraria, optimosque ibi esse fabros ferrarios; neque modò ibi primùm officinas ærarias visas fuisse; sed

etiam

etiam primos ibi Curetes cum Jove arma ærea induisse. Sunt & aliæ, ut suprà scriptum est, Chalcides: quarum una etiam Ætolica, e qua DIONYSIUS fluere dicit Acheloum. Macrones, gens Pontica, eaque magis ad austrum, quàm Bechires. Hos nunc, Sannos vocamus; vulgariùs verò, Tzanos: sicuti etiam Celsenam, Celtzenam. Quin & regionem ipsam Sannorum ii, qui loquuntur cum vulgo, Tzanitcam vocant. Mosynœcos per periphrasin, aut ab etymologia, explicat DIONYSIUS, dum habere eos dicit *μόσυνας δουρατέυς*, nempe *ξυλίνυς*, *turres ligneas*. Hi verò de carnibus ferinis, ac nucibus victitant. Scribit etiam Geographus, eos ἀπὸ μοσύνων, hoc est, *πύργων*, *à turribus*, nominari. Verùm XENOPHON delphinorum adipe uti Mosynœcos commemorat, ut Græci oleo; eosque ipsos vim magnam latiorum nucum habere, quæ *διαφυὴν*, nimirum *σχισμὴν*, *scissuram*, seu *fissuram*, nullam prorsus habeant: & pueros iis esse ait saginatos, qui elixis nucibus

alantur, eosque teneros atque admodum candidos, in quibus non multum absit, quin longitudine pari sint atque latitudine. Et vinum inveniri apud eos affirmat, quod si meracum bibitur, acidum est præ austeritate; si verò dilutum, tum bene odoratum, tum suave. Colore porrò candido universos esse ait viros & mulieres; maximè verò omnium esse ibi homines barbaros, quippe qui in propatulo coramque multitudine ea facerent, quæ alii in solitudine, quique, cum soli ambulabant, eadem factitarent, quæ alii pariter simul inter sese ambulantes. Etenim, inquit, & ridebant, & secum ipsi sermocinabantur, & tripudiabant, subinde restitantes, quocunque locorum sors eos detulisset. Tibareni, quos nos Tibranos vocamus, *πολύῤῥηνες* sunt, hoc est, *πολυπρόβατοι*, *πολυθρέμμονες*, *abundantes agnis, hoc est, divites ovium, valde pecorosi.* Incolunt autem, ut & Chaldæi, usque ad Armeniam minorem, ut & Geographus testatur. Postea sunt Chalybes, duram ii qui-

quidem immitemque regionem incolentes, iidemque laboriosi ferri fabricam edocti: qui ad incudes, ut ait, graviter sonoras stantes, à labore nunquam cessant. Hos Chalybes, alii Chalbios vocarunt (gens autem est Pontica apud Thermodontem): à quibus ferrum, ut aiunt, educitur, quod ab acie laudatur, nimirum à temperaturâ aciei. Unde etiam *Χαλυβικὸς κνώδων*, *Chalybicus mucro*, &c, pleonasmo τῦ δ', Χαλυβδικὸς, *Chalybdicus*, apud LYCOPHRONEM, ex ferro nimirum optimo atque præstantissimo. ARRIANUS verò sic ait: Chalybes eo nomine in crimen vocantur, quòd mortalium primi ferrum cuderint. Atque hujus etiam generis ferrum ÆSCHYLUS extollit. XENOPHON porrò, & paucos eos esse scribit, & Mosynœcis dicto audientes, eosque vulgò, maximam partem, vitam ex fabricâ ferrariâ suam sustentare. Alii tamen eosdem hos putant esse, qui apud Poëtam Ἀλίζωνοι, *Halizoni*, aut Ἀλιζῶνες, *Halizones*: quibus Odius & Epistrophus imperitarunt: quo-

quorum etiam maritima regio metalla habet multa, ut & HOMERO videtur, ubi eos Alybes esse indicat, illis verbis: Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, *Ex Alybe longè patriâ*, aut, Τηλόθεν ἐξ Ἀλύβων, *Ex Alybum longè patriâ*: ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη, *argenti unde metalla*, aut commutatâ postea in HOMERO scripturâ ex Χαλύβης, *Chalybes*, quòd olim legebatur, in Ἀλύβης, *Alybes*; aut contrà, qui priùs in HOMERO Ἄλυβες, *Alybes*, dicebantur, iis postea mutatis in Χάλυβας, *Chalybes*. Quemadmodum rursus hi isti Chalybes ex hac ipsâ appellatione, ut aiunt, mutati sunt in Chaldæos, per corruptionem quandam, aut adulterationem vocis: à quibus etiam locus, Chaldia vocabatur. Regio autem Armeniæ, Chaldia, quò usque regnum Ponticum. Qui verò illic populi, consuetudo jam obtinet, ut Chaldi ii duabus syllabis, non Chaldæi, nominentur. Chaldæi enim, tribus syllabis, iidem, qui olim Cephenes; sed à Perseo Persæ, à Chaldæo Chaldæi sunt appellati: quem Chaldæum narrant

rant τέταρτον ἐπὶ δέκα, *quartum supra decimum*, nimirum τεσσαρεσκαιδέκατον, *quartumdecimum*, regem post Ninum fuisse, & Babylonem ædificasse, & quos eò congregaverat atque coëgerat, Chaldæos à sese nuncupasse. Attamen & Chaldi, ii, qui in Chalcide, dicti à quibusdam Chaldæi, tribus syllabis, quod testatum reliquit Dicæarchus. Sciendum autem est, qui ἐξ Ἀλύβης, *ex Alybe*, aut ἐξ Ἀλύβων, *ex Alybibus*, mutatam fuisse scripturam censent in Χάλυβας, *Chalybes*, aut contrà ἀπὸ Χαλύβης, *ex Chalybe*, mutatam in Ἀλύβην, *Alyben*, eos alia quoque nomina adjicere, quæ pro appellationis variatione mutationem acceperint. Sic enim, exempli caussâ, aiunt, Sinties illos Thraces apud HOMERUM vocatos postea fuisse Sintos, deinde apud ARCHILOCHUM Saios, & rursus Sapas. Ceterùm, quemadmodum talia hæc nomina gentilia variè perversa atque adulterata sunt; sic etiam nomen gentile τῶν Φρυγῶν, *Phrygum*. Iidem nam-

namque, Βρύγοι, *Brygi*, & Βρύγες, *Bryges*, & Φρύγες, *Phryges*, sunt appellati.

CVIII. Post Chalybes tractus extentus est Assyriæ regionis: ubi Thermodon, amnis, secundum quosdam Scythicus, ex Armenio monte fluens, albam Amazonibus aquam immittit: propter quas Amazones ipse etiam Thermodon Ἐνυάλιος, *Mavortius*, dicitur, non quia ipse talis; sed quia bellicosæ Amazones, quæ ex eo bibunt, de quibus tum suprà dictum est, tum etiam postea dicetur. Porrò autem de hoc eodem Thermodonte narrat, ut Asopidem illam Sinopen vagam atque errabundam exceperit, Asopi nimirum filiam, adamatam ab Jove. Illa enim quum oberraret, de sententiâ ac voluntate Jovis, non certè quidem volens, neque lubens, ibi ad habitandum permansit: a qua etiam urbs clarissima, cognominis ejus, Sinope, quæ dicta quoque Chersonesus Sinopica, ædificata, ut quidam volunt, à Critiâ, homine Coo: cujus, DIODORO teste, colonia est Trapezus, urbs

urbs Græca, juxta Colchorum regionem sita. Idem verò DIODORUS Sinopen, Milesiorum coloniam dicit, maximâ urbem dignitate atque auctoritate: qua in urbe regia erat Mithridatis, ejus, qui bellum gessit cum Romanis. Xenophon quoque, quum & ipse Sinopenses in Paphlagonicâ habitare, & Milesiorum coloniam esse commemoret, scribit, Cotyoritas, & Cerasuntios & Trapezuntios tributum Sinopensibus pependisse: ubi etiam tradit, Cerasuntem, urbem Græcam ad mare, coloniam esse Sinopensium in Colchide. HERODOTUS verò narrat, Cimmerios, quum à Scythis in Asiam fugerent, oppidum in Chersoneso condidisse, ubi nunc Sinope, urbs Græca, incolitur. At verò Geographus scribit, Sinopitin regionem & acerem habere, & nucem montanam producere, ex quibus tabulæ ad mensas secantur. Ferunt autem de Sinope, filiâ, quam diximus, Asopi, & Iovi eam & Apollini imposuisse, quum virginitatem ipsa pro mercede sibi coitûs promissâ

petiis-

petiisset, itaque amatores illos suos dexterrimè circumvenisset. Ii enim adamatæ puellæ virginitatem polliciti, sese ipsi prorsus ab ejus connubio atque consuetudine excluserunt. Si enim darent, nunquam cum eâ consuescerent: sin autem cum eâ consuescerent, fidem fallerent. Aut etiam aliter, neque, si virginitatem darent, cum eâ consuescerent, quo enim id unquam pacto, si virginem eam esse oportet? neque rursus, si virginitate eam spoliarent, possent cum eâ unquam consuescere, non enim mercedem darent. Sciendum autem est, Syriam apud DIONYSIUM, eam vocari, quæ est ad Libanum & Casium montem, locaque illis montibus superiora usque ad Sinopen; Assyriam verò per α, reliquam ipsam esse Sinopensem regionem, ut postea videbitur. HERODOTUS porrò ipse quoque agnoscit Syriam hanc DIONYSII. Sed & Syrios ait loca Arabum maritima incolere. Quin & Palæstinos quosdam Syros commemorat, & Syriam Palæstinam. Ac præte-

præterea gentes quaſdam Euxino adjacentes ſic nominat: ubi etiam, Syrios eſſe affirmat, qui Thermodontem fluvium, eundemque Parthenium appellatum, accolunt, horumque finitimos eſſe Macrones. Verùm Geographus Aſſyrios intelligit Babylonios, populoſque circumcirca adjacentes, ubi Ninus urbs & Niſibis: ubi etiam pars Meſopotamiæ ad orientem ſita, quæ regio dicta eſt Adiabene, eaque ſic vocata διὰ τὸ δυσδιάβατον τῶν ἐκεῖσε ὑδάτων, *propterea quòd aquæ ibi parùm ſunt vadoſæ, a tranſitu earum difficili*: Syros verò propriè ſine ἀ, eos, qui ſunt circa Ciliciam, & Ægyptum, & Phœnicem, itemque eos, qui circa Euxinum: in quibus etiam adnumeratos novimus Sinopenſes. Porrigebatur enim, inquit, antiquitus Syrorum nomen à Babyloniâ uſque ad Iſſicum ſinum, indeque uſque ad Euxinum. Itaque Cappadoces utrique, tum qui ad Taurum, tum qui ad Pontum, Leucoſyri, ut ait, vocantur, *id eſt*, *Alboſyri*: quippe quia ſunt etiam aliqui colore aduſtiore atque

 nigri-

nigricante. Itaque etiam vult HERODOTUS, ubi Syros à Persis vocatos ait Cappadocas, & rursus: Cappadocæ, inquit, quos nos Syrios vocamus. ARRIANUS autem Assyrios nominat eos, qui sunt in Mesopotamiâ, quo loci Assyrios dicit, qui sunt ad Euphratem flumen, usque ad Ninum & Babylonem, contra quos Amazones, Eurypiles ipsarum reginæ ductu, arma tulerunt. Quin & Cappadocas ipsos sic aliquando appellatos tradit, ubi Cappadocem memorat filium Nyniæ, sub quo Assyrii, mutato nomine, Cappadocæ sunt nominati. At verò OPPIANUS Assyrios eos vocat, qui Tigrin accolunt, quos & multas habere uxores commemorat. Alios autem à Syris esse Assyrios, ostendit XENOPHON in Hellenicis. Sed HERODOTUS videtur eosdem prorsus existimare, quo loci affirmat, Assyrios à Græcis quidem Syrios vocatos; sed à Barbaris Assyrios; ita ut Syrus & Syrius, Græca sint vocabula; barbarum verò, Assyrius. Atque id etiam ferè vult

vult is, qui Sidonium mare, quod nimirum eſt ad Syriam Phœnicicam, mare Aſſyriorum nominat. Plutarchus verò, ſimiliter & ipſe atque Geographus, in Parallelo quodam ſuo de rebus Mithridatis, ſatis diſertè indicat, Sinopenſes poſſe Syros appellari. Scribit enim, Syrios Sinopen poſſediſſe, ortos à Syro, filio, ut fertur, Apollinis, & Sinopes, quæ filia fuit Aſopi. Sciendum autem eſt, ex veteribus apud Eratoſthenem ſcriptoribus, Aſſyrios, ut ſuprà quoque notatum eſt, dictos Ἀσσυρας, *Aſſyres*, a recto ὁ Ἀσσυρ, *Aſſyr*, itemque ſciendum, πρόχωσιν, *alluvionem*, propriè à veteribus vocatam, quam πρόχωσιν dicimus, ſeu πρόχωσιν, *terræ limique aggeſtionem*, ſeu *aggerationem* : ubi nimirum fluvius attractum atque importatum limum deponit, ſicuti etiam Nilus in Ægypto. Iidemque etiam aiunt, locum illum Aſſyriæ Sinopææ, eſſe hanc iſtam πρόχωσιν, *aggerationem*, Halyis, regionemque illam ejus eſſe donum, ut Ægyptum Nili.

Itaque compluria alia loca campeſtria, ARRIANI teſtimonio, opera ſunt fluminum, ut campus Hermi, Lydiuſque campus Cayſtri, & Caricus Mæandri. Quin & Ganges, aggeſto limo, campum inde quendam in Indiâ effecit: ita ut propriè loquatur DIONYSIUS, cum poſt Chalybes extentam eſſe ait Aſſyriæ telluris *πρόχυσιν*, *aggeſtionem*, hoc eſt, terræ ibi ex Halye *πρόχωσιν*, *aggerationem*.

CIX. Frigidis in ripis Thermodontis lapidem purum cryſtalli, ut hibernam glaciem, ſecueris. Inveneris ibi etiam aquoſam jaſpin, alteram fortaſſe ab eâ, quam paullò ante *ἠερόεσσαν*, *aëriam*, ſeu *caliginoſam*, commemoraverat. Ac vide, lapidis genus eſſe cryſtallum, qui, ut marmor, à metallicis effoditur atque elaboratur. Frigidas autem Thermodontis ripas vocat, eo quia, ut veteres aiunt, vel æſtivo tempore concreſcit, atque conglaciat, quum poſitus ipſe locorum formam hujuſcemodi educat. Quare etiam hunc ipſum Thermodon-

modontem ferunt Cryſtallum olim fuiſſe appellatum. Deinde poſt Thermodontem Iris fluvius puras in mare aquas immittit. Hoc de fluvio ita Arrianus: Hæmus, rex Scytharum, cujus filius, Eridius: à quo Ponticus ille amnis Eridius vocatus, mutato poſtea in melius atque auſpicatius nomine, dictus eſt Iris. At verò Geographus ſcribit, Thermodontem à multis fluminibus impleri, cui compar atque æqualis Iris à Phanarœâ fluit. Fluit autem, inquit, etiam per Amaſeam Iris, aſſumptis tum Scylace, tum aliis amnibus, atque etiam Lyco, qui fluit ex Armeniâ. Poſt Irin murmurant aquæ Halyis amnis, tractæ illæ quidem ſeptentriones verſus, ab Armeniis montibus, prope à Carambide, promontorio Paphlagonico, de quo Dionysius etiam alibi. Cenſetur Halys nomen habere à loco, qui eſt juxta Ximenen, ubi ἅλες, *ſales*, foſſiles inveniuntur. Et, ſi hoc verum, conſiderandum, an non ſpiritu aſpero affici

 debeat

debeat ὁ Ἅλυς, *Halys*, tanquam ἀπὸ τῶν τοιούτων ἁλῶν, *ab hisce istis salibus*. Attamen, qui vocem hanc tenuant, ejus etymon arcessunt παρὰ τὴν ἄλην, hoc est, τὴν πλάνην, *ab erratione, sive vagatione*, quippe quum hic amnis per magnum terrarum tractum oberret ac pervagetur. Geographus autem fluere eum dicit inter Paphlagones & Syros, seu Cappadoces. Verùm HERODOTUS Halyn testatur imperium olim Mediæ & Lydiæ divisisse, fluereque eum ex Armenio monte per Ciliciam, ita ut Matianos à dextrâ, ab alterâ parte, Phryges præterlabatur; itaque boream versus fluat; indeque Syrios Cappadoces; à sinistrâ verò, Paphlagones dimittat. Ad hæc narrat, Thaletem Milesium Halyn olim Crœso, ad faciliorem ejus transitum, profundâ fossâ discidisse.

C X. Post ea flumina, quæ diximus, incolunt Paphlagones maritimi, sic à Paphlagone, Phinei filio, nominati; itemque Mariandyni, ubi Heraclea Pontica, denominata illa quidem ab Heracle,

cle, sive Hercule, sed à Milesiis, secundùm Geographum, ædificata. XENOPHON tamen affirmat, Heracleam hanc Ponticam, coloniam esse Megarensium. Hîc per campos fluit amnis, Lycus nomine, jugerum duûm latitudine. Mariandyni verò sic vocantur à Mariandyno quodam, homine Æolensi, qui sic vocabatur. Ac gentile quidem nomen *Μαριάνδυνος*, *Mariandynus*, dicitur voce proparoxytonâ, secundùm Æolenses, ut scriptor Ethnicorum ait. Verumtamen usus communis id acuit, ad formam nominum gentilium in *νός*, tametsi non habeat id in penultimâ τὸ ῆ, ut similia nomina gentilia, eo quia sequitur scripturam nominis proprii Æolici, quod est ei cognomine. Porrò autem in Mariandynorum solo nascitur aconitum, herba venenata ac mortifera, quo de aconito narrat fabula. Cerberum, canem illum inferorum æneâ voce, ex inferis à magnanimo Hercule extractum, rabieque percitum, exitiosum ibi ex ore salivosum *χυμὸν*, seu *χυλὸν*, *succum*,

ejeciſſe : quo terra excepto, peſtem ibi atque perniciem, aconitum produxerit. Eſt autem nomen hujus veneni, quicum minimè omnium licet κονίσασθαι, *in pulvere volutari, h. e. certare*, ac veluti luctari, manuſque, obſiſtendi cauſſâ, conſerere. Idcirco enim aconitum dicitur, veluti ἀκαταπάλαιστον, *in luctâ inſuperabile*. Verùm ex illo σιαλώδεα, *ſalivoſum*, obſerva, non modò σίελον, *ſalivam*, dici per έ, ſed etiam σίαλον, per ά· Sicuti etiam ὕελος, & ὕαλος, *vitrum*. Hac autem de re ita DIODORUS : Heraclea, Megarenſium colonia, circa quam Cherſoneſus Acheruſia: ubi Herculem aiunt Cerberum ex inferis eduxiſſe. ARRIANUS verò de his ita ſcribit: Ultra Sangarium finitimi Paphlagonum Mariandyni : ubi urbs Heraclea condita eſt, quo quidem loci Cimmerii, aconito herbâ comeſâ, calamitatem hauſerunt. Erat enim iis mos patrius, herbis veſci. At verò aconitum fuiſſe olim quidem dicitur innocuum : ſed malum poſtea venenum evaſiſſe, propter virus

virus illud exitiale, quod ab iis viperis diſtillans, quæ e Cerberi capite enatæ ſunt, herbam illam infecit. Ac fortaſſe deriſor quis hujus fabulæ facetus & urbanus, tum ad laborem hunc Herculis, tum etiam ad fabulam ipſam deprimendam, dixerit, nihil hîc boni ac præclari Herculem confeciſſe. Non enim tanto mortalibus damno Cerberum fuiſſe, dum apud inferos maneret, quanto ſanè fuit, cum ad ſuperos evaſit. Tunc enim obſervabat demortuos, quos non licet iterum mori: at, poſteaquam ſurſum apparuit, atque aconitum patefecit, magnum vivis malum factum fuiſſe. Porrò autem in hoc ipſo ſermonis genere quædam etiam veluti tacita ineſt cavillatio in Ponticos illos Heracleotas. Si enim ferax illa Silphii Cyrene propter Silphium laudanda, herbam bonam ac perutilem; vituperandi e contrario ſunt homines, apud quos res naſcitur exitialis atque mortifera. Siquidem & animus, qui nihil mali ac nocumenti facit, tamen regionem reprehendendam fa-

 cit,

cit, quæ animo nocet vitamque corrumpit ac perdit. Cerberum autem signatè vocat χαλκεόφωνον, *æreâ voce præditum*, eo quia vox canum acuta assimilis est sono æris resonantis. Sciendum autem est, apud Mariandynos patrio ex instituto in usu tibicines fuisse lugubria concinentes, ut clarè docet adagium, in quo mentio fit Mariandyni lugubria in exequiis præcinentis. Quin & Cares lugubribus carminibus dediti, à quibus & Carica, lamentabilia ad tibiam carmina. Tales quoque Phryges: nec non Mysi. Unde etiam illud ÆSCHYLI: βόα τὸ Μύσιον, *Clama Mysium*. Luge nimirum carmen Mysium. Fertur autem in fabulis Mariandynus Tityi filius, qui flebilem tibiarum cantum auxit, Marsumque Auletis patrem docuit, ex quo etiam Μαριανδυνοὶ αὐλοὶ, *tibiæ Mariandynæ*, lugentibus atque lamentantibus accommodatæ. Hic in venatione periisse dicitur, eumque Mariandyni, summo æstatis incremento, cum maximi sunt calo-

calores, flebilibus carminibus prosequi consuevisse.

CXI. Post Mariandynos pinguis illa atque opima Bithynorum regio, ubi Rhebas amabile porrò fluentum agit, factâ sibi viâ παρὰ τοῖς τοῦ Πόντου στόμασιν, *apud ora*, seu *ostia Ponti*, nimirum ἐγγὺς τοῦ Ποντικοῦ στόματος, *prope os*, seu *ostium Ponticum*. Et sic supra τὸ στόμα, *os*, Cerberi, multitudinis numero dicit στόματα, *ora*, cujus quidem fluvii pulcherrima, ut ait, per terram aqua devolvitur, quem etiam fluvium per repetitionem iterum iterumque nominat, perinde quasi sit & ipse valde commemorandus. Fluere autem eum aiunt ex Olympo Mysiæ, sicuti etiam Sangarium: qui utique Sangarius & navigabilis est, & maximus fluviorum Bithyniæ, seseque exonerat in Euxinum. Bithynos porro narrant rei olim nauticæ peritissimos fuisse, eorumque regionem tum rerum omnium feracem esse aiunt, tum arboribus bene consitam, & lapicidinas habere, & crystallos in montibus gigne-

re,

re, aliorumque multorum bonorum genere abundare. Verùm HERODOTUS tradit, Thraces, posteaquam in Asiam trajecerunt, Bithynos esse appellatos, esseque apud eos oraculum Martis. Ferunt etiam, Bithynos eam olim regionem occupasse, quæ est à Bosporo usque ad Rhebantem; quæ verò est ultra eum fluvium montana ad Pontum, eam Thynos, usque ad Caletem amnem, tenuisse: ita ut inter sese finitimi sint, Thynique & Bithyni, sic appellati à Thyno & Bithyno fratribus, viris claris atque illustribus, Phinei filiis, *κατὰ ποίησιν*, *per adoptionem*, nimirum *ποιητοῖς*, *adoptivis*, atque adscitis, ut ait ARRIANUS; qui quidem ARRIANUS tum filium naturalem Phinei Paphlagonem memorat, ex quo Paphlagonia regio; tum Rhebantiam regionem vocat, quæ est ad Psillium amnem, tum artificem quendam apud Bithynos commemorat, Dædalum nomine, cujus opus Nicomediæ fuisse ait, simulacrum admirabile Jovis Stratii. Additque idem ARRIANUS,

alios

alios velle, Thynum & Bithynum, quorum cognominis regio, Odrysi filios fuisse. Quod autem apud ARRIANUM regio dicta est Ῥηβαντία, *Rhebantia*, observa, id occasionem præbere perspicuè intelligendi, τὸ Ῥήβας, *Rhebas*, impari syllabarum numero inflecti, similiter atque τὸ Αἴας, Αἴαντος, *Aias*, *Aiantis*. Nam gentile quidem τὸ Ῥηβαῖος, *Rhebaus*, declinationem quandam indicat pari syllabarum numero: quum & id ipsum apud veteres reperiatur.

CXII. Chalcidenses, hoc est, incolæ atque habitatores Chalcedonis, ut suprà dictum est, qui jam inde ab origine Dorienses esse feruntur, ad ostium ipsum incolunt, nimirum ad Propontidem, quæ cum additione, Ponti maximè ostium appellatur. Ac vide, hos ipsos Chalcidenses a Chalcide denominatos, quæ est ibi locorum, à qua Chalcedonem ipsam, &, quæ circumcirca est, regionem, dixit suprà ἄρουραν Χαλκίδα, *tellurem Chalcidem*. Est autem, ex ARRIANI historiâ, urbs Chalcedonum

num denominata à Chalcedone, Saturni filio, à quo primus fluens ibi amnis vocatus eſt Chalcedon : deinde urbs, quum eò Dorienſes, poſterioribus temporibus, coloniam deduxiſſent, facta eſt fluvio ipſi cognominis. Idemque ARRIANUS narrat, nefaſtum Chalcedoniis reputari menſis cujuſque deſinentis atque ad exitum jam vergentis diem nonum, nimirum, ut Atticis placet, primos & vigeſimos integrorum menſium dies, inauſpicatos ab iis judicari, propterea quòd in his iſtis diebus tum alias ii calamitates acceperunt, tum etiam Pharnabazus Perſa liberos eorum caſtratos ad Darium miſit. Quin & deorum irâ morbum in eos invaſiſſe tradit, ut ſibimet ipſi genitalia amputarent atque abſcinderent, propter neglectum cultum quorundam ſacrificiorum. Ad hæc, memoriæ proditum eſt, Chalcedones & Byzantios Meſembriam urbem, ad lævam Ponti Euxini, condidiſſe, quum, prœlio ii quodam ſuperati, illuc confugiſſent. Habitant autem hi ipſi

Chal-

Chalcidenſes, quemadmodum ſuprà ſcriptum eſt, ex adverſo Byzantii, ſic vocati à Byzante, Ceroëſſæ filio, quæ filia fuit Ionis; vel eo quòd Byzes claſſem Megarenſium duxit, qui Byzantium ædificarunt, ex hujuſmodi oraculo:

Felices, illam quicunque tenebitis urbem,
Acta Threicia, ſuprema prope oſtia Ponti,
Piſcis ubi & cervus victu paſcuntur eodem.

Byzantem porrò illum, à quo Byzantium oppidum nomen accepit, juſtiſſimum mortalium fuiſſe aiunt, Thraciæque maritimæ univerſæ, uſque ad Hæmum montem, imperitaſſe. Sunt autem & Libyes, ſeu Afri, Byzantes, & oppidum ibi Byzantium: tametſi aliqui vocent illos Gyzantes. At verò in Byzantio hoc Thracico, propterea quòd munitum oppidum erat, adſervatos olim fuiſſe narrant Athenienſium theſauros; eamque ipſam aliquando urbem, quan-

quandiu vixit Severus, illiusque filius Antoninus, Antoniam nominatam fuisse; sed a Constantino Magno vocatam eam fuisse Anthusam. Notantur in Comœdiâ prisci illi Byzantii de ebrietate. Quippe, imminente aliquando pugnâ, non aliâ faciliori ratione potuit eos dux exercitus ad mœnia continere, quàm admotis ad mœnia cauponis. Sciendum autem est, τὸ Βυζάντιον, *Byzantium*, oppidum, debuisse quidem, ut aliqui aiunt, pro ratione possessivorum, habere penultimam per diphthongum ει· Verumtamen DIONYSIUM, rejecto ε tenui, id ipsum, pro ratione localium, cum unâ solâque ancipiti extulisse: sicuti etiam suprà τὸ Κορυβάντιον, *Corybantium*, oppidum in Samothraciâ. Quale ferè formationis genus multa alia nomina recipiunt, quemadmodum etiam τὸ τραπέζιον, *trapezion*, genus figuræ, ut scriptum est suprà, & τὸ Ποσειδήιον, *Neptunium*, & τὸ Ἰκόνιον, *Iconium*, & τὸ ἀλγινόεις, *molestus*, apud OPPIANUM; aliaque apud alios. Etenim τὸ τραπέζιον,

trape-

trapezion, ùt antea dictum eſt, penultimam habet per diphthongum, itemque τὸ Ποσειδήϊον, nec non τὸ ἀλγινόεις, quippe quod cum unâ ſolâque ancipiti minimè omnium habere debeat alteram a primâ. Et τὸ Ἰκόνιον, *Iconium*, ſcribi primam poſtulat per diphthongum, tanquam ἀπὸ εἰκόνος, *ab imagine*. Quemadmodum autem τὸ Βυζάντιον, *Byzantium*, ſcribi præter rationem videtur per ἰ, ſic etiam ſciendum, ſcribi apud Apollonium τὸ Ὑάντιος Ὀγχηςός, *Hyantius Onchestus*, id eſt, urbs τοῦ Ὕαντος, *Hyantis*. Et ſic etiam τὸ Ἄβας, Ἄβαντος, Ἀβάντιον, *Abas*, *Abantis*, *Abantium*, ex quo etiam τὸ Ἀβαντιὰς Μάκρις, *Abantias Macris*. Atque hæc quidem defendi poſſunt, tanquam localia. Sed tamen verè paraloga, ac præter rationem, ſunt illa: Αἰπρώτιον παρὰ τύμβον, *Æprotium juxta tumulum*, &, Ποιάντιον ἀγλαὸν υἱόν, *Pœantium illuſtrem filium*. Hæc enim quum poſſeſſiva ſint nominum propriorum, τοῦ Αἰπρώτου, *Æproti*, & τοῦ Ποίαντος, *Pœantis*, debeantque habe-

re penultimam per diphthongum; tamen, propter necessitatem metri, monophthongum, seu unam solamque vocalem, habent in penultimâ. Quin & illud sciendum, quod historiæ mandatum est, Byzantium magnam potentiam habuisse; sed, quum adventantem Phœnicum classem aliquando formidarent, e finibus ipsos suis profugisse; fugâque in Euxinum cum Chalcedoniis arreptâ, Mesembriam urbem incoluisse, ut & suprà dictum est.

CXIII. Post Chalcedonios illos Chalcidenses, Bebryces traditum est videri majora corpora, quàm pro hominum staturâ, habere: apud quos etiam Bebryx ille Arantas, quem octo cubitis oblongum fuisse aiunt, latitudine autem tantâ, quemadmodum ARRIANUS scribit, quantâ, ad levitatis atque agilitatis rationem, cum tantâ hac longitudine commensum proportionis haberet: quanta nimirum latitudo, pro commensûs ratione, aptè conveniret longitudini octo cubitorum, ut homo ille

cor-

corpore esset agili atque expedito ad incedendum. Cum viro hoc tanto singulari pugnâ congressus est Nicephorus adolescentulus, annos natus septem & decem. Bebryciam verò hanc, quam diximus, vocatam fuisse aiunt à Bebryce, quæ Ægypto filia fratris fuit, una filiarum Danai, Hypermnestræ soror. Ferunt, eam Hippolyto consobrino sponsoque suo pepercisse, ut & Hypermnestram Lynceo; fugamque cum illo capessivisse, magnamque sibi potentiam comparasse, eo quòd barbaros Ægyptiam sapientiam docuisset, quare etiam regionem, ad quam fugit, Bebrycen ab eâ, seu Bebryciam, appellatam fuisse. Propterea igitur PINDARUS octo & quadraginta Danai filias commemorat, eo quia reliquis filiabus nolit has duas adnumerare, quippe quæ patri suo minimè omnium obtemperaverint, ideoque de filiarum illius numero deletæ atque oblitteratæ fuerint. Sciendum namque est, ex veteri historia, filios quinquaginta Ægypti cum fi-

liabus Danai quinquaginta, adolescentulis, consobrinis suis, concubuisse; atque ex his quidem Bebrycem & Hypermnestram solas maritis suis pepercisse; reliquas verò reliquis necem attulisse. Post hos barbaros, Mysia, Mysiæque regionis montes, ubi Cius, amnis Mysius, fluenta ille quidem profundens amabilia, & urbs cognominis, Cius. Ad amnem hunc Cium contigit raptus ille Hylæ vulgi sermonibus percelebratus. Sodalis Herculis hic Hylas. Nympha enim, inquit, aquantem ibi Hylam corripuit, quem quum ingens ille Hercules semel ac sæpiùs inclamasset, nihil profecit; sed diu ac frustra clamans, discessit, ut & THEOCRITUS memorat. Unde etiam propter eos, qui iterum atque iterum alios vocant minimè omnium exaudientes, in proverbio est Hylam vocare. Ad hæc tradunt, Prusiadem priùs Cium vocatam fuisse, quam postea urbem Demetrius evertit. Verùm Geographus scribit, suprà Prusiadem, urbem esse Cium, quam Cius, Her-

Herculis sodalis, ejusque in navigatione socius, ædificavit, cum ex Colchide reverteretur: ubi Hylæ casum incidisse commemorant. Ceterùm de Mysis & suprà jam dictum est, & statim infrà rursus dicetur.

CXIV. Post Asiam, Phrygiæ minoris immensus ἀγκὼν, *cubitus*, nimirum ἀγκάλη, *ulna*, procurrens ad Hellespontum in occasum, sub pedibus Idæ. Verùm interiùs ad ortum latior Phrygia, hoc est, magna, in qua Midas regnavit, apud Sangarium amnem, de quo suprà, cujus quidem fontes esse dicuntur circa Sangiam, quo nomine pagum vocant. Hanc autem magnam Phrygiam & equorum altricem & pinguem appellat. Quin & Phryges a rerum copiâ beatissimos ARRIANUS tradit; ubi etiam refert, id, quod perhibent, Phryges antiquissimos esse mortalium, eosque Rheæ numine in furorem agi, & à Corybantibus afflari, nimirum à dæmone correptos, veluti dæmoniacos, Corybantum in morem furere. Quando

tamen numen eos invadit atque occupat, tunc eos agitatos, magnâque voce vociferantes, & saltantes, divinoque numine actos atque furentes, prædicere futura. Sed & Phrygiam esse aiunt locum quendam Europæ, circa Œtam, Trachinis montem, sic appellatam ex eo, quòd ibi Hercules ardendo πέφρυκται, *est torrefactus*. Illud porrò, πόδας Ἴδης, *pedes Idæ*, ex HOMERO sumptum, exemplum PINDARO præbuit dicendi σφυρὰ ὄρυς, *malleolos pedum montis*; LYCOPHRONI πτέρναν πύργου, *calcaneum turris*; aliis κνήμας ὄρυς, *tibias montis*. Sciendum autem est, DIONYSIUM quidem Asianorum hîc Phrygum meminisse; verumtamen alios scribere, alteros quoque olim fuisse Phryges Europæos, qui quum mare transmisissent, Phrygiæ Asianæ nomen dederint. Sicuti etiam Mysi, non Europæi modò sunt, qui quidem sunt trans Istrum; sed etiam Asiani, quorum pars, Mysi illi Olympeni, sic appellati, quemadmodum alicubi suprà dictum est, à Myso, quæ est

oxya,

oxya, linguâ propriâ Myſorum aut Lydorum. Multa enim hæc iſta planta apud Myſos. Adeo autem difficile eſſe aiunt, Myſorum Phrygumque fines diſcernere, propter habitationes eorum promiſcuas atque indiſtinctas, inde ut fortaſſe manaverit proverbium illud: Longè Myſorum & Phrygum fines. Ac ſimiliter confuſi inter ſeſe fuerunt Lydi & Μαίονες, *Mæones*, qui & Μήονες, *Meones*, apud Poëtam. Verùm ARRIANUS ſcribit, Thynum & Myſum filios fuiſſe Arganthonæ (nympha hæc fuit pulcherrima): de quibus Thynus quidem Thyniam, ædificata urbe, à ſeſe nominaverit; Myſi verò propter Myſum ſint nominati. HERODOTUS porrò ipſe etiam Phryges primòs mortalium eſſe affirmat, quod & Comicus indicat, ubi hominem annoſum decrepitâque jam æſtate, vocat βεκκεσέληνον, *beccefelenum*, tum ab Arcadibus, quos ante σελήνην, *Lunam*, extitiſſe fabulantur, tum ἀπὸ τοῦ βέκκου, *a becco*. Beccus namque, linguâ Phrygiâ, panis. Sub lateribus par-

væ Phrygiæ Ilios, inter Idam & mare. Urbem hanc, oppidum vocat perillustre priscorum heroum; idque opus fuisse dicit Neptuni, atque Apollinis, veluti qui eam urbem ædificassent; sed deletam eam urbem atque eversam fuisse ait à Minervâ & Junone, hoc est, tum à prudentiâ, tum à vi potestateque illâ Junoniâ, quæ regia est ac virilis. Vel etiam aliter, lepidè atque urbanè dixeris, viros urbem hanc fundasse, mulieres diruisse. Priscam verò illam Ilion penitus deletam fuisse, itaque evanuisse, ut ne fundamenta quidem ejus supersint, vetus perspicuè historia testatur. Sciendum autem est, more eum Poëtico Ilion ipsam, iterato ejus nomine, repetere, non solùm propter urbis illius alioquin gloriam atque dignitatem; sed etiam quia clades ea prorsus deplorandas acceperat. Quocirca etiam LIBANIUS, quum alicubi Ægæi maris, & aliorum quorundam locorum sic nominatim nudè ac simpliciter meminisset; tamen unius ac solius Troiæ non ita meminit;

minit; ſed Priami urbem vocat, quæ maximas atque graviſſimas calamitates accepit, perinde quaſi eam, veluti ex tranſitu, commiſeretur. Sciendum etiam eſt, tres Phrygias apud veteres recenſeri. Una eſt Magna, cujus Midas imperium habuiſſe dicitur, circa quam etiam Piſidia, & Ammorium, & Synnada. Atque hujus etiam Magnæ Phrygiæ eſt Phrygia ad montes Paroreos, ubi Philomelium. Atque hæc quidem una Phrygia. Secunda, altera Phrygia Parva, quæ eſt in Helleſponto circaque Olympum. Tertia denique, Epictetos vocata, in qua Coryaëum, & Δορύλαιον, *Dorylæum*, ut Geographus tradit: quod etiam dictum Δορυλάειον, *Dorylaëum*; immo etiam, ut recta ſcribendi ratio, ſeu Orthographia exigit, Δορύλλειον, *Dorylleum*, per diphthongum. Sicuti & Δοκίμειον, *Docimeum*, urbs & ipſa Phrygiæ. Sic & Σκύλλειον, *Scylleum*, duplici, vel etiam ſimplici λ'. Eſt autem ipſum quoque, ex Ethnicorum ſcriptore, oppidum Phrygiæ, aut, ut

idem ipſe ait, ſecundùm alios, Pamphyliæ. Conſtat autem, id ipſum ſcribi etiam Σύλαιον, *Sylaum*.

CXV. Poſt Parvam Phrygiam, atque Ilion, expanſa eſt Æolenſium regio, ad labrum Ægæi, ὑπὲρ, *ſupra*, magnum, nimirum latum, Helleſpontum, quod eſt ſanè magis auſtrale Helleſponto. Nam & hoc loci, ut ei in more poſitum eſt, uſurpat præpoſitionem ὑπὲρ, *ſuprà*, de iis, quæ ſunt magis auſtralia. Alioquin enim ſuprà Phrygiam ad ſeptentriones ſiti ſunt Æolenſes: ſed, ex veteri terrarum deſcriptione, Phrygibus & Cappadocibus adhærent, nimirum ad ſeptentriones. His autem finitimi ſunt Cilices, pertinentes ad mare, ubi Cyprus. His proximi ſunt Armenii, Armeniis Matiani, Matianis Ciſſiani. Adjicit DIONYSIUS, poſt Æolenſes, quorum eſt etiam Smyrna, regionem Ionum jacere, ipſam quoque maritimam. Hujus initium, ex Geographo, Phocæa, quæ & terminus Æolidis. Quemadmodum autem ſupra, eandem

eandem esse Iadem statuimus, atque antiquam Atticam, quippe quum ipsi aliquando Attici antiquitus Iones ab Ione vocarentur, ipsaque regio Ias diceretur; sic etiam sciendum, Doridem eandem esse atque Æolidem. Vocabantur enim olim, secundùm Geographum, Æolenses, pro imperio ac potestate gentis, ii omnes, qui sunt intra isthmum Peloponnesi, præter Athenienses & Megarenses, & Dorienses Parnassi. Quare etiam passim PINDARUS, tametsi scribat Doricè; tamen cantilenam suam, Æolidem appellat. Æolenses porrò illi dicti ab Æoli filiis: sicuti etiam Dorienses a filiis Dori, & Iones ab Ione, Xuthi filio, homine Attico, quem EURIPIDES narrat coloniis atque oppidis Asiaticas terras frequentasse. Verùm Æolenses illi Asiæ sic vocitati sunt, non modò quòd oriundi erant ab iis, quos diximus, Æolensibus Europœis, atque ab iis in coloniam profecti; sed etiam quia, quæ ibi colonia erat, eam illi conflaverant atque collegerant ex

αἰολεῦσιν,

κιολεῦσιν, hoc eſt, ex variis conveniſque hominibus. Per mediam illam Ionum regionem Mæander pinguibus ac nitidis vorticibus in mare delabitur, inter Prienen & Miletum, urbem Ionicam, coloniamque Athenienſium, ſecundùm HERODOTUM. De quibus quidem Priene vocata eſt olim Cadme, quam Ægyptus Nelei filius condidit; unde Bias, unus de ſeptem ſapientibus. Miletus verò ædificata eſt à Neleo, homine Pylio, qui eò ad habitandum demigraverat. Quanquam HERODOTUS velit, ædificatam eam urbem à Neleo, Codri filio. Hæc enim verba HERODOTI: *Sequutus Neleum, Codri filium, ad Miletum ædificandam.* Fert autem hic locus bonas lanas. Unde & in proverbium venerunt ſtragula Mileſia. Et THEOCRITUS, quum tapetes ſomno molliores vocaſſet, ſubdit:

Dicat Miletus, Samiam quique incolit urbem:

quippe quum lanæ apud Samum & Miletum

letum bene copiosèque proveniant. Porro autem de hac urbe hæc ista litteris consignata: Miletus, urbs clara admodum & illustris. Vocata ea olim Lelegis, propter advenas Leleges; & Pityusa, ἀπὸ τῶν ἐκεῖ πιτύων, *a pinorum ibi*, seu *picearum copiâ*; atque etiam quia ibi primùm nata est πίτυς, *pinus*, seu *picea*. Inde fuit Thales Milesius, & Æschines Orator, cui loquendi libertas fraudi fuit; & Phocylides & Timotheus citharœdus, in quem fertur hoc Epigramma:

Miletus peperit dilectum patria Musis
Timotheum, præstans quì citharœdus erat.

Fuit & Cretica olim insula, Miletus. Quin & Calypsonis insulam perhibent vocatam fuisse aliquando Miletum. Est etiam sermo, maximum Mileti templum extructum fuisse, idque præ magnitudine suâ sine tecto remansisse. Hujus quoque urbis coloniæ multæ referuntur: quandoquidem ad ostia etiam Nili murus

rus

rus fuit horum, quos diximus, Milesiorum, quem quidem ipsi ædificarunt, quum eò triginta navibus profecti fuissent. Ac præterea ubi Ister extremus est ad Euxinum, incolunt Istriani, Milesiorum colonia, ut scribit HERODOTUS. Ab his boream versus sita est Ephesus, quæ & Trachea olim, & Ortygia, & Ptelea vocata, urbs Ionum, seu, ut placet HERODOTO, Lydiæ, quam maritimam DIONYSIUS vocat, & magnam urbem Dianæ. Ubi & templum esse ait, quod Amazones condiderunt ἐν πρέμνῳ, *in stipite*, hoc est, in κορμῷ, *in trunco*, ulmi, magnum mortalibus miraculum. Intelligit autem fortasse templum illud celebratissimum, quod, injecto igne, excitatoque incendio, crematum postea ab homine fuit nescio quo, qui nominis sibi celebritatem ita vindicare voluerit: tametsi minimè omnium sit ille assecutus, quod voluit. Diris namque exsecrationibus sancitum fuit, ut ne quis unquam homo nomen illius traduceret, nimirum ut

ille

ille oblivioni traderetur sempiternæ, neque, quod voluerat, assequeretur. Præterea verò traditum est, Crœsum, admoto ad Ephesum exercitu, eam obsedisse; quumque oppidani ad rerum suarum desperationem adducti essent, eos urbem Dianæ dedicasse, funemque ex Dianæ templo ad urbis mœnia appendisse. Amazones porrò multa olim in Asiâ loca tenuisse, claro argumento sunt fontes Amazonum cognomines, immo verò & urbes, ut ipsa hæc Ephesus, Anæa, Myrrhina Æolica. Est & Elæa locus juxta Nicomediam, secundùm ARRIANUM, ab Elæâ Amazone. Ad hæc, Θίβα, *Thiba*, locus ad Pontum, cujus prima syllaba per ί, id nominis sortita ab unâ illarum Amazonum, quæ interfectæ fuerunt ab Hercule: quarum αἱ διάφοροι, *eximiæ*, hoc est, præstantiores, atque celebriores, ex ARRIANI historiâ, sunt hæ nomine: Tralla, Isocratea, Thiba, Talla, aliæque. Præterea verò Smyrna, ipsa etiam Amazon, tenuisse Ephesum dicitur, à qua

qua Smyrna quoque, locus Ephesi. Quin & ipsam Ephesum, Smyrnam vocatam fuisse affirmant. Ferunt, Ephesum urbem à principio in loco cavo, seu in convalle, ædificatam fuisse; sed, quum procellâ atque imbribus obruta, ac demersa fuisset, eò, ubi nunc est, à Lysimacho translatam, & Arsinoën ab Arsinoë, illius filiâ, appellatam. Fertur autem in hanc istam alluvionem atque inundationem pulchrum Duridis Epigramma, quo ille in Epigrammate Ephesum, Iadum, seu Ionicarum urbium celebratissimam appellat. Ejus Epigrammatis hoc est initium:

Aëriæ nubes, sævis unde imbribus haustis,
Nocte sub immiti cuncta ruistis aquis?

Et quæ sequuntur. Quod autem ad Ephesum nomen proprium attinet (mulier enim, Ephesus, à qua nomen urbi) Ephesum hanc, ministram Dianæ fuisse aiunt, ejusque filiam, Amazonem com-

commemorant, à qua Amazones. Alii verò scribunt, Amazones, quas Hercules insequeretur, cum jussu is Eurysthei ad Hippolytæ cingulum auferendum missus fuit, ad aram quandam Dianæ confugisse, ibique ἄφεσιν, *dimissionem*, impetrasse; indeque eum locum, pro eo ac si Ἄφεσον, *Aphesum*, dixissent, levi litterarum immutatione, Ἔφεσον, *Ephesum*, fuisse appellatum. Gens porrò muliebris, Amazones ad Thermodontem. Quare etiam earum genus à matribus recensebatur, quemadmodum proditum est ab ARRIANO. Vocatæ eæ quoque olim Sauromatides, eo quia in Sauromaticâ olim Scythiâ habitassent, ut suprà scriptum est, cum de Sauromatis ageremus. Vel quasi Sauropatides, διὰ τὸ σαύρας πάσασθαι, hoc est, γεύσασθαι, *eo quia lacertas gustarent*, seu *lacertis vescerentur*. Id enim carnium genus esitabant. Ideoque Amazones, ut aliqui quidem arbitrantur, vocatæ sunt, non modò tanquam μονόμαζοι, *unam mammam habentes* (iis enim jam inde ab

infantiâ ὁ δεξιὸς μαζὸς, *dextra mamma*, ut ne impedimento hæc eſſet jaciendis ſagittis, adurebatur) ſed etiam veluti quæ non μάζαις, *mazis*, ſed carnibus ferinis alerentur. Atque hæc quidem ita. Mæandrum verò, quem diximus, fluere aiunt obliquum, ex quo etiam obliquitates omnes fluminum, Mæandros vocari. Narrant autem, Prienen, de qua nos ſuprà, mari à principio adjacentem, terrâ poſtea ad longum ſpatium aggeſtâ, factam eſſe à Mæandro mediterraneam. Quippe ſic Geographus: ſic enim Mæander, magnâ limi terræque copiâ advectâ, &, ubicunque fortè littus nanciſceretur, ad littus aggeſtâ, Prienen mediterraneam fecit aggere longo ſtadia quadraginta: quum ea ad mare priùs jaceret.

CXVI. Poſt Iones, Meones, quorum & HOMERUS meminit, Lydi nimirum ad orientem, gens illa quidem bonam regionem incolens, maximèque abundantem argento, ut veteres aiunt: ubi ventoſus ille mons Tmolus, unde Pacto-

Pactolus fluens, aurumque simul cum vorticibus trahens, κελαρύζει, *murmurat, strepitat, susurrat.* Aurifluus enim traditur esse Pactolus amnis, aut quia reverâ is amnis ramenta auri devolvit, ac trahit, aut quia regionis illius agros pingues atque opimos reddit, itàque incolas divites atque opulentos facit. Atque hîc etiam vide τὸ κελαρύζειν, *murmurare*, non satis aptè neque congruenter dictum ad magnitudinem fluminis multâ aquarum vi defluentis, ut neque suprà Cephissi. Pactolus autem deferri dicitur in Hermum, sicuti etiam Herodotus narrat his verbis: Pactolus ramentum auri ex Tmolo deferens, in Hermum amnem delabitur. Hermus verò ex Sardianâ fluens, exit in mare Phocææ. Regionem porrò illam Lydorum carminibus suis valde celebrat Dionysius, veluti beatam atque opulentam, quippe qui & solum divinum eam appellet, & canoram cygnorum vocem verno tempore exaudiri ibi dicat ad latera Pactoli: qui cygni hîc &

illic per nemora succrescente in herbâ pascuntur: ac præterea adjiciat, in Asiâ quidem multa prata; sed præ ceteris atque eximiè in campo Mæandrio, virescere. Quare etiam nonnulli inde intelligunt HOMERICUM illud, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, *Asio in prato*, perinde quasi Meonia dicta fortasse sit Asia: post quam & populi Mysi secundùm Geographum, atque hi quidem alii ab Olympiis. Sic enim ille: Mysi post Lydos, & urbs Philadelphea. Ad hæc, DIONYSIUS Caystrum dicit καχλάζοντα, *strepitantem*, seu παφλάζοντα, *ferventem*, aquis suis in Mæandrum influere. Cayster autem nominatur ex eo, quia adjacet τῇ κεκαυμένῃ, *Cecaumena, hoc est, adusta*, regioni, ex qua, Geographo teste, οἶνος, *vinum*, percelebratâ bonitate est Catacecaumenites. Hanc verò ipsam regionem, alii Mysiam vocant, propter incolentes ibi Mysos, quos diximus; alii Meoniam. propter Meones: quæ cinercia in summo esse dicitur, atque ab arboribus nuda, præterquam a vite. Ceterùm

terùm à Cayſtro vocatur etiam campus Cayſtrius, qui & Cayſtrenus: quicum conjunctus eſt atque continens Cilbianus. Ipſi autem Lydi & Μαίονες, *Maones*, dicti, & Μήονες, *Meones*, ut clarè oſtendit HERODOTUS, ubi Lydium populum nomen habere ait à Lydo, Atyis filio, qui Μήων, *Meon*, priùs vocaretur, apud quos etiam Sardes, Lydorum regia, quas appellari aiunt Idam apud Poëtam. Has ferunt Cimmerios, præter arcem, tenuiſſe, cum magnam Aſiæ partem incurſionibus infeſtarunt.

CXVII. Lydorum regionem eximiè celebrat DIONYSIUS à mulierum pulchritudine, in hæc verba: Neque verò Lydas quis mulieres reprehenderit, quæ nexu aureo ex iliis dimiſſo, nimirum zonâ, ſeu cingulo cinctæ aureo, ducendo inſtaurandoque choro, in orbem ſeſe mirabilem contorquent, cum Libero patri choreas celebrant. Tum furore veluti divino quaſi ad pompam majoremque celebritatem concitatus Poëta, propter beatæ illius regionis felicitatem.

tatem, & ſimplicitate orationis, veluti quibuſdam præſtigiis, auditorem ſuum illiciens, ſive etiam, ut ita dicam, verſibus ipſis carminibuſque ſuis choreas agens, tripudianſque, atque exultans, ſubdit:

Ac, velut hinnulei vernante ætate, puellæ
Unà agitant choreas.

Simul etiam, inquit, νεοθηλέες οἷά τε νεβροὶ, *recens veluti orti hinnulei*, σκαίρουσι, *tripudiant, ac ſaltant*, τῇσι δὲ, nimirum ταύταις, περισμαραγεῦντες ἄηται, *ventorum his ſtridula circum*

Flamina fulgentes tunicas ad pectora verſant.

Ubi τὸ νεοθηλέες, *nuper vireſcentes*, ſeu *recens nati*, conſtruendum cum τοῖς νεβροῖς, *hinnuleis*. Virginibus namque iſtiuſmodi id ſanè nominis non valde conveniens, neque conſentaneum. Geſtientium porrò atque exultantium lætitiâ eſt τὸ σκαίρειν, *ſaltare atque tripudiare.*

diare. Attamen τὸ ἀσπαίρειν, *palpitare ac tremere*, vocabulum eſt periculi, ſicuti etiam τὸ ἀσπαίρειν Porro autem τὸ σμαραγεῖν, *ſtrepere*, ſeu *ſtrepitum ac ſtridorem edere*, ecce tibi per onomatopœiam fictum de ventis ad ſimilitudinem ſoni. Unde etiam Juppiter ἐρισμάραγος, *valde ſtrepitans*, ſeu *magnos ſtrepitus edens*, aër nimirum valde ſonorus. Atque hoc quidem loci DIONYSIUS Lydas illas mulieres collaudat, non ut ſcitas modò in choris ducendis; ſed etiam ut peridoneas atque peritas ad telas texendas. Conſtat autem, Lydos magnam aliquando antiquitus vim divitiarum habuiſſe, apud quos primos nummi cuſi ſunt ex auro & argento, eoſque multis atque magnis deliciis affluxiſſe. Unde & ludos ipſi pleroſque adinvenerunt. Quin & fortes ii olim fuiſſe feruntur, maximoque robore præditi, & re etiam equeſtri valuiſſe. Ideoque qui in aurigando ſecundas partes obtinent, curſu ii cum Lydio curru contendere dicuntur. Sicuti Pamphylus & Pamphylius, nomen

gentile; & Syrus, Syrius; ſic etiam Lydus, Lydius. Malè autem audiunt Lydi ab improbitate. Unde & adagium: Lydi improbi, ſecundi Ægyptii, tertii Cares. Mulieres verò Lydæ pudicitiam univerſæ proſtituere feruntur, donaque plura dare, quàm accipere. Et ſic etiam aiunt, apud Armenios virgines perilluſtres deæ cuidam, quam Anaitin vocant, dicatas, cum viris conſueſcere, ac meretricium facere, deinde in matrimonium collocari, nemine prorſus uno talium feminarum conjugium dedignante.

CXVIII. Lycii populi, ut quibuſdam viſum eſt, vocantur à Lyco, Pandionis filio, qui in Aſiam trajecerat. Siti ſunt, inquit, Lycii ad mare, ubi eſt Xanthus fluvius, alius ab illo Troiano, eodemque Scamandro; itemque urbs cognominis, de quibus aliquid dictum eſt, cum de Pataris commemoraremus. Porro autem ad Lyciam Tauri illius altè præcipitis montes viſuntur uſque ad Pamphylos, ſeu Pamphylios (duplex enim fertur, ut ſuprà dictum eſt,

eſt, de gentis hujus nomine ſcriptura): cujus quidem Tauri quæ partes ad mare ſpectant, prominenti tauri capiti aſſimilantur. Quâ etiam de cauſſâ hunc montem Taurum vocatum volunt. Alii tamen propter magnitudinem Taurum eum aiunt appellatum. Namque ταῦροι, *tauri*, apud priſcos, magna quæque ac violenta. Unde etiam, ſecundùm nonnullos, deſumpta eſt particula intenſionis βοῦ, tanquam ἐκ τῦ βοὸς, *à bove*. Taurum autem, qui ibi locorum mons eſt, Cragum etiam vulgò nominatum dicit à Crago quodam, viro perilluſtri, qui ibi demortuus colitur. Hoc in Crago veteres narrant antra eſſe agreſtium deorum. At verò Geographus hæc etiam de Crago: Cragus mons verticibus eſt octo, urbemque habet cognominem, ubi quæ ſunt in fabulis de chimærâ: & convallis ibi Chimæra, à littore ſurſum verſus extenta. Stat ei monti ex adverſo Anticragus. Sed & traditur mons eſſe in Lyciâ, qui ultro ignem emittat. Quod hodieque etiam

conſpicitur. Aſpendi, urbe Pamphyliæ, ubi Eurymedon amnis fluit, mactationibus ſuûm Venus placatur, hoc eſt, colitur, auctore duceque hujus moris Mopſo, qui quum ſeſe immolaturum voviſſet, quidquid in eum fortè locum incurriſſet, deprehenſum ſuem immolavit; indeque mos ille obtinuit. Ædificata eſt autem Aſpendus ab Argivis, fuitque olim valde populoſa: quæ & olivetum habuit. Sic enim Geographus: Aſpendus, oleis conſita, & Side Pamphylica, urbes, quarum territoria, colles ac tumuli. Arrianus porrò tradit, Aſpendios malè ab Alexandro tractatos fuiſſe, eo quia quinquaginta talenta pro mercede ſeſe exercitui daturos polliciti, & equos quinquaginta, quos regi alebant, minimè dediſſent: itaque regem tum alias iis moleſtias intuliſſe, tum talenta centum pro quinquaginta accepiſſe. Quod autem eſt ſciendum, Ἄσπενδος quidem per ε, nomen eſt Aſpendi urbis: at verò ἄσπονδος per ο, idem eſt atque ὁ μὴ σπενδόμενος,

uwος, *qui fœdus non facit*, *fœderis expers*, *à fœdere alienus:* ne urbs atque epitheton inter ſeſe confundantur.

CXIX. Pamphylia regio, aut à Pamphylâ muliere, aut a Pamphylo quodam, cujus & Lycophron meminit. Herodotus verò Pamphylios ex iis eſſe ait, qui cum Amphilocho & Calchante diſperſi è Troiâ atque diſpulſi fuerant. Pamphylicæ urbes, Corycus, & Φάσηλις, *Phaſelis*, proparoxytonè, quæ olim Φάρσαλος, *Pharſalus*, e qua Theodectes, præſtanti vir pulchritudine, qui Artem Rhetoricam compoſuit, orationeſque bonas & Tragœdias quinquaginta conſcripſit. De his ita Geographus: Corycus & Phaſelis, Pamphylorum loca. Et alibi: Corycus, inquit, littus Lyciæ. Deinde Phaſelis lacus, & urbs, portus tres habens valde memorabiles. Suprà hanc ſita ſunt Solyma, & Telmiſſus, urbs Piſidica, anguſtiis ipſis Phaſelici maris imminens: quibus quidem anguſtiis apertis, Alexander exercitum traduxit, ubi & Climax mons, inquit,

inquit, imminens mari Pamphylio. Hîc, tranquillo mari, nudum ſeſe littus viatoribus prætereuntibus aperit; at, mari accedente atque exundante fluctibus, admodum obtegitur, atque occultatur. Medio porrò inter Phaſelidem & Attaleam ſpatio Thebe & Lyrneſſus, urbes Troicarum cognomines. Attaleam autem Geographus cognominem eſſe dicit conditoris, qui & Corycum oppidulum ædificavit. Alibi verò idem ipſe ſcribit, Corycum promontorium eſſe Ciliciæ, poſt Anemurium promontorium; ſupraque Corycum antrum eſſe Coryceum, in quo crocus optima naſcitur. Sciendum tamen eſt, quod dici ſolet in proverbio:

Hoc nempe Corycæus audivit ſagax:

non à promontorio hoc Coryco dictum fuiſſe; ſed a parvâ inſulâ & portu, prope Teon inſulam & Erythras: ubi latrocinia fuerunt, & prædationes Corycæorum, qui ibi verſabantur, qui ſanè Corycæi res mercatorum intentis auribus

bus curiosè diligenterque sublegebant, itaque iis insidiabantur. Unde & adagium de iis, qui curiosè anquirunt, atque addiscunt arcana. Lycios dicit esse ad mare, ut eos à Lycaonibus distinguat: quos Lycaones, tanquam habitatores continentis atque mediterraneos, incolere ait mediterraneam regionem ad orientem, quos etiam Lycaones curvis arcubus utentes nominat, reique militaris scientes appellat. Horum Lycaonum est etiam τὸ Εἰκόνιον, *Iconium*, ita denominatum ab illâ Gorgonis εἰκόνι, *imagine*, quam ibi fertur Perseus in cippo statuisse. Dicti autem sunt Lycaones à Lycaone nescio quo Arcade, qui urbem ibi, oraculi monitu, ædificaverit, quòd sese ibi in conspectum Acamas λύκος, *lupus*, dedisset, ferens in maxillis hominis manum,

quod ei signum posuisset Apollo.

Sciendum autem est, geminos esse Lycios, ut & HOMERO videtur, alios Troicos, ut Geographus ait, alios finitimos

timos Cariæ. Incompertum verò est, utri ab alteris in coloniam profecti fuerint. Et sic etiam affirmat Geographus de Cilicibus. De his tamen alibi idem ipse Geographus scribit, Cilices illos Troiæ, quum in Syriam demigrassent, Ciliciam, quam nunc vocant, Syris ademisse. HERODOTUS verò Lycios, finitimos illos Cariæ, originem ex Cretâ habuisse commemorat: ubi etiam tradit, Termilos eos vocitatos; sed tempore Lyci, Pandionis filii, hominis Atheniensis, Lycios eos nuncupatos. Habebant porrò arcus ex corno, sagittasque minimè pennatas ex arundine; pellesque in humeris caprinas, pileosque in capite, pennis, veluti coronâ, redimitos.

CXX. Pisidarum, quos & Solymos quidam vocant, solum pingue appellat: quorum urbs Selga, quam etiam urbem ab Amyclæorum populo conditam affirmat, & nominatissimam ac celeberrimam vocat. Aiunt enim, hanc urbem viginti hominum millia habuisse. Pisidæ autem à Pisidâ nescio quo accepisse nomen

men dicuntur: quorum quidem nomen effertur simplici σ', & modò correptâ, modò productâ primâ syllabâ. Dicitur porrò Selga condita fuisse à Calchante, deinde à Lacedæmoniis. Pisidarum autem Selgenses celebratissimi: qui & propter urbis munitionem in aliorum nunquam ditionem ac potestatem venerunt; sed, missis ad Alexandrum legatis, sese, amicitiæ caussâ, mandata facturos dixerunt. Traditum quoque est, hanc ipsam olim urbem bonis prorsus legibus præclarisque institutis administratam fuisse, quum Lacones, ut dictum est, sese in eam ad habitandum contulissent. Unde etiam aiunt, ἀσελγεῖς, *aselgenses*, per privationem vocatos homines turpes, quique ad rectas honestasque leges vitam minimè suam conformant, neque morum probitate similes sunt Selgensibus: tametsi alii e contrario illius urbis cives improbissimos atque sceleratissimos narrent: unde per epitasin, sive incrementum significationis dictam volunt τὴν ἀσέλγειαν, *aselgeam*, de iis, qui non

non purè atque integrè vivunt; sed similes sese Selgensibus præstant. Melior tamen prima illa etymologiæ hujus notio atque intelligentia. Neque enim fortasse DIONYSIUS Selgam percelebrem dixisset, si improbos ea cives aluisset. Pisidarum quoque urbs, Lyrba; itemque Termissus, sita suprà Cibyram, maximam diœcesin: ubi Geographus testatur, ferrum facilè tornari. Hanc nonnulli Τελμισσόν, *Telmissum*, scribunt cum λ'· qui & aiunt, Telmissum urbem pleonasmo laborare, inserto τοῦ λ'. Vocata namque est à Temisso, Apollinis filio, ut ait HERODIANUS in libro de Figuris. Verùm observa, meliorem multò esse scripturam suprà à nobis expositam per ρ'. Proditum namque est in Ethnicis, Telmissum per λ', urbem esse Cariæ, aut Lyciæ; Termissum verò, Pisidiæ. Quin & Geographus: Telmissus, inquit, oppidulum Lyciorum; & Telmissis promontorium. Postea Anticragus. Hæc autem Termissus dicta est Major, ad differentiam alterius, quæ ejus

ejus colonia eſt, & Termiſſus Parva appellatur. Poſt Piſidarum urbes ad ortum, flexus eſt Iſſici, ſeu Pamphylii maris contortus, ſeu convolutus, ut & alibi ſuprà dictum eſt, ac veluti circumeundus atque circumfluus, intro ad multum ſpatium penetrans, perinde quaſi non recuſet, neque renuat Euxinum, ut veteres ſcribunt; ſed ad eum in flectendo nutet atque inclinet. Quare etiam, ut Hyrcanius, ſic & ſinus ipſe Pamphylius, vicinus dicitur Euxino: tametſi alioquin longo inde diſtet intervallo. Sciendum autem eſt, Iſſico hoc ſinu, qui longus in orientem circa Ciliciæ littora trahitur atque excurrit, Taurumque montem proximè præjacentem habet, effici eas, quas dicit Dionysius, anguſtias Aſiæ. Has verò dicitur Alexander in locum amplum atque exercitui patentem, dum milites illac traduceret, aperuiſſe; itaque rem ipſe novam molitus eſſe multò præclariorem atque pulchriorem, certè quidem multò utiliorem, quàm

quod per ostentationem atque jactantiam in Atho Xerxes fecisset. ARRIANUS autem scribit, rem tunc prosperè Alexandro cessisse. Via enim quum nullâ aliâ ratione in Phaselidis mari pateret, nisi venti à septentrionibus spirarent (si enim notus incubuisset, perdifficile prorsus erat Alexandro per littus transire) rigidiores sanè gravioresque boreas afflantes, non sine divino numine, facilem viam præbuisse. Sed & in Perside multæ esse angustiæ feruntur, quas Alexander ille Macedo vi quidem & magnâ cum difficultate, sed tamen superavit, quum magno ille conatu studioque, tum ad alia, tum etiam ad thesauros, qui multò jam tempore accumulati erant, occupandos properaret. De angustiis porrò Asiæ aliquid dictum est, cum de Phaselide paullò ante ageremus.

CXXI. Pamphylius, qui & Issicus sinus, Cilicum terras, ut dictum est, circumducitur atque circumtrahitur; eumque in sinum Pyramusque amnis influit,

influit, & Pinarus, & Cydnus, qui à Tauro monte, urbi Tarſo imminente, fluit obliquus, mediamque ipſam Tarſum pervadit: quo de etiam infrà. Perfrigidam autem atque percelebrem eſſe aiunt aquam Cydni, auxiliarique eam ac mederi pecoribus atque hominibus, à nervorum craſſitudine laborantibus. In hunc, ut ARRIANUS narrat, ſemet ipſe Alexander immiſit, nimio calore exæſtuans, aquarumque appetentior, cum & convulſionibus correptus fuit, & vehementioribus febribus, & aſſiduis perpetuiſque vigiliis, quem tunc ægrotantem purgavit Philippus Acarman Medicus, aliis prorſus medicis vitam ejus deſperantibus. Pyramus verò, tum obliquus fluit, ut dictum eſt, tum in profundum barathrum decidens, ſtrepitum tonitrui ſimilem edit, tum etiam permultum limi, ut Geographus ait, ad mare devolvit. Quare etiam oraculum per hyperbolen emanavit hujuſcemodi:

Adveniet tempus , tortis cum Pyramus undis ,

Aggesto sacram continget littore Cyprum.

At verò Tarsus posita est in loco campestri, atque illa quidem ædificata est ab Argivis, cum per illa ii loca, ad Ionem Inachi filiam inquirendam, oberrarent. Proditum autem est, extitisse olim in hac urbe magnam in Oratoribus facilitatem dicendi ex tempore quocunque de argumento, quod iis ad explicandum proponeretur; eamque urbem multis celebribus viris abundasse, aliarumque multarum præclararum laudandarumque rerum copiâ affluxisse. Verùm DIONYSIUS, adhibitâ hîc etiam, propter loci hujus celebritatem atque gloriam, repetitione, caussam quoque affert, quamobrem urbs hæc Cilicum ita appelletur: eo quia nimirum cognominis est τῷ ταρσῷ, *tarso*, seu *planta pedis*, Pegasi, qui eò ex alto delapsus fuerit, equitemque simul Bellero-

lerophontem dejecerit, atque deturbaverit, atrâ bile præ senectute laborantem, ut & Aristoteles tradit, ibique locorum in Aleio campo oberrantem. Simul enim atque Bellerophontes ad Jovem pervenit, alato illo Pegaso invectus, statim Pegasus, Jovis irâ, præceps deorsum actus fuit, simulque cum eo eques ipse deturbatus, ejusque equus, tarso ibi, seu plantâ pedis impressâ (illic enim in genua procubuit) loco illi nomen reliquit. Alii tamen urbis illius nomen, monumentum esse volunt claudicationis ipsius Bellerophontis. Verùm alii eam urbem nominatam censent, eo quia, post illuvionem, seu post primam coactionem coitionemque aquarum, cum eæ in mare, tanquam in unum locum, processerunt, Taurici ibi primùm montes exsiccati fuerunt; ideoque urbem illam Τερσίαν, *Tersiam*, vocitatam tunc fuisse, tanquam a τέρσω, quod est sicco, seu arefacio; postea verò Ταρσὸν, *Tarsum*. Eratosthenes autem auctor est, nomen esse huic urbi ab

Jove Tersio, qui illic vocatur. Alii verò aiunt, Tersum primùm per litteram ί, urbem hanc nominatam, eo quia qui ibi incolebant, primi collectos fructus virides ἐτέρσηναν, hoc est, desiccavissent, atque ad alimentum in hyemem reposuissent. Ibi pòrrò locorum esse aiunt Alcium campum, cujus & HOMERUS meminit: in quo, post casum, ut dictum est, vagabatur Bellerophontes, quum ex Pegaso decidisset, & mente captus fuisset. Unde & solitariam vitam elegit, seorsum ab hominum consortio, in campo illo ἀλώμενος, nimirum πλανώμενος, *vagans atque errans*, qui quidem campus, deductâ etymologiâ ex hac istâ ejus ἄλη, hoc est, πλάνη, *vagatione atque erratione*, ut & HOMERO videtur, vocatus est Ἀλήϊον πεδίον, *campus Aleius*; vel ab urbe quadam vocatâ ibi Ale, ut nonnulli affirmant; vel ex eo quòd ille campus privatus orbatusque est λήϊοις, *segetibus*. Est autem, ut aiunt, hic campus inter Cydnum amnem, & Pinarum. Hunc verò ipsum, cujus meminimus, Pina-

Pinarum, & fluvium esse aiunt ex medio campo emergentem, & tantâ vi ex intimo abditoque recessu emergere atque exoriri, ut, si quis jaculum in imum gurgitis illius fundum conjiciat, aqua ei resistat, conjectumque jaculum vix immergatur. Duplex autem est scriptura τȣ̃ Ταρσȣ̃, *Tarsi*, tum per ί, suprà dictum est, à τέρσω, *sicco*, vel *arefacio*, tum per ά, ab aoristo secundo, ἔταρσον, *arefeci*. Ceterùm ταρσὸς dicitur etiam de alâ avium, & de remigatione triremium. Quin & factorum casei fiscella vocatur ταρσὸς, atque inde ταῤῥός· ut πυρσὸς, πυῤῥός, *rufus*. Colonia porrò Argivorum, Tarsus, à Sardanapalo condita: quem & ibi humatum tradunt nonnulli. Si dorsum, aut terga terræ, sicuti etiam maris, ad id explicandum, quod in summo ejus apparet, Oratores appellant; certè quidem rursus eam quoque aliquando supinam jacere dicunt, cum de campestribus locis loquuntur. Constat autem & latera terræ, & laterum cavitatem eos dicere, cum

Hh 4 non

non ſummum ejus, ſeu quòd extra apparet, explicare volunt; ſed quod eſt in profundo.

CXXII. Cilices populi, ut ait ARRIANUS, a Cilice, Agenoris filio, qui ex Phœnice ad Europam quærendam miſſus, multumque terrarum pervagatus, nullum quidem puellæ veſtigium offendit; ſed, quum magnam regionis Cilicum partem occupaſſet, nomen ei regioni à ſe ipſo dedit. HERODOTUS autem ſcribit, Cilices vocatos antea fuiſſe Achæos. Cilices porrò, piratici, qui Samothracum etiam templum olim adorti, talenta ampliùs mille abſtulerunt. Verùm hæc Geographus: Cilicia, altera quidem Thrachea, ſeu Aſpera, cujus pars maritima, anguſta, uſque ad fines Iſauriæ & Piſidiæ, quam qui incolunt, Tracheotæ appellati; altera verò campeſtris, à Solis & Tarſis uſque ad Iſſum. Multæ urbes Cilicum, aliæ mediterraneæ, aliæ maritimæ: quarum una etiam Anchiale, condita ab Japeti filiâ: ubi & Anchialeus fluvius. Anchiales

les hujus filius, Cydnus: a quo Cydnus, fluvius ille Tarsi, cujus exitus, sive ostia, post urbem Anchialen. Quidam tamen hanc ipsam Anchialen conditam volunt à Sardanapalo, eo in epigrammate, quo scribunt, Sardanapalum Anchialen & Tarsum uno die ædificasse. Verùm DIONYSIUS vocat hanc Anchialeam: ut & Geographus Thessalonicam, Thessaloniceam. Est autem & Anchiale Thracica, teste Geographo. Cilicum urbs est etiam Lyrnessus, alia à Troicâ: quæ Mallus quoque nominata. Sita illa in edito loco, & sic appellata à Mallo nescio quo ejus conditore, vel à mallis, nimirum coronis, quas quum corvus alicunde abripuisset, ibique deposuisset, ex oraculi sententiâ, nomen hæc urbs accepit, impositum à Mopso & Amphilocho, vatibus celebratissimis, qui hanc urbem Mallum ab his istis mallis, seu coronis laneis, vocarunt. Sed & sciendum, gentem esse Indicam bellicosissimam, Mallos numero multitudinis: ubi parùm absuit, quin

Magnus ille Alexander de vitâ periclitaretur. Urbs etiam Ciliciæ, Soli, quæ nunc Pompeiopolis. Dicti Soli, ut nonnullis placet, à Solone. Alii verò hanc istam urbem ædificatam fuisse aiunt à Rhodiis & Achæis. Horum cives, non Soli, sed Solenses. Aiunt autem, Solœcismum initium inde habuisse, eo quia nimirum homines ibi Attici olim habitaverint, atque à linguâ Atticâ genuinâ desciverint, & propter τὸν ἐν Σόλοις οἰκισμὸν, *illud ipsum domicilium, quod Solis contraxerant*, in rusticum atque agreste loquendi genus degeneraverint: unde etiam tales universos, Solœcos vocatos, hoc est, barbaros, ad exemplum τῶν ἐν Σόλοις οἰκησάντων, *eorum, qui Solis domicilium habuerunt.* Sunt & Soli in Cypro, quorum cives dicti Solii. Post Ciliciam est etiam Commagena Cappadocia; immo verò & in flexuoso Issici sinus littore Syria, hoc est, Phœnice, protracta usque ad Casium montem: quem quidem montem & maritimum vocat, & βαθύκρημνον, *præcipitia alta haben-*

bentem, ad quem ferè montem Issici sinus circuitus, in occasum conversus, desinit, iis nimirum, qui à partibus borealibus usque ad illa loca perveniunt. Sciendum autem est, DIONYSIUM τὴν Κομμαγηνὴν, *Commagenen*, dicere Κομμαγεηνὴν, *Commageenen*, pleonasmo τῦ ε, propter rectam rationem metri. Ceterùm observa, in Commagenâ illâ Cappadociâ sitam esse Melitenam, & Amanum, quem vocant, montem. Est autem is, pars Tauri. Sed & illud observa, percelebrem esse & dignam, quæ commemoretur, Commagenen hanc regionem: quandoquidem ii, qui Syriam universam in quinque partes distribuunt, partes ejus ponunt, Commageenen, & Seleucidem, & Cœlen Syriam; postremò Phœnicen maritimam, & Judæam in mediterraneo. Regionem dicit γαίας, *terras*, in illis verbis: γαιάων Ἀσίης, *terrarum Asiæ*. Sed aliquantò post γαίας, *terras*, dicit alias quoque urbes Macedonicas.

CXXIII. Quod alii, ἐν ἀρχῇ λόγυ, *initio*

initio orationis; &, περὶ ὀλίγω δὲ, *paullò ante*; dicit ipse, ἐν προώτοις, *in primis, a primo, in principio, in exordio.* Quippe sic loquitur: Οἶδα ἐμοῦ ἐν πρώτοις ἀκούσας, *Scis, tete ex me in principio audisse.* Πλευρὰν, *costam*, muliebri genere dixerunt, & πλευρὸν, *latus*, neutro. Eandem etiam πλευρὰν, vocat πέζαν, *extremitatem, qualis est in imâ plantâ pedis*, præ inopiâ alterius vocis idoneæ. Quin & eandem suprà dicit κρηπῖδα, *crepidinem, basim, fundamentum.* Est autem latus, linea in figurâ, carens angulo. Cœlen, seu Cavam, Syriam sic vocari ait ἐπώνυμον, *cognomine ad rem ipsam apposito*, hoc est, Cœlen dici φερωνύμως, *nomine congruente prorsus cum ipsâ re, remque ipsam, ex qua acceptum est, referente atque exprimente*, propterea quòd eam mediam, atque in humili depressoque loco jacentem habent atque intercipiunt montes duo, tum Occidentalis Casius, situs ad mare, tum Orientalis Libanus, à quibus ea comprehenditur atque continetur. Sic

etiam

etiam HOMERUS Lacedæmonem dicit Cœlen, ſeu Cavam, eo quia undique in orbem incluſa atque intercepta eſt montibus. Attamen ita Geographus: Libanus & Antilibanus, montes duo, veluti paribus inter ſeſe ſpatiis diſtantes, efficientes Cœlen, quam vocamus, Syriam, deſinentes prope à montibus Arabicis, ultra Damaſcenam regionem ſitis, in alios montes, collibus atque tumulis frequentes, bonorumque fructuum feraces; iidemque paullò ſuprà mare incipientes; Libanus quidem ſuprà mare Tripolitanum; Antilibanus verò ſupra mare Sidonium. Atque hæc quidem Geògraphus. Verùm DIONYSIUS Cœlen Syriam & urbibus frequentem dicit, & multis atque opulentis hominibus abundantem; repetitioneque etiam utitur, in his de eâ verbis:

greſſum ad noton effert;
Ad noton atque ortum.

Præterea verò Geographus: tota, inquit, ultra Seleucidem regio, ad Ægyptum

tum & Arabiam extenta, Cœle Syria appellatur; propriè verò, quæ Libano & Antilibano definitur. Syria porrò vocata eſt à Syro. Narrant enim Libyæ filium Agenorem, cujus & Tyrûs filii, Phœnix, Syrus, Cilix, à quibus ipſæ regiones; itemque Cadmus, à quo Cadmea denominata. Cœles Syriæ qui in continente incolunt, populi nimirum mediterranei, hi ſanè huic Poëtæ Syrii, hoc eſt, Syri, vocantur; qui verò ſunt ad mare, tametſi & ipſi Syri; tamen & Phœnices ſunt cognomine, gens Erythræa. Scribit porrò HERODOTUS, hos ex mari Erythræo, quod vocant, tranſgreſſos, maritima Syriæ incolere, & quidquid eſt hujus tractus uſque ad Ægyptum, Palæſtinam vocitari. Unde & videntur, ut DIONYSIUS obiter ſignificat, ita dici ἐπωνύμως, *nomine ad rem ipſam appoſito*, ſeu *appoſitè ad rem, quam nomen ipſum ſignificat*, nimirum φερωνύμως, *nomine conveniente cum ipſâ re, & rem, ad quam ſignificandam acceptum eſt, ex ſe ipſo referente*: quippe

pe quum idem prorsus sit Phœnices & Erythræos dicere, sicuti etiam phœniceum colorem, & erythrum, seu rubrum. Sed enim alii vocatos eos aiunt Phœnices à Phœnice, Agenoris filio, ut jam dictum est. Vocatur autem, secundùm veteres, Phœnice, universa maritima regio ab Orthosiâ usque ad Pelusium, angusta, planaque ad mare, atque demissa. Rursus sciendum, Cœlen Syriam dictam ad distinctionem alterius. Quare etiam postea dici DIONYSIUS, Cœle Syriæ succedere alteram Syriam, eamque usque ad Sinopen protrahi, ubi, ut suprà scriptum est, esse ait Assyrios. Vide verò, ut, quemadmodum Phrygiæ incolas, non Phryges modò; sed etiam viros Phrygios dicimus, unde etiam oppidum Phrygium; & Lydiæ incolas, Lydos & Lydios; & Arabiæ incolas, Arabesque & Arabios; sic etiam habitatores Syriæ, Syrosque & Syrios vocamus. Porro autem τὸ Σύρος, *Syrus*, muliebre habet in ρα. Dicitur namque ἡ Σύρα γλῶσσα, *lingua*

lingua Syra. Phœnices primi periculum maris navibus fecerunt : ficuti etiam HOMERUS ait, cum eos navalis rei peritiſſimos commemorat. Primi quoque mercaturæ maritimæ meminerunt, & profundam cœleſtium ſtellarum viam deprehenderunt, non quòd ii cœlum polis, hoc eſt, circulis, diviſerint (hoc enim, ut ſuprà dictum eſt, inventum fuit Ægyptiorum, propter aſtronomiam); ſed quod ſideribus jam diſpoſitis, atque in quaſdam veluti claſſes diſtributis, & quæ de aſtrologiâ, Ægyptii præceperant, iis tandem Phœnices, negotiationis mercaturæque cauſsâ, mentem adhibuerint. Rei porrò navalis Phœnicum ſcientiſſimi Sidonii. De his verò ita Geographus: ficuti Ægyptiorum inventum Geometria, ex locorum deſcriptione, quam Nilus exundando, confuſis agrorum terminis, exercet, ac perficit; ſic à Phœnicibus ad Græcos profecta eſſe creditur Aſtronomia atque Arithmetica. Aſtrologiæ namque & Arithmeticæ periti Sidonii, quippe

quippe qui veluti mercatores & navicularii, à ſupputationis ratione atque à navigatione nocturnâ, initium duxerint, hoc eſt, ratione mercium ineundâ, conjecturâque ex aſtris, veluti ex quibuſdam ſignis, faciendâ de navigatione nocturnâ, initio hoc poſito, aditum inde & Arithmeticam, & Aſtronomiam habuerunt. Ceterùm ARRIANUS de Rebus Alexandri teſtatur, Phœnices navigationes ſuas ad parvam urſam magnâ curâ inſtituiſſe atque accommodaſſe; ceteros verò mortales ad majorem. Scribit ille etiam, parvam eandem eſſe atque Cynoſuram; magnam verò, eſſe ipſam Helicen, à qua etiam Achivi ἑλίκωπες, *Helicopes, quaſi ad Helicen reſpicientes*, ut nonnulli quidem opinantur. HERODOTUS autem conjectat, litteras, quæ non eſſent apud Græcos, inde traditas fuiſſe ab iis Phœnicibus, qui cum Cadmo in Græciam venerunt; Phœniciaſque eas litteras appellatas.

CXXIV. Urbs Phœnices, Iope, ita vocata, vel ab Ione, vel ab Iope,

Æoli filiâ, Cepheique uxore, a quo ipſi quoque Ægyptii, Cephenes. Gaza Phœnices, nunc Palæſtinæ. Vocata ea olim etiam Aza, vel ab Azone, Herculis filio, vel quia Juppiter, urbe eâ ædificatâ, reliquit ibi ſuam ipſius azam. Sic autem vocant Perſæ divitias atque opes. Elais, urbs Phœnices, ita dicitur, eo quia ferax eſt τῶν ἐλαιῶν, *olivarum*. Inſula fuit olim Tyrus, quæ tunc erat peninſula. Nomen autem accepit à Tyro, Phœnicis filio, vel à Tyrone muliere, cujus ex Agenore filia Europa, ex qua regio denominata fuit. Conjuncta eſt autem Tyrus continenti, aggere, quem extruxit Alexander, cum urbem obſideret: quo etiam tempore Satyrus in ſomniis viſus, pro ſomnii ambagibus atque obliquitate, reſponſum illud regi dedit: σὰ Τύρος, hoc eſt, σὴ, Doricè, *Tua Tyrus*, &, ὑπὲρ τὴν σὴν ἐξουσίαν ἔσαι ἡ Τύρος, *ſupra poteſtatem tuam erit Tyrus*. Colunt autem Tyrii majorem in modum Herculem, varioque ii ſunt atque multiplici artificio. Eſt

etiam,

etiam, ut aiunt, purpura præstantissima Tyria. Ad hæc, Geographus scribit, maximam, secundùm Sidonem, esse Tyrum, eamque esse antiquissimam, portusque duos habere; factisque aliquando terræ motibus, parùm absuisse, quin ea funditus deleretur; &, quamvis obsidente eam Alexandro, magnas clades acceperit; tamen ipsam semet postea ab his cladibus naviculariâ refecisse, qua Phœnices mortales cunctos longè antecellunt. Est autem & in sinu Persico Tyrus insula, sicuti etiam Aradus. Dicitur quoque fuisse Tyri templum Herculis opulenter sumptuosèque exornatum; & columnæ duæ, HERODOTO teste, altera ex auro obryzo, altera ex smaragdo lapide, de nocte splendente.

CXXV. Urbes Phœnices effert cum epithetis, veluti qui magnâ verborum copiâ abundet atque affluat. Vocat namque Tyrum Ogygiam, Berytum amabilem, Byblum maritimam, Sidonem floridam, Tripolim pinguem. Itaque

 de

de Tyro dictum est, quod satis esse videbatur. Sidon verò, circa quam Bostrenum fluere ait, amœnum oppidò amnem, oppidanos habet artificiorum varietate, atque elegantiâ perinsignes. Tales porrò Sidonios clarè demonstrant pepli illi apud Poëtam, omnigenâ artificii colorumque varietate à Sidoniis mulieribus elaborati, atque etiam certè crater ille Eveni, qui in toto terrarum orbe pulchritudine præstabat. Hos verò Sidonios quidam aiunt coloniam esse eorum Sidoniorum, qui sunt in sinu Persico. Atque hîc veteres historiarum contradictiones insimulant. Alii namque eos Phœnices atque Sidonios, qui apud nos vocantur, coloniam esse aiunt & Sidoniorum, & Phœnicum, qui sunt ad Oceanum, qui & caussam adjiciunt, quamobrem Phœnices vocentur: propterea quòd, inquiunt, illud etiam mare dicitur Erythræum: quippe quum idem penitus sit Phœnicemque dicere & Erythræum. Alii verò e contrario illos tradunt coloniam esse horum, qui apud

nos

nos appellantur. Verùm de hac ipsâ Sidone, quæ eſt in Phœnice Syriæ, hiſtoria fertur hujuſmodi: Filia Iûs, Libya. Hujus & Neptuni filii, Agenor, Belus & Enyalius. Beli, Side & Ægyptus & Danaus. Atque ex his quidem, à Side denominata eſt Sidon, Ægypti regio ipſa cognominis, à Danao Græci, Danai. Jam verò ſuprà alicubi dictum eſt, DIONYSIUM, poſt HOMERI veſtigia, producere primam τῆς Σιδῶνος, *Sidonis*; corripere verò τὸ ό obliquorum, tametſi id poſteriores e contrario producant. Sed & ſuprà dictum eſt, Sidonios, tanquam mercatores & naviculários, Aſtronomiæ atque Arithmeticæ ſcientiâ plurimùm valuiſſe. Fertur autem arena eſſe Sidoniis, vitri instar perlucida, atque ad fundendum idonea.

CXXVI. Berytus porrò condita eſt à Saturno, atque ex parvâ magna & valida evaſit. Quare etiam ita eſt appellata. Beruti namque dicunt Phœnices vires ac robur. Alii verò ſic eam vo-

catam censent à magnâ copiâ & abundantiâ aquarum. Ber enim ibi apud incolas vocatur puteus. Narrant etiam, eam à Tryphone tyranno exhaustam atque exinanitam, postea refectam reparatamque fuisse à Romanis, nimirum restitutam, atque instauratam. Acuitur autem τὸ Βηρυτὸς, *Berytus*, veluti vox trium syllabarum, pariter atque τὸ Κωκυτὸς, *Cocytus*, & Τωρυτὸς, *Torytus*; longumque habet τὸ ύ apud DIONYSIUM. Byblus verò, ipsa quoque condita est à Saturno, urbs Adonidi sacra, regia Cinyri antiquissima, à Byblo nescio quo ductore exercitus, vel à Byblo muliere ita appellata, vel eo quia vetustæ omnis βύβλω, *papyri*, ut veteres volunt, custodia ibi esset innoxia, vel etiam propterea quòd Isis Osirin plorans, diadema ibi capitis deposuerit, quod erat ex βύβλῳ, *byblo*, seu *papyro*. Ægyptiâ. Planta est ἡ βύβλος, *papyrus*, qualis à veteribus describitur, nascens in paludibus Ægyptiacis, ramus nudus, seu caudex, ut illi quidem aiunt, habens

bens in summo chartam: multaque ea sanè nascitur in partibus inferioribus Deltæ: qua quidem meliorem eam esse aiunt, quam saccrdotalem appellant. Hujus autem bybli, seu papyri, pars inferior ad cubiti mensuram comeditur, ut HERODOTUS ait, torrefacta maximè in furno elucente atque perspicuo. Sed inquirendum, an ex hac istâ byblo, quippe quæ texi aut complicari, aut alio aliquo modo facilè componi atque compingi posset, scribæ, quorum est libros, rerumque litteris mandatarum commentarios custodire atque adservare, talem aliquando confecerint, eaque ipsa appellatio, versâ litterâ υ in cognatam ancipitem, ad nos usque perduraverit. Fiebant autem & calceamenta ex plantâ hac byblo. Quippe sacerdotes Ægyptii byblina, seu papyracea, calceamenta gestasse olim feruntur. Ad hæc, in construendis ædificandisque navibus, earum commissuræ byblo, seu papyro, resolvebantur, & vela etiam navium ex byblo fiebant; ac

præterea pontem Xerxis in Abydo, ut HERODOTUS narrat, Phœnices lino albo, Ægyptii byblo junxerunt. ÆLIUS porrò DIONYSIUS de Vocibus Atticis, clariùs quodammodo describit ac repræsentat bybli plantæ naturam, ubi de philyrâ plantâ dicit, philyram corticem bybli habere, similem papyro, quo ex cortice nectunt etiam coronas. Atque hæc quidem de byblo.

CXXVII. Tripolis verò, cui Geographica historia conjunctam atque continentem ponit, eam, quam Dei Faciem appellant, ita vocata est, eo quia coloniam deductam habet ex urbibus, Tyro, Sidone, & Arado: de qua sanè dictum est, ubi de insulis. Sunt autem & aliæ Tripoles diversæ. Urbs etiam Phœnicum, Orthosis, itemque Marathus. Quod autem sciendum est, Ὀρθωσίδα, *Orthosidem*, sic alii vocant τὴν Ὀρθωσίαν, *Orthosiam*; Et fortasse hoc isto modo DIONYSIUS, sicuti πορθμὸν, *fretum*, dicit πορθμίδα, & τὰς Ἀμαζόνας, *Amazones*, Ἀμαζονίδας, *Amazonides*;

des ; & τὴν Ἀσίαν, *Asiam*, Ἀσίδα, *Asidem* ; & montium τὰς κνημὰς, *tibias*, κνημῖδας· & τὴν Κασπίαν, *Caspium mare* ; Κασπίδα, *Caspidem* ; sic etiam τὴν Ὀρθωσίαν, *Orthosiam*, vocat Ὀρθωσίδα, *Orthosidem*. Marathus porrò, non hæc modò urbs Phœnices, circa quam amnis fluit Marathias appellatus ; sed etiam altera Europæa in Acarnanum finibus, ex qua Musicus ille DIODORUS. Laodicea, urbs Phœnices, nomen accepit à Laodice, Antiochi sorore, ut paullò post dicetur. Est autem & altera Laodicea Lydiæ, quam ædificavit Antiochus, Antiochi & Stratonicæ filius, oraculo in somniis uxori ejus edito, id ut faceret. Laodiceam verò illam Phœnices, Albam Actam vocatam olim fuisse aiunt, & Rhamantam, eo quia pastor nescio quis fulmine percussus, exclamavisset Rhamantas, id est, ex alto deus. *Rhaman* namque, linguâ ibi vernaculâ, sonat altum, seu sublime ; *athan* verò, deus. Diversæ Laodiceæ quarum vini feracissima, hæc Syriaca.

Hæc ipſa porro urbs, bifariam effertur. Etenim Laodice dicitur quatuor ſyllabis, & per paragogen, Laodicea, ut Apame, Apamea; Europe, Europea, & quæcunque alia hujuſcemodi.

CXXVIII. Sicuti apud HOMERUM in Odyſſeâ Ποσιδήϊον, *Neptunium*, quod eſt apud Phæaces, quartam à fine habet per ί, ſyllabam nimirum σι, ita & hoc loci apud DIONYSIUM; ubi DIONYSIUS dicit per periphraſin, Ποσιδήια ἔργα, *Neptunia opera*, nimirum Ποσιδήιον, *Neptunium*, eſſe ad ſacra illa Tempe Antiochiæ, hoc eſt, ad nemoroſos lucos, & convalles Daphnes, de qua paullò poſt dicetur. Ποσείδιον, *Neptunium*, quatuor ſyllabis, integrâ ac perfectâ voce, fanum dicitur τῦ Ποσειδῶνος, *Neptuni*; & alteram quidem à principio habet per diphthongum, more eorum nominum, quæ collectionem quandam atque continentiam ſignificant; penultimam verò per ί, unâ diphthongi litterâ rejectâ, qua etiam ratione OPPIANUS, attenuatâ in ſimpli-

plicem vocalem diphthongo, quemadmodum suprà dictum est, per ἰ scribit antepenultimam τῦ ἀλγεινόεις, *molestus*, seu *mærore afficiens*. Verùm hoc istud integrum vocabulum Ποσιδεῖον, *Neptunium*, per dissolutionem, ex quatuor syllabis transit in syllabas quinque, quo etiam in genere ὁ λιμὸς, *fames*, ex λέλειμμαι, *defeci*; itemque ἡ ἰδέα, *forma*, seu *species*, ex εἶδος, *species*, *forma*, *genus*; & αἱ χειάδες, *manuum fissura*, ex χεῖρες, *manus*; denique τὰ χίμετλα, *perniones*, ulcera, quæ ἐν τῷ χειμῶνι, *in hieme*, ex nimio æstu atque ardore ut plurimùm fiunt. Ex historiâ, sita est supra Antiochiam Daphne ad stadia quadraginta, pagus quidem mediocris; sed luco ingenti & opaco, cujus ambitus stadiorum octoginta, eoque fontanis aquis irriguo, quo quidem loci indigenæ festos dies magno hominum conventu ac celebritate agebant: ubi & asylum erat, fanum sacrosanctum atque inviolabile. Verùm de his ita ARRIANUS: In Daphne, quæ est ad Antiochiam, lucus

lucus facer Apollini, & ipſa illa Daphne Ladonis, quæ Apollinem fugiens amatorem ſuum, ſummis precibus optavit, ut e medio ſublata, ſub terram conderetur; votorumque ipſa ſuorum compos eſt facta. Alii verò de eâ ſic aiunt: Daphne ad Antiochiam, quæ urbs olim Heraclea, ubi multas cupreſſos plantavit Seleucus Nicator: prope quam Antiochi Epiphanis curia. Hanc terræ motus miſerè afflixit, dirutâ tertiâ parte urbis, ita ut Antiochenſes inſcriptionem hanc poſuerint: ſuperſtites ſervatori deo erexerunt. Volo autem, obſerves, ut hæc quidem ἡ Δάφνη, *Daphne*, dicitur numero ſingulari; at verò locus ad oſtium Nili Peluſiacum, multitudinis numero, Δάφναι, *Daphnæ*, dicitur apud HERODOTUM. Ethnicorum porrò ſcriptor, quum hanc ipſam Daphnen ſuburbium Orientalis illius Antiochiæ nobiliſſimum maximèque inſigne appellaſſet, ſubjicit, aliam eſſe Daphnen, locum Lyciæ, & in ore ipſo Ponti portum Daphnen, ad dextram ei, qui in altum

altum provehitur; ibique etiam ſuburbium eſſe à ſiniſtrâ iis, qui, conſcensâ nave, enavigant.

CXXIX. Mediis in urbibus, ſeu mediterraneis, Phœnices, eſt etiam Apamea, illa quidem olim pagus, & Pharnaſce vocitata, poſtea verò, urbs, eaque ſita in mediterraneo, & Antiochenſibus quidem ad auſtrum; quæ & aliquando Cherſoneſus, ſeu peninſula, vocata fuit ab ambitu circumfuſarum ibi aquarum. Quin & Pella nominata fuit à Macedonibus, qui ibi habitarunt, propter Pellam illam Macedonicam, patriam Philippi. Hac in urbe Seleucus elephantos quingentos, majoremque exercitus partem aluit. Ferunt etiam, apud Medos Laodiceam eſſe & Apameam, aliaſque urbes Macedonicas. Quemadmodum autem Apamea, quam Nicomedes ille Epiphanes, ſeu Illuſtris, ædificavit, nomen accepit ab Apamâ neſcio qua muliere; ſic etiam hæc ipſa apud Dionysium Apamea. Sic enim à veteribus proditum eſt: Antiochia illa

ad

ad Daphnen, & Apamea illa Syriæ, ab Antiochiâ, austrum versus, in mediterraneo sita; nec non Laodicea, & Seleucea, conditæ fuerunt à Seleuco Nicatore: quæ & sorores propter concordiam, qua conjunctæ inter sese & consociatæ erant, vocabantur. Atque illa quidem maxima, ut perhibent, denominata fuit à Seleuci patre, Antiocho; altera verò munitissima, ab eo ipso denominata. Apamea porro nomen uxoris tulit; Laodicea verò matris. Verùm de Antiochiâ alii sic narrant: Antiocho, Seleuci patri, tres in somniis mulieres sese visendas obtulisse, quarum unaquæque extruere urbem vellet; eum verò suspicatum, illas esse, uxorem, matrem, sororem, de nomine Laodices sororis, Laodiceam; de nomine Nyssæ uxoris, Nyssam; de nomine Antiochidis matris, Antiochiam ædificasse. Præterea verò de Antiochiâ hæc etiam commemorantur: eam quoque Theopolin vocari cœptam ab Justiniano Justini Thracis consobrino; eamque ad Silpium montem

montem sitam esse ; ubi & locus est Iopolis, ab Ione ibi demortuâ, quæ & Isis postea vocata fuit : ut & filius ejus Epaphus, Apis : quumque ea quadruplici urbe constaret, muroque tum communi, tum etiam singularum illarum urbium proprio muniretur, primam quidem urbem Seleucum, cognomento Nicatorem, condidisse, atque habitatoribus frequentasse, ad quem Asiæ tunc imperium pervenerat ; alteram verò oppidanos ipsos ædificasse ; tertiam Seleucum Callinicum ; quartam Antiochum Epiphanem. Sunt autem Antiochiæ ferè quatuor & decem, ut harum rerum periti, atque in historiis versati exponunt. De quibus sanè Antiochiis hæc, quæ Cœle Syriæ præsidebat, viribus & magnitudine non multò inferior habebatur Seleuciâ illâ ad Tigrim, & Alexandriâ illâ Ægypti. Quà Apameæ ager jacet ad orientem, delabitur liquidus Orontes, isque immensus, qui ex Cœle Syriâ ortus, & sub terram delatus, deinde fluento suo erumpens, &

per

per Apamensium agros ad Antiochiam progressus, urbique appropinquans, Antiochensium territorium medium dirimit, non quòd urbem ipsam mediam dividat, ut Tarsum Cydnus; sed quòd loca illa præterfluat. Geographus item scribit. Orontem in Syriâ, postea quam sese in voraginem abdidit, sitam inter Apameam, & Antiochiam, quam Charybdin vocant, inde rursus emergere ad stadia quadraginta, deferrique in mare, quod est ad Seleuciam; & eum quidem amnem Typhonem priùs vocatum, propter fabulam illam de Typhone, quæ perscripta est in Iliade; sed nomen postea commutasse, nomenque ejus assumpsisse, qui pontem fluvio imposuit, qui quidem Orontes vocabatur. Atque ad hujus fortasse differentiam, fluvium ipsum DIONYSIUS liquidum Orontem cognominat: aut etiam aliter simpliciùs, liquidum dicit, pariter atque Iaonem, fluvium Peloponnesi. Alii tamen aiunt, Tiberium Cæsarem, cum ἐξ Δεάκοντος, *Draconte*, Orontem transnomi-

nominasse, quod Romanâ linguâ Orientalem significat. Universa illa Antiochena regio & pinguis & pascua est, idoneaque & percommoda ad oves pascendas, fructusque arboribus augendos. Metropolis autem hæc erat Syriæ; quique Syriæ imperabant, regiam sibi in eâ constituerant; fuitque ipsa Seleucidis portionis. Ubi sciendum, partem optimam Syriæ esse, quam Seleucin vocant, eandemque Tetrapolin appellatam, propter τὰς τέσσαρας, *quatuor*, in eâ eximias atque excellentes πόλεις, *urbes*: quæ quidem erant Apamea, & Laodicea, de quibus suprà dictum est, ipsaque hæc Antiochia, & Seleucia, sita illa in Pieriâ monte, qui mons Amano adhæret, quam quidem Seleuciam historia esse tradit propugnaculum perinsigne planèque inexpugnabile. Multas autem esse Antiochias, & si quid aliud dictum oportuit, tanquam in summario quodam, atque compendio, scriptum est suprà.

CXXX. Australior Arabia, quàm

Syria. Arabicus item ſinus medius volvitur inter Syriam & Arabiam, paullulum ad orientem converſus, nimirum declinans atque devergens, uſque ad Σιλανὺς, *Selanos*, quos aliqui efferunt voce oxytonâ, ſimiliter atque τὺς Ἀλανὺς, *Alanos*, Γερμανὺς, *Germanos*, aliaque gentilia hujuſcemodi. Gens namque Selani Arabica. Ac vide, quouſque porrectam protentamque Syriam velit, quam ſuprà dixerat ad auſtrum ſerpere. Quare etiam Arabes ipſos nonnulli Syros vocarunt, propter eorum inter ſeſe ex vicinitate admixtionem. Extrema namque Syria ad auſtrum conjuncta eſt Arabiæ.

CXXXI. Quod ad Arabiam attinet, quam amabilem vocat, Arabes ibi quidem ὄλβιςοι, *beatiſſimi*, hoc eſt, fortunati, felices, opulenti. Namque ὄλβος, *beatitudo*, felicitas eſt atque opulentia. Atqui hæc iſta ſanè regio Arabia Felix appellatur. Horum autem regio, duplici, inquit, mari cincta eſt, Perſicoque & Arabico, inter quæ media ſita eſt

est regio hæc Arabum. Observa verò alibi etiam suprà usurpasse τὸ ἔζωσαι, *cincta est*, in simili significatione; itemque observa, in illo, ὀλβίστων Ἀράβων, *beatissimorum Arabum*, scripturam τοῦ Ἄραψ, *Arabs*, perspicuè esse per unicum ac simplex ρ. Sicuti etiam ubi dicit, ἁβροβίων Ἀράβων, *delicatam mollemque vitam agentium Arabum*, tametsi aliis in locis pleraque exemplaria multum illum stridorem τοῦ ρ, ex litteræ hujus immutabilis geminatione, resonent. Dixerit tamen fortasse aliquis, excidisse nunc propter metrum immutabilem unam: unde & prima correpta sit syllaba. Duplicare enim plerique volunt τὸ ρ, tanquam ab ἀ, privationis notâ, & verbo ῥάπτω, ῥάψω, *consuo*, *consuam*; indeque veluti συῤῥάπτουσι, *consuunt*, nomen ipsum τῶν Ἀράβων, *Arabum*, quippe qui vestimenta minimè omnium ῥάπτουσι, *suant*; sed texta, seu telas circumvolvant. Propterea igitur in τῷ Ἄῤῥαψ, *Arrabs*, ex necessitate inesse docent geminationem τοῦ ρ, ut in ἄῤῥηκτος,

 mini-

minimè fractus, & ἄῤῥητος, *infandus*, seu *arcanus*, & ἀῤῥαγὴς, *infrangilis*, aliisque vocibus hujuscemodi. HESIODUS tamen, ubi dicit κούρην Ἀῤῥάβοιο, *puellam Arabi*, ex quo etiam appellata videtur Arabia, unâ solâque immutabili, primâque syllabâ correptâ, ipse quoque satis indicat, scribi oportere τοὺς Ἄραβας, *Arabes*. Quin is etiam, qui Ethnica conscripsit, scribit eos unâ simplicique immutabili. Ac fortasse exemplarium pervicacia geminationem hanc τοῦ ρ' ex potestatis suæ jure atque licentiâ intrusit: quando etiam primam præpositionis παρὰ apud hunc Poëtam vetusta pleraque exemplaria proferunt cum duplici immutabili, ut ibi dicit Παῤῥαλίην Ἔφεσον, *Maritimam Ephesum*. Quasi scilicet sine duplici illâ immutabili produci nequaquam posset penultima præpositionis παρά. Sicuti etiam apud HOMERUM in illis verbis: Αἴσιμα παῤῥειπών, *Recta admonens*. Hoc item loci usurpavit τὸ ἑκάστη, *unaquaque*, pro ἑκατέρα, *utraque*, usus his verbis de aquâ

quâ utriusque maris, Persici atque Arabici: *ἄνεμον δὲ ἔλαχεν ἑκάστη, Ἀραβία ζέφυρον, Περσὶς εὖρον, Ventum sortitum est unumquodque mare, Arabicum zephyrum, Persicum eurum.* At enim rectum erat dicere, *ἑκατέρα θάλασσα, utrumque mare*, nisi metrum prohibuisset. Profusus admodum in laudes celebrandas Felicis illius Arabiæ, in eâ aliquantò diutiùs immoratur, & tum Arabes ipsos *ἁβροβίους, mollem ac delicatam vitam agentes*, vocat, ut & paullò ante *ὀλβίστους, beatissimos*, tum eam maximam appellat, tum claras valdeque beatas gentes incolere eam dicit. Aliud verò, inquit, permagnum eximiumque miraculum sortita est. Cujusmodi illud? Semper aromatis suaviter olet, vel myrrhâ, vel benè odorato calamo, vel divino, beneque maturo ac concocto thure, vel casiâ, vel thyâ, quod quidem genus esse aiunt arboris benè odoratæ. Quanquam etiam alioquin *θύον, thyon*, generatim dicatur genus omne aromatis. Quapropter ipse etiam superiori jam

 versu

versu dixerat: *κηώεσσα θύοις ὕπο*, *fragrans aromatis*, hoc est, suffimentis, reddentibus bonum odorem, seu bene & suaviter olentibus. Sciendum autem est, *τοῦ λιβάνου*, *thuris*, arboris fructum, dici apud veteres *λιβανωτὸν*, *thus*; adeoque magnâ copiâ thus ibi provenire, ut mille thuris talenta Arabii regi ultro attulerint. Non enim, propter servitutem, dicto audientes Persis fuerunt, ut tradit HERODOTUS; sed hospitali cum iis necessitudine conjuncti. Idemque etiam scribit, in unâ solâque Arabiâ thus nasci, & casiam, & cinamomum, & ledanum: quod sanè, inquit. Arabii ladanum vocant. Vide verò, ut cum patrio casu construit *τὸ ὄζει*, *olet*, in his verbis: *ὄδωδε θύου*, *ἢ σμύρνης*, &c. *olet thya*, *vel myrrha*, &c. Ubi etiam considerandum, an, qui hoc loci dicitur bene odoratus calamus, idem sit atque calami illi Indici apud Geographum, quos ille ait mel gignere; an verò hic calamus, veluti bene odoratus, maximè ab illis differat, qui mini-

minimè sint tales. Sciendum autem est, ex antiquâ historiâ, Alexandrum, post reditum ex Indiâ, Arabiam, regiam suam facere cogitasse: & Scenitas esse Arabes ultra Euphratem usque ad Cœlen Syriam.

CXXXII. DIONYSIUS, quum brevi concisoque præconio Arabiam proximè ante exornasset, fabulam subjicit de Baccho, quem verè ibi Juppiter e femore εὐῤῥαφεῖ, *bene suto*, dissolverit, ùnde etiam Bacchus, ut dictum est suprà, vocatus est, secundùm quosdam, Εἰῤῥαφιώτης, *Eiraphiota*, *quasi Insutus*. Hoc autem ARRIANUS factum comminiscitur ad Sangarium, ubi sanè commemorat, ad Sangarii ripas Bacchum, posteaquam adolevit, Jovis vincula perrupisse. Verùm DIONYSIUS, secundùm ea, quæ dixi, apparatum subjungit natalitium. &, tanquam in graphicâ descriptione, clarè distinctèque enarrat, quæcunque tunc verisimile erat in hoc isto partu contigisse. Omnia enim, inquit, bene tunc odorata erant, &

oves densis velleribus onerabantur, & scaturientibus sponte aquis lacus diffluebant, & volucres, folia deferentes sincerorum purorumque cinamomorum, ab insulis desertis, iis fortasse, quæ sunt in mari Erythræo, veniebant; multâ denique ibi magnâque in felicitate incolæ versabantur. Quare etiam nunc sese arva thure jactitant atque efferunt, montes auro, flumina odoramentis: habitatores denique pinguem admodum populum habent, iique aureis mollibusque peplis gloriantur. Ad hæc, versibus persequitur, ut Liber pater & hinnulei pellem *κατωμαδίην*, *in humeros*, seu *ἐπωμαδίην*, *super humeros impositam*, expanderit, & hederâ coronatus fuerit, & summè ebrius à vino, atque subridens, veluti risûs ipse etiam amans, implexos thyrsos quassaverit, hoc est, ramos quosdam, qui & ipsi à Baccho gestabantur. Quoniam verò dicit *Periegeta* importari à volucribus cinamomum ex insulis desertis atque incultis, observa, satis hinc eum innuere, notam mi-

nimè

nimè eſſe regionem, quæ fert cinamomum, ſicuti etiam docet HERODOTUS. Ille namque enarrat, ut volucres feſtucas cinamomi ad nidos ſuos ferant, eaſque luto in rupibus præruptis atque inacceſſis agglutinent; Arabes verò magna carnium fruſta in illa loca projiciant, eaque fruſta aves ſurſum ad nidos ferant, ipſique nidi eo pondere graventur, atque ad terram decidant, itaque cinamomum colligatur. Videntur tamen apud ARISTOTELEM eodem prorſus nomine, quo apportatæ illæ feſtucæ, cinamoma vocari ipſæ etiam volucres, quæ has iſtas feſtucas apportant, ex quibus ſuos eæ nidos in locis inacceſſis conſtruunt. Hos porrò nidos incolæ, appenſo ad ſagittas plumbo, miſſiſque ſagittis, dejiciunt; itàque ex congeſtitiâ illâ materiâ, ut ait, cinamomum colligunt. Ceterùm τὸ ἐπάνυσε νεβρίδα, *extendit*, ſeu *expandit hinnulei pellem*, non eſt ſanè accipiendum pro *induit*; ſed pro *geſtavit*, *ſuſpendit*, ſive ἐνήψατο, *illigavit atque adnexuit*. Ἐνάπτεσθαι autem,

tem, *id est*, *illigari*, & καθάπτεσθαι, *alligari*, *atque appendi*, ea dicimus, quæ minimè fasciâ constringuntur; neque toti corpori sunt indumento; sed partem quandam tegunt atque operiunt; libera denique atque solutiora suspenduntur. Cujusmodi est pera, & pellis leonina, seu pantherina. Quin & ARRIANUS διφθέρας, *pelles*, seu *exuvias pelliceas*, dicit καθάπτεσθαι, *alligari*, seu *appendi*. Sic igitur & νεβρίδα, hoc est, pellem νεβροῦ, *hinnulei*, cervi nimirum recens nati, valde maculosam, seu multis maculis distinctam, Bacchus humeris ἐνάπτεται, *illigat atque appendit*. Idque facit, vel propter multiplices variosque motus ebriorum, ut suprà jam diximus, quam motuum varietatem significat atque repræsentat varietas illa atque multitudo macularum, vel propter varios colores uvarum, vel propter infirmitatem atque imbecillitatem consequentem ex ebrietate. Etenim hinnuleus animal est imbelle atque ad fugam paratissimum. At verò corona illa ἀπὸ κισσοῦ,

ex

ex hederâ, per quandam veluti notam atque in ænigmate, oſtendit vini τὸ κισσητὸν, vim nimirum, quam vinum habet, ut vehementiùs appetatur, ſive concupiſcatur. Siquidem τὸ κισσᾶν valet vehementiùs appetere, ſive concupiſcere. Thyrſi verò tacitè indicant ebriorum faciles promptaſque manus ad plagas inferendas, quippe qui πλεκτοὶ, *plexi*, ſeu *implexi*, appellentur, relato hoc verbo ad τὴν συμπλοκὴν, *ad manus conſertas*, præliantium. Ἀκροχάλιξ porrò οἴνῳ, *ſummè ebrius*, ſeu *plenus vino*, eſt ὁ ἄκρως κεχαλασμένος, *is qui ſummè laxatus, ac remiſſus eſt*; vel ὁ τῷ ἀκράτῳ χαλασθεὶς τοῦ φρονεῖν, *qui, propter merum, mente eſt laxatâ ac remiſsâ*, qualis ferè etiam ὁ χαλίφρων, *is, qui mente laxatâ eſt, atque emotâ*, ſeu *qui mente motus eſt*, apud Poëtam; vel qui non poteſt rectus conſiſtere, ſed deorſum verſus χαλᾶται, *demittitur, atque dejicitur*, quales ii, qui vino expleti ſunt, atque temulenti. Cinamomi autem germen (cremium, ut ait PORPHYRIUS, eſt Ara-

Arabicum) simile esse perhibent viti, quod qui olfacit, lacrymas hic fundit præ voluptate. Id ipsum autem in deliciis est regionis illius capris. Quocirca etiam adagium de iis, qui permagno erga aliquid amore afficiuntur: Capra cinamomum. Sciendum etiam est, à gente illâ Arabum, quippe qui, ut videtur, non probi admodum in cantu haberentur, in proverbii usum venisse illud, *Arabius tibicen*, qui, ut est in proverbio,

Drachmâ canens unâ, obticebat quatuor.

Usurpatur autem hoc proverbium de iis, qui verbosi perpetuò sunt, atque garruli, &, posteaquam multum verborum profuderunt, vix loquendi finem faciunt; vel de iis qui agrestes ac barbari sunt in cantu tibiæ.

CXXXIII. Arabum primi ultra declivitatem Libani, hoc est, quà Libanus ad austrum spectat, divites opulentique Nabatæi, à Nabatâ nescio quo appel-

appellati. Nabata porrò Arabicè idem esse dicitur, atque natus ex adulterio. Post Nabatæos, Chablasii, & Agreenses, quos Ethnicorum scriptor vocat Agræos: post quos Chetramis regio, seu, ut ab aliis vocata est, Chatramitis, e regione Persidis. Curam hi camelorum gerunt, quique ad Erythræi maris latus siti sunt Sabæ: ubi etiam Minnæi, gens & ipsa maritima. Sabas autem, alii etiam vocant Sabæos, quo loci memorant, Nabatæos & Sabæos Arabiam Felicem incolere, & felicissimam esse atque beatissimam regionem illam Sabæorum, gentis certè maximæ: apud quos & myrrha, & thus, & cinamomum, & balsamum: quumque quatuor gentes maximæ Arabiam incolant, harum unam illic esse gentem Minnæorum ad Erythræum, quorum urbs maxima, Carna; proximos autem esse Sabæos. Nabatæam porrò regionem populis frequentem esse aiunt, pascuisque admodum abundantem. Metropolis autem Nabatæorum, Petra. Feruntur Nabatæi

tæi temperantes esse ac moderati, censuique augendo dediti, adeo ut, qui rem familiarem atterat, publicè in eum animadvertatur; ei verò, qui rem familiarem auxerit, honores sint constituti. Præterea servitia habent perpauca, & consanguineis plerunque ministris utuntur, suntque ipsi sibi ministri ac famuli, ac vicissim inter sese ministrorum officio funguntur. Is verò, qui Ethnica conscripsit, testatur, hanc istam gentem Dacharenos vocatos fuisse, hoc est, Masculinos. Ex adverso Arabiæ Felicis ad zephyrum, tristium miserorumque solum Eremborum, nimirum Trogloditarum, de quibus libri hujus initio dictum est: qui, inquit, non, ut illi ab oppositâ parte siti, molli delicatâque vitâ Arabes, vitam degunt; sed vitam sub petris κατωρυχέσι, *suffossis*, immo verò καταῤῥωγέσι, *diffractis atque disruptis*, collocant, nudi atque à possessionibus inopes, iidemque arido corpore, ab ardore solis atque æstu, quo calefiunt, ferarum instar, oberrantes,

tes, moleſtiiſque atque doloribus affecti. Tum ſententioſum illud addit:

Neque enim omnibus æquam
Ipſe deus ſortem tribuit pariterque beatam.

Quod quidem ſimiliter dictum eſt atque illud: Non omnibus omnia deus dedit.

CXXXIV. Ultra Libanum ad orientem, Meſopotamiam verſus, altera Syria producitur, nimirum juxta Cœlen Syriam, protrahiturque etiam uſque ad Sinopen: quam, tanquam Cherſoneſum, ſeu peninſulam, allui dicit a mari. Hac alterâ in Syriâ *οἱ* Καππαδόκαι, *Cappadocæ*, mediterranei, quos Geographus, voce proparoxytonâ, vocat Καππάδοκας, *Cappadoces*, tanquam a recto, ὁ Καππάδοξ, *Cappadox*, qui, ut ſuprà traditum eſt, à colore albo dicti etiam Leucoſyri, *quaſi Alboſyri*, ad differentiam aliorum Syrorum, qui colore ſunt nigro. DIONYSIUS porrò Cappadocas artis equeſtris ſcientes vocat: qui & eos,

eos, qui ſunt prope mare Euxinum, ad Thermodontem, non Syros, ſed Aſſyrios, appellat, ut & ſuprà ſcriptum eſt, ubi de Sinope. Ac vide, ut manifeſtiſſimè hîc apparet, DIONYSIUM exiſtimare, duas eſſe Syrias, a quibus tertiam, diverſo nomine, habet Aſſyriam: quam ſanè, quemadmodum tum ex præcedentibus perſpicuè oſtenſum eſt, tum ex iis, quæ modò dicta ſunt, liquidò conſtat, poſt Chalybes eſſe commemorat: quam etiam ad mare Ponti Euxini, circa Thermodontis oſtium, circumſcribit. Itaque, ex ejus ſententiâ, una quidem Syria eſt Cœle, eaque auſtrum versùs uſque ad Arabiam progreditur, ut ipſe etiam exponit: cujus quidem pars, Phœnice maritima, ſecundùm eundem ipſum DIONYSIUM, cui Syrorum alii dicti mediterranei, alii mari proximi, cognomento Phœnices. Altera verò, Syria ſecunda, eaque ultra Libanum uſque ad Sinopen, cujus in medio Cappadocia. Tertii denique inde juxta

juxta mare Ponti Euxini siti sunt Assyrii. Hæc enim ejus verba :

Assyrii Pontum prope, ad ostia Thermodontis.

Nisi si quis fortè dicere hos velit Syros, nullo ponens in discrimine, ex nonnullorum sententiâ, Assyriorum nomen & Syrorum. Ceterùm de Assyriis alia ab aliis memoriæ tradita esse, satis alibi suprà dictum est : itemque Syriam plures in partes à quibusdam divisam fuisse, suprà pariter scriptum est, cum de Commagenâ regione ageremus. Verùm alii in tres eam partes diviserunt, in Cœlosyros, Syros, & Phœnices. Atque hæc quidem ita. Porrò autem in Cappadociâ magos fuisse narrant, qui Pyræthi nominabantur, quasi πῦρ αἴθοντες, *qui ignem accenderent*, & per eum vaticinarentur. Namque à Cappadoce nescio quo Cappadocas hos vocatos, id suprà quoque scriptum est. At verò Geographus scribit, Cappadociam quidem Persas in Satrapias, seu præfec-

turas duas divisisse ; Macedones verò postmodum in regna duo : quorum quidem alterum, propriè Cappadociam, & magnam Cappadociam, & Cappadociam ad Taurum nuncupaverint ; alterum verò, Cappadociam ad Pontum vocaverint.

CXXXV. Inde à Cappadociâ ad ortum, Euphrates ille amnis immensus, ab Armenio monte longus fluit, primùm in austrum, deinde, contortis flexisque cubitis ad orientem, mediamque Babylonem perfluens, in Persicum mare evomitur, circaque Teredonem, urbem Persicam, per Armeniam Magnam usque ad Parvam fluit. Deinde verò post Euphratem ad ortum, Tigris fluentum æquabile agens, sive ipse etiam similiter, secundùm alios, sese in cubitos flectens, itaque, post intervallum non sanè multum, ad æqualitatem cum Euphrate redactus, aquarum cursum cum eo communicat, simulque cum eo in mare illabitur. Quod autem inter hæc flumina spatium medium intercé-

terce-

tercedit, *μέσον*, ut ait, *ποταμῶν*, *mediam inter flumina*, regionem vocant, hoc est, Μεσοποταμίαν, *Mesopotamiam*. Sicuti etiam τὴν ἀκρόπολιν, *arcem*, *quæ est summitas urbis*, poëtæ, dissolutis vocibus, dicunt ἄκραν πόλιν, *summam urbem*; & τὴν Λευκόπετραν, *Leucopetram*, Λευκὴν πέτραν, *Leucen Petram*, seu *Albam Petram*; & τὴν Νεάπολιν, *Neapolim*, Νέαν πόλιν, *Neam*, seu *Novam*, urbem. Distant autem inter sese hæc flumina, quantùm, inquit, ad diem septimum vir robustus ac pernix, hoc est, celer viator, confecerit. Septem enim, inquit, dierum via media est inter hæc flumina homini succincto, hoc est, expedito ac levi ad iter agendum. Aiunt porrò veteres, contractionem hinc inde Mesopotamiæ, quum ad multam illa longitudinem procidat, similem quodammodò esse navi. Verùm horum duûm fluminum fontes distare inter sese aiunt ad stadia mille & quingenta. Celerrimus verò, inquit, fluviorum Tigris; neque illo sanè inter omnes flu-

vios alium θοώτερον, hoc est, ὀξύτερον; *celeriorem atque velociorem*, videris. Quare etiam, ut aiunt, Tigris appellatur, velox nimirum, ut jaculum. Medi enim Tigrin vocant sagittam. Sic autem & Acis, Siciliæ amnis, apud THEOCRITUM, propterea quòd, ut perhibent, similis est ἀκίδι, *spiculo*, fluenti sui celeritate. Verùm, ut quibusdam placet, huic fluvio appellatio est, παρὰ τὸν τίγριν, *a tigri*, animali: cujus casus gignendi, τίγριος, *tigrios*, apud ARISTOTELEM. Fabulantur enim, hunc fluvium, quum Scylax olim vocaretur, hoc est, præceps, seu declivis, appellatum postea Tigrim, hac istâ de caussâ. Ferunt, Bacchum, consilio ac voluntate Junonis, in insaniam incidisse; quumque itaret, quocunque eum casus ferret, ad hoc flumen pervenisse; quumque in ulteriorem ripam trajicere vellet, quò se verteret, nescivisse: sed misertum ejus patrem Jovem, tigrin animal misisse, quæ Bacchum vado deducens, tum ei præstitit, quod optabat, tum

tum flumen à sese vocandum reliquit. Præterquam quòd, vel extra explicationem hanc fabulosam, nominis ejusdem societatem habet hic fluvius cum animali, propter defluentium aquarum celeritatem. Fera enim tigris, non elephante modò multò robustior; sed cui etiam non facilè reperias, quod in celeritate compares aut assimiles. Quare etiam, quod Juliano datum est, oraculum fallax ac fraudulentum sese ea, quæ vulgi sermonibus feruntur, facturum promisit apud Therem, seu Feram, fluvium, nimirum apud Tigrim, qui nomen habet theris, seu feræ. Scribi autem per ί ultimam τῦ Τίγρις, *Tigris*, declinatio ipsa ostendit. Est enim apud Dionysium Τίγριος, *Tigrios*, casus gignendi, ut τῦ ὄφιος, *serpentis*: ut ex eo patet, quòd inde est genitivus Atticus Τίγρεως, *Tigreos*, ut Θύμβρεως, *Thymbreos*. Arrianus tamen per δ' declinat Τίγριδος, *Tigridis*: sicuti etiam is, qui Sosannam Drama conscripsit, id est, ut puto, Damascenus, quemadmodum

ex inſcriptione apparet. Sic etiam τὸ Ἄπις, *Apis*, nomen proprium, ubi ſermo eſt de Arcadibus, alii per δ' declinant Ἄπιδος, *Apidis*, ut Πάριδος, *Paridis*; alii verò id ipſum conformant ad exemplum declinationis τῦ ὄφεως, *ſerpentis*, quippe qui declinent Ἄπεως, *Apeos*. Quidam tamen declinant per ή, Τίγρης, Τίγρητος, *Tigres*, *Tigretis*, more Iambicorum in ής. Quin & alii primam ſcribunt per π'. Atque hæc iſta ſanè ſcriptura tum apud Julianum invenitur, tum etiam apud ARRIANUM de Rebus Alexandri. Multa enim vetuſtorum exemplarium ſic habent: Fluviorum, τῦ Εὐφράτυ καὶ τῦ Πίγρητος, *Euphratis atque Pigretis*, qui τὴν μέσην, *mediam*, inter ſeſe Aſſyriam dirimunt, unde etiam Meſopotamia ab incolis vocitatur, ipſe quidem Πίγρης, *Pigres*, humilior eſt atque depreſſior Euphrate. Eſt autem Tigris etiam amnis Paphlagonicus, de quo ita XENOPHON: *Primum, Thermodontem, latitudine trium jugerum; ſecundum, Tigrim trium ſimili-*

militer jugerum; tertium, Halyn. Declinat autem & hunc idem ipse per ὀ purum. Quin &, HERODOTO teste, non unus solusque est Tigris; sed & secundus & tertius; non idem certè, neque ex eodem fonte fluens; sed idem tamen nuncupatus.

CXXXVI. Thonitis, lacus est nitrosus in medio Tigri: quem in lacum ipse multo fertur cum fragore; itaque ad intimum lacus hujus sinum, ut à veteribus proditum est, in voraginem delapsus, atque ad multum spatium sub terrâ delatus, rursusque emergens, aquis suis puris ab omni permixtione, propter magnam illam celeritatem, servatis, Semiramidis monumentum præterfluit, relictâque ad dextram Mesopotamiâ, exit in sinum Persicum. At verò Geographus scribit, nitrosam hanc Thonitin, Arsenen quoque vocari, multosque eam pisces habere; purgareque præterea atque abstergere vestes; aquam denique habere minimè omnium aptam potui. Quin etiam dicit, tanto

ibi impetu, tamque vehementi, Tigrim percurrere, ut lacus, tametsi ille salsus, pisciumque expers, tamen dulcis hac in parte, plenusque piscibus fiat. Secundas sibi partes à fluminibus Indicis vindicant Euphrates & Tigris. Major Euphrates Tigri, fluente à Niphatâ monte, terrarumque tractus ampliores percurrit, delatusque Seleuciam, quæ hiberna sunt regum (æstiva namque in Ecbatanis agere illi dicuntur) contingit propiùs Euphratem, facitque cum eo, quam diximus, Mesopotamiam. At verò post illum ipsum Niphatam Abos mons, ex quo tum Euphrates fluit, tum Araxes, de quo suprà dictum est. Fluere autem idem ipse Geographus ait Euphratem per mediam Babylonem, in qua admirabilis hortus pensilis, de quo postea. Ad hæc, HERODOTUS testatur, mediam dirimi Babylonem ab Euphrate, qui ex Armeniis fluit, magnus jam atque profundus & celer, exitque in mare Erythræum. Idemque etiam Euphratem navibus transmitti com-

commemorat, terminumque eum esse Ciliciæ & Armeniæ affirmat. Babylonem verò, quam diximus, magnam quidem olim fuisse narrant; sed desertam postea ac desolatam fuisse. Narrant etiam, Ninum urbem apud Tigrim, multò majorem Babylone, ipsam quoque deletam, eversis rebus Persarum: cujus quidem magnitudinis argumentum, operositas ipsa ædificationis. Fertur enim ædificasse eam Ninus, rex Assyriorum, centum & quadraginta hominum millibus operam assiduè suam, annos octo, in eam urbem ædificandam impendentibus. Instructi autem valde a doctrinis, bonarumque artium studiis Babylonii, atque, ut HERODOTUS ait, ab iis Græci polum, & gnomona, & duódecim diei partes didicerunt.

CXXXVII. Nova illa figura: Ὅσση δὲ Εὐφράτου. καὶ Τίγριος ἐντὸς, ταύτην μέσσην φασὶ ποταμῶν, *Quacunque verò intra Euphratem, & Tigrim, hanc mediam vocant inter flumina*, seu *Mesopotamiam.*

tamiam. Consentaneum namque erat, ita dicere: *ὅση δέ ἐστιν Εὐφράτου, καὶ Τίγριος ἐντὸς, αὕτη λέγεται μέση ποταμῶν. Quacunque verò intra Euphratem, & Tigrim, hæc media inter flumina vocatur, seu Mesopotamia.* Verùm observa, quod in historiâ suâ tradit Geographus, Europæam quoque esse Mesopotamiam, quam incolunt Celti & Lusitani. Mesopotamiæ regionis laudes celebrat, in hæc verba: Neque illius certè pascua bubulcus quispiam vituperaverit, neque quicunque oves in agro stabulantes sequitur. Alia verò prorsus pascua bobus, alia ovibus idonea atque apta, ut ex Læstrigonum regione clarè apparet apud Poëtam. Adjicit etiam illud: Neque verò plantas omnis generis contempserit, quicunque curam atque operam in plantas impendit. Aratio enim, inquit, ibi bona, magnamque herbæ copiam auget; & pascua benè ibi florentia, & hominum soboles pulcherrima, atque immortalibus similis. Quod idem prorsus est, ac si diceret,

θεοειδής,

θεοειδὴς, *formam præ se ferens divinam*, seu *similis deo*, propter formam sanè adspectabilem, beatamque rerum copiam. Præterea verò Armeniorum Matianorumque regionem, sitam illam quidem à Mesopotamiâ ad septentriones, montibusque comprehensam, pinguem atque opimam vocat, ipsosque ibi incolas tum opulentos appellat, tum bene scientes Martis, & πίονας, *pingues*, ut & Arabicum populum dixit πίονα, *pinguem*. Sumptum verò id exempli ex HOMERO, qui heroum pedes λιπαρὺς, *pingues*, vocaverit. Porrò autem τὸ ἀθερίσσεται, *contemnet*, *spernet*, *negliget*, vocabulum est HOMERICUM, de quo dictum in Commentariis ad HOMERUM: idque significat reprobare ac rejicere. Pastoris illa est periphrasis, cum pastorem ita describit:

Cornutum qui Pana levi meditatus avenâ,

Pascentes sectatur oves.

Ubi κεραώνυχα, *cornua ungulata habentem*, intel-

intelligunt atque explicant veteres τὸν ὀξύχειρον, *cornua habentem acuta*, *cornibus acutis præditum* : perinde quasi ὁ ὄνυξ, *unguis*, significet hoc loci acumen. Sicuti etiam cum montis dicimus ἀκρωνυχίαν, *unguem summum*, seu *verticem in acutum desinentem*. Neque verò illi amant hoc epitheton, veluti durum, & in quo nihil urbani inest.

CXXXVIII. Mesopotamiæ ad meridiem Babylon est, metropolis Persica, urbs sacra, muro æreo circumdata, ut quidam scribunt, amneque circumfluo præcincta. Hanc, inquit, totam muris infragilibus Semiramis coronavit : quandoquidem aliqui, ut dictum est, & murum ei æreum fuisse tradiderunt, & alia multa longè mirabilia, præter ea, quæ suprà exposita sunt, de eâ exposuerunt. Præterea verò, in arce, inquit, aram Belo Semiramis posuit, eamque auro, eboreque atque argento exornavit. Belus autem rex fuit Babylonis, Jovis filius, à quo etiam portæ Babylonis Belides ; vel etiam,

etiam, secundùm quosdam, ipse Juppiter. Quare etiam HERODOTUS templum ibi esse ait Beli Jovis. Idemque Babyloniorum regioni tantam rerum omnium vim atque opulentiam attribuit, ut, eodem teste, magnum ipsa regem quatuor per annum menses; reliqua omnis Asia reliquos octo menses aleret. THEOCRITUS porrò, Semiramin Babylonis mœnia ex bitumine ædificasse affirmat. Alii hanc istam Babylonem vocatam olim fuisse tradunt Seleuciam, conditamque fuisse à Babylone, viro sapientissimo, Medi filio; & hanc ipsam urbem ante Semiramidis tempora fuisse aiunt annis mille & octingentis. Sciendum autem est, quod habet historia, magnâ mulierem perspicaciâ fuisse quidem Semiramin; sed tamen eâ perspicaciorem atque sapientiorem fuisse Nitocrin, quæ & ipsa Babylone regnaverit. Persas porrò, quorum metropolis Babylon, Cephenes olim vocatos, scribit ARRIANUS. Alii verò ita ferè narrant: posteaquam Ninus Syrorum rex

rex Ninevin ædificaverat, hujus uxórem longè maritum ſupergreſſam Babylonem in campeſtri loco ex coctis lateribus, & bitumine, cæſiſque lapidibus, cubitorum trium latitudine, ſex longitudine, extruxiſſe, ejuſque ambitum ſtadiis trecentis & octoginta quinque definiviſſe; muros verò ad quinquaginta cubitorum altitudinem extuliſſe, quorum craſſitudo ad triginta uſque cubitos dimenſionem habebat, ita ut iis in muris quadrigæ, pari inter ſeſe ſpatio, curſu contenderent; turreſque altas portis impoſuiſſe, quum & portas æreas, & ad magnam prorſus altitudinem inſignemque latitudinem erectas feciſſet: præterea verò ciſternam magnam conſtruxiſſe, ſupraque eam hortum admirabilem erexiſſe, qui Penſilis ſit appellatus; qui, quum lateribus quatuor conſtaret, tamen ſingula quatuor jugerum latera habuerit; atque eum quoque hortum unum de ſeptem mundi ſpectaculis, ſeu miraculis, fuiſſe. Eſt autem & alia Babylon Libyca. Verùm de

de Babylone illâ Persicâ hæc HERODOTUS: Assyriæ urbem celebratissimam atque validissimam, esse Babylonem, ubi etiam regia. Urbem hanc quadrangulâ figurâ in ingenti planitie jacere, & unamquamque ejus frontem, centenûm esse & vicenûm stadiorum: ita ut, ex HERODOTO, urbis hujus circuitus sit stadia quadringenta & octoginta, portas verò per muri ambitum esse centum, æreas universas, sicuti etiam postes & superliminaria. Et observa, non Thebas modò portis esse centum; sed etiam ecce tibi talem Babylonem. Babylon illa Persica multas fert palmas in summo comatas atque opacas. Proprietas hæc est hujus arboris. Et dictæ illæ quidem ἐπηρεφεῖς, *contecta*, veluti inclinantes atque inflectentes ramos εἰς ὄροφον, *in tectum*, seu *cameram*; ἀκρόκομοι verò, *id est*, *alticoma*, tanquam non infernè, sed supernè atque in summo comatæ. Talis namque hæc arbor. Ac vide, ut, quum Cares ἀκρόκομοι, *summè comati*, seu *capillati*,

ti, dicti ſint apud Poëtam, Dionysius hic noſter vocem hanc de palmâ arbore uſurpaverit, eamque inde vocem, pro acrimoniæ ratione, abraſerit atque excerpſerit. Sed & fert, inquit, Babylon quid aliud auro venuſtius atque gratioſius. Quid illud? liquidæ berylli glaucum lapidem, ibi ſanè naſcentem in torrentium effluxibus, intra ophietin, ſeu ophitin, lapidem. Locus enim ibi quidam ophites, proferens, ſeu producens marmor lapidem, quo veluti in thalamo beryllus continetur. Nam τὸ ὀφιήτης quidem pleonaſmum habet τοῦ ή, & perinde eſt, ut τὸ πολιήτης, *civis*. Tu verò obſerva, ut glaucam illam beryllum dicit ὑγρὰν, *liquidam*, ſeu *fluidam*, eo quia corpora glauca, propter perſpicuitatem, videntur eſſe liquida: quandoquidem glaucum epitheton eſt maris.

CXXXIX Hoc ſanè loci: Ἀλλ' ὁπότ' Ἀρμενίων ὀρέων προπάροιθεν ὁδεύσῃς, *Sed cum ultra Armenios montes perrexeris*; ex ſynalœphe, nimirum ex levatio-

vatione, sive elisione, intelligimus tenuari primam τῆς Ἀρμενίας, *Armeniæ*: tametsi aliqui denso eam spiritu affectam velint. Post Armenios ad Orientem, Tempe sunt Medica, hoc est, à parte, regio Medorum, sic appellata, secundum Geographum, vel à Medo, Medeæ filio, quæ patrem suum, amoris causâ, deseruit; vel ab ipsâ certè fugitivâ Medeâ, Aeetæ filiâ, cui DIONYSIUS regionem hanc ὁμώνυμον, *cognominem*, dicit: quamvis eandem dicere inde potiùs oporteat παρώνυμον, *denominativam*. Medea namque, relictâ Atticâ, ibi apud Medos permansit, non procul à Colchis; sed nimirum prope, eâ propinquitate, quæ est inter loca è regione inter se opposita, quâ quidem ratione Issicus etiam sinus, itidemque Hyrcanius, propinqui esse dicuntur Ponto Euxino. Colchorum tamen, inquit, non licebat ei regionem adire propter iram patris, quo etiam tempore regioni illi nomen à sese indidit, quum, *præ pudore*, ut ait, Ægeum Pan-

dionidam Athenasque reliquisset, posteaquam in Theseum, Ægei filium, exitiosa atque lethalia venena insidiosè molita fuerat. Quapropter, inquit, ab illâ ipsâ Medeâ, veluti doctâ & experiente veneficâ, sunt etiam nunc Medi valde in venenis versati. *Præ pudore* autem, dixit, graviter & decorè, quòd in heroïdem illam injurius atque contumeliosus esse noluerit. Verè enim non lubens illa, neque propter pudorem; sed vi, Athenas reliquit, ab Ægeo expulsa, propterea quòd, mixtis lethalibus venenis, insidias Theseo, Ægei filio, struxisset, cum ille ex Troezene, ubi diu affuerat, reversus cum ense, & talaribus paternis, quæ Lycophron etiam commemorat, in conspectum venit Ægei patris, minimè eum prorsus agnoscentis, insigni puer pulchritudine, quique regno dignus videretur, qui parùm abfuit, quin à Medeâ de medio clam tolleretur, nisi pater, agnito filio, quem, ut sibi in regnum succederet, à multo jam tempore expectebat,

tebat, cum tandem incolumem servasset. Itaque successorem nactus, Medeam extrusit. quam, liberorum suscipiendorum caussâ, adsciverat. Ferunt, eam, quum inter Medos dominaretur, &, si quando in publicum prodibat, faciem occuleret, incolas docuisse & muliebri sese stolâ induere, &, cum foras prodirent, sese velaminibus obtegere. Sciendum autem est, succum quemdam ex silphio, seu laserpitio, vulgò celebratum esse apud Medos, qui Medicus vocitetur. Quod etiam sciendum est, *οἱ Μῆδοι*, *Medi* dicti quoque *Μήδειοι*, *Medei*, voce proparoxytonâ: sicuti *οἱ Κήτειοι*, *Cetei*, apud HOMERUM. Ad hæc, sciendum, magnâ Medos peritiâ esse in emittendis sagittis. Quare etiam DIONYSIUS vocat eos postea sagittiferos. Ac rursus sciendum, herbam quamdam, quâ equi maximè aluntur, vocari etiam nunc Medicam, quòd in Mediâ fortasse multò ea sit copiosior atque uberior. Ceterùm propriè dicta esse suprà Tempe illa Medica, ostendit

infrà Dionysius, cum vireta, ſeu prata herboſa vocat illa Medorum. Prorſus namque, ubi λάσιος εἱαμενὴ, *herboſum viretum*, quidquid eſt hujus loci, certè ſunt Tempe, loca nimirum paluſtria atque uliginoſa. Eſt enim εἱαμενὴ, *viretum*, *ſeu pratum*, quaſi ῥειαμενὴ, locus nimirum irriguus, aut etiam ad herbarum germinationem idoneus, ab ἵω, quod valet *emitto*, *profero*, *produco*. Memorant porrò, moris eſſe Medorum, ut regem fortiſſimum deligant, & uxores quiſque habeat non minùs quinque. Quin & mulier, inquiunt, quæ viros minùs quinque alat, ducit id calamitati, quippe quæ honeſtum atque honorificum putet viros quàm plurimos alere. Sciendum autem eſt, decantatum illum campum Niſæum ibi in Mediâ alicubi extitiſſe, qui equos magnos ferret, appellatos illos quidem Niſæos. Supra Medos ad boream Geli, & Mardi, gens Hyrcania, homines latrociniis dediti, iidemque ſagittarii: nec non Atropateni, ſic dicti ab Atro-

pato

pato duce: quorum regio, Atropatia. pars ſecunda Mediæ, ſic vocata. Prima namque pars Mediæ eſt, in qua Ecbatana. Illud de Medeâ,

quæ venerit illuc,
Non procul à Colchis, Colchis tamen exul ab oris,

genus eſt loquendi figuratum per epanaſtrophen, ſeu reverſionem. Eſt autem epanaſtrophe, cum dictio extrema prioris ſententiæ, initium fit poſterioris, ut & hoc loci quum una ſententia deſinat in *Colchis*, hinc incipit altera. Atque alibi quoque hoc iſto figuræ genere effertur ac gloriatur DIONYSIUS. Cautes quædam Medicæ narciſſiten lapidem gignunt, quem DIONYSIUS *ἀφεγγέα*, *obſcurum*, ſeu *luce carentem*, vocat tanquam narciſſo plantæ ſimilem colore, neque dilucentem aut reſplendentem. Quin etiam dicit, greges Medis eſſe pulchros, *ἅδην*, *ſatis*, onuſtos, ſive oneratos velleribus. Ac vide, ut hic etiam Poëta, ſimiliter atque HOMERUS,

RUS, profert τὸ ἄδην cum unico ac ſimplici δ', quod & Attici adſpiratione afficiunt, quippe quod idem ſit atque τὸ ἅλις, *affatim*, *copiosè*, *abundè*. Quare etiam neſcio quis dixit: Ἀλλὰ τύπων μὲν ἄδην, *Sed horum quidem ſatis*, pro ἅλις, *affatim*, ſeu *abunde*. Medi in ortum verſi, ad portas uſque Caſpias pertinent, quæ quum pars ſint Mediæ regionis, vocantur claves, ſeu clauſtra Aſiæ, propter magnam earum anguſtiam, quippe quum poſitæ ſint ſub rupibus altè excavatis. Montes autem ſunt Caſpiæ hæ portæ, ſeu potiùs rupes abruptæ & cavæ, ut in ordinatâ conſtructione portarum, à Caſpiis hominibus, vel à mari Caſpio ita appellatæ. Portæ enim veluti ſunt iis, qui à meridie, ſeptentriones verſus, ad Hyrcanios & Caſpios proficiſcuntur, iiſque rurſus, qui inde meridiem verſus ad Perſas. Ita porrò in arctum atque anguſtum locus ille eſt contractus, ut portas etiam loco illi impoſuerint, quæ borealium gentium tranſitum ad regiones oppoſitas prohiberent. Nam-

Namque alioquin portas locum notare angustissimum, distinctè explicatum est, cum de Thermopylis ageremus. Qui verò hanc istam loci angustiam portas vocat, consequens est, ut is easdem etiam, claves, seu claustra appellet. Quod autem attinet ad illud, Κασπίδες πύλαι, *Caspides portæ*, id quoque denominativè sumptum est, non diminutivè, qualia pleraque suo in Poëmate DIONYSIUS.

CXL. Sub pede Caspiarum portarum incolunt Parthi, homines Martiales, curvisque arcubus armati, pugnæque omnis generis gnari ac scientes, hoc est, artifices. Deinde in eorum commemoratione diutiùs permanens, per amplificationem dicit: Non enim aratro, fissis arvis, sulcum dirigunt, neque verò remis secant mare, neque boves pascunt; sed jam inde ab incunabulis, adhuc pueruli, arcubus & equitationibus student. Semper porrò apud eos armorum strepitus, currusque alipedum equorum. Non enim fas iis cœnam ante gustare, quàm laboribus bel-

licis insudaverint. Victum autem habent ex prædâ, quam hastâ sibi pepererunt. Ita DIONYSIUS, quum res eorum auxisset atque amplificasset, brevem adnectit laudationem regis, illis verbis: *Sed eos, tametsi tales erant, tamen Ausonii regis hasta mansuefecit.* Narrant enim, Augustum, redintegrato contra eos bello, malè eos tractasse, ad Crassi cladem resarciendam, quem ducem Romanorum Parthi victum interfecerunt. Sic autem eos tunc narrant depressos atque afflictos fuisse, ut Augustus imperaverit, ut ne reges sibimet ipsi aliter constituerent, quàm de sententiâ Senatus Romani. Parthos porrò quidam vocant etiam Parthyæos, gentemque esse aiunt Scythicam, quæ ex fugâ domicilium ad Medos transtulerit; ideoque ita eos vocitatos. Parthos namque dicunt Scythæ exsules ac fugitivos. Quin etiam memoriæ proditum est, Parthyæorum reges proprio nomine Arsaces nuncupatos, in honorem Arsacis, vetusti regis generosissimi, ut & ille apud

apud eos celebraretur, & in ipso illius vocabulo sese iidem ostentarent. Quoniam verò moris est atque instituti Geographici, ut Geographia ipsa, sicuti etiam in proœmio dictum est, ad adminiculum atque adjumentum veritatis, condiatur atque instruatur historiis, observa, id etiam in totum servare prorsus DIONYSIUM, qui suæ huic *Periegesi*, orbisque terrarum descriptioni res quoque historiarum adnectat, excepto quòd summatim atque cursim: eò quia tota ejus *Periegesis* sub unum veluti conspectum omnia subjicit, atque, ut eruditi homines loquuntur, percurrendo in breve admodum spatium permulta oppidò contrahit; ipsaque enchiridion veluti est, ac summa *Periegeseos*. Atque ita quidem superiora. Postea verò, quàm ad Asiam transiit, atque ad eam partem, quæ figurâ quodammodo est quadratâ, quatuor his lateribus, Tauroque & Nilo, & Oceano Indico, & Australi; tum certè fusiùs in historias commemorandas digreditur, ut tum ex

iis conſtat, quæ dicta ſunt ad Arabiam, tum ex iis, quæ de Medeâ ſunt commemorata, tum denique ex iis, quæ nunc ſunt expoſita. Ac ſimili etiam modo ſuprà in Lydorum rebus enarrandis ſplendeſcit atque exultat. Quin & infrà India idoneam ei curam, in quâ verſetur, præbebit. Hujuſce autem rei cauſſa illa eſt, quòd non modò erga Aſiam immodicè ipſe affici videtur; ſed etiam quia, niſi ita procedat, periculum eſt, ne paucis omninò ei verſibus Poëmatium hoc fiat, atque in artificii prorſus tenuitatem declinet, propter magnas admodum anguſtias, ſuccinctamque *Periegeſeos* hujus brevitatem.

CXLI. Invenitur hoc loci τὸ *ἀέναος*, *perennis*, *perennè fluens*, *perpetuò fluens*, per unicum & ſimplex *ύ*, & productâ primâ. Dicit enim, Καὶ πόρον *ἀενάων ποταμῶν*, *Et curſum perennium fluminum*. Itaque etiam poſtea: *ἀενάοις ποταμοῖσι κατάῤῥυτος*, *Perennibus fluviis irrigua*. Et quidem ſcriptura hujuſcemodi repe-

reperitur etiam apud Theocritum, in illis verbis: Εὗρον δ' ἀίναον κρήνην, *Invenerunt perennem fontem*, nisi si quis vitiatos codices caussatus, servatam velit scripturam per geminum ν', metrumque malè laborans atque ægrum curet Synizesi, sicuti etiam in principio Halieuticorum Oppiani. Soli Persæ gentem habent Asiæ maximè regnatricem; ideoque Magnus rex ille Persarum vocabatur, ut patet etiam ex Comico. Gens autem maximè regia illa Persarum, sic appellata à Perse, Medi filio; seu, secundum alios, à Perseo, & Andromedâ, ut Herodotus ait, quo loci is narrat, Perseum, Danaës & Jovis filium, ad Cepheum, Beli filium, venisse, filiamque ejus Andromedam, uxorem duxisse, Persemque suscepisse, à quo Persæ denominati, quum ii olim Cephenes ab hoc isto Cephene vocarentur. Affirmat porrò Dionysius, Persas vim immensam divitiarum comparasse, eamque in ædibus reposuisse, cum, everso Croeso, Meonas & Sardianos

dianos devastarunt ; argumentumque divitiarum illud esse ait , quòd aurea sunt viris arma , aurea equis frena , aureis denique calceamentis pedes exornant. Hæc verò Mæones, sive Lydos, multò ante ditissimos atque locupletissimos fuisse ostendunt : quibus Persæ devastatis , opulentissimi evaserunt , quum ipsi alioquin non satis ab opibus instructi fuissent. Siquidem & qui ab iis denominantur , Persici cothurni, ut aliqui aiunt, genus est calceamenti tenue , ac vile. Ferunt autem , Persas magnitudini vocis operam dare, æstumque & frigus ferre , & imbres , torrentiumque trajectiones , ut & arma & vestimenta illæsa ab aquis servent , ut ne ea madefiant ; colere verò eos ignem , &, propter eum, quæcunque speciem ignis repræsentant. Fertur etiam genus esse quoddam cantus Persici , cujus commoda atque utilitates sexaginta enumerant. Habiti quoque apud Persas in honore Magi , qui neque in flumen mingunt ; neque manus , neque verò

corpus

corpus lavant. HERODOTUS porrò ſcribit, Perſas liberos ſuos, à quinto ad vigeſimum uſque annum, inſtituere atque erudire ad equitandum & ſagittandum, verumque dicendum. Itemque Perſas quoſdam Nomades commemorat, & complura eſſe dicit genera Perſarum. Præterea verò ſalutationis ſignum apud Perſas eſſe traditur, tiaram ſibi de capite auferre. Magnis autem montibus Perſis eſt circumdata; &, quum à portis Caſpiis ſita ea ſit ad auſtrum, ad ſinum uſque Perſicum cognominem porrigitur. Pars verò ejus borealis ſubjecta eſt montibus Medorum, quæ quidem ſuprà DIONYSIUS Tempe dixerat Medica.

CXLII. Sabæ ſunt quidem & Arabici, ut ſcriptum eſt ſuprà. Sed & hîc inventi ſunt Perſici, poſt quos Paſargadæ, de quibus infrà. Ac poſtea etiam gens Indica inveniuntur Sabæ. Quin & gens Thracica ſunt Sabi, quod Phrygiâ quidem linguâ Bacchos ſignificat. Unde etiam Liber pater dictus videtur

detur Sabazius, propterea quòd idem etiam Bacchus. Τὸ Ταοκοὶ, *Tasci*, nomen gentis Persicæ, legitur apud multos barytonè: quibus finitimi Pasargadæ, optimi, secundum HERODOTUM, atque præstantissimi Persarum: apud quos Cyri tumulus, valde sumptuosus, turris non magna in viridario, frequentibus arboribus occultata, quæ & lectum olim aureum, & mensam, & loculum item ex auro, & ornamentum gemmatum habuerit, quod ornamentum additum est ab Aristobulo, jussu Alexandri; sed non multò post direptum. Inscriptum autem litteris Persicis Græcum habuisse dicitur Epigramma:

Situs ego hîc Cyrus, regum rex ac dominator.

Sed & aliud fuit hujuscemodi: *O homo, Cyrus ego sum, qui imperium Persis comparavi, rexque Asiæ fui. Ne igitur tute mihi invideas hoc sepultrum.* Atque hoc quidem simplex, satisque breve. Pulchrius verò illud in Darium: *Amicus fui*

fui amicis, eques & sagittarius optimus fui. Imperium in venatores habui. Facere omnia potui. Quod autem sciendum est, gentile quidem, οἱ Πασαργάδαι, *Pasargadæ*; urbs verò ipsa, genere muliebri, ut patet ex illo: τὰς δὲ Πασαργάδας ἔκτισεν ὁ Κῦρος, *Pasargadas ædificavit Cyrus.* Quod urbis nomen, Græcâ quidem linguâ, interpretatum est, Persarum Castra. Corus, amnis Persicus; nec non Choaspes, aquam ille quidem trahens Indam, veluti pars fluminis Indi, cujus est scissura, Susaque præterfluens, quo ex uno soloque flumine bibit rex Persarum. Et regia sanè fuit aqua illa Choaspea. Quâ de aquâ hæc HERODOTUS: aquâ Choaspis decoctâ, complures carri mulares quatuor rotis, ferentes eam in argenteis vasis, sequuntur. Est autem, Geographo teste, & alius magnus fluvius, initium ducens ab Armeniâ, qui quum Corus olim vocaretur, mutato postea nomine, Cyrus est appellatus. Susa verò sic vocatur, eò quia in loco

florido

florido ſita. Suſa enim, patriâ ibi linguâ, eadem ac Lilia. Perſicæ porrò regionis hujus Suſorum incolæ, non Suſii modò, ſed etiam Ciſſii nuncupati. Aër ibi in Suſide fertur eſſe perquam fervidus, & uſque adeò inflammatus atque accenſus, ut lacertæ atque ſerpentes, dum vias pertranſeunt, non eò, quò contendunt, pervenire poſſint, ſed antea exurantur. Quin & lavacra, aquæ nimirum ad lavandum, quum frigidæ apponantur, ſtatim calefiunt. Vocata autem Suſa urbs Memnonea, eò quòd ibi, ut videtur, Memnon coleretur. Ferunt, ibi etiam regis Perſarum theſauros reconditos fuiſſe: &, qui urbem hanc cepiſſet, is ſanè videri potuit, ut eſt apud HERODOTUM, de opibus atque divitiis cum Jove facilè certaturus.

CXLIII. Achatem amnem ad latera eſſe dicit Choaſpis, & pulchrum viſu eum vocat, propter aquæ fortaſſe perſpicuitatem, aptamque ejus poſituram. Aiunt enim, jacere eum, cylindri inſtar,

instar, in terrâ, hoc est, in figuram veluti columnæ. Talis enim cylindrus. Videtur autem Achates nullas prorsus exsuperantias, neque curvaturas habere, neque in cubitos surculosque convolvi atque diffindi. Neque verò perennè est copiosus. Trahunt namque eum ac deorsum devolvunt confragosi ac prærupti alvei torrentis. Ad hæc, dicit, fructus ibi alios super alios virere, λιαρῷ γεγηθότας ἐξ ἀνέμου, *leni placidâque aurâ gaudentes*, seu *gaudio ex tepido vento perfruentes*. Atque hîc sanè dulce est vocabulum illud, γεγηθότας, *gaudentes*, *lætantes*, *lætitiâ perfruentes*, translatum per metaphoram ad ea, quæ expertia sunt sensus. Sicuti etiam cum Poëta de armis dicit τὸ γανῦσθαι, *lætari*, seu *oblectari*, & τὴν χθόνα γελᾶν, *tellurem ridere*. Et translatio hæc est rei ab iis, qui vident, ad ea, quæ videntur. Gaudent enim prorsus, lætitiâque gestiunt ac rident, non arma certè, neque tellus, neque fructus; sed qui ea cernunt, atque intuentur.

CXLIV. Ad Perficum mare magna gens, Carmani, ubi fluvius ramenta deferens auri. Ac metalla ibi etiam funt argentaria, & æraria, & miniaria: montefque duo, fecundùm Geographum, alter arfenici, quod quidem vulgò arfenicium vocant; alter, falis. Gigni autem ibi memorant uvam fæpe etiam bicubitalem, acinis & fpiffis & magnis. At verò Carmaniam, linguâ ibi patriâ atque vernaculâ, calorem interpretantur. Poft Carmaniam ad ortum regio Gedroforum protrahitur, vicina illa fanè Oceano, ubi cete immania. Horum regio, Gedrofia: ita ut, ex Geographo, magis ex analogiâ fit, vocare eos Gedrofianos. Quanquam & dicti iidem Gedrofeni. Gedrofiam aiunt fterilitate fæpe fructuumque inopiâ laborare; ideoque incolas fructus ad multos annos recondere ac refervare. Fert autem Gedrofia aromata, & maximè nardum ac myrrham. Itaque Alexandri exercitus, iter illac faciens, his pro tecto & ftragulo utebatur. Scribit quoque

ARRIA-

ARRIANUS, in Gedroſorum ſolitudinibus multas eſſe myrrhas arbores; radicemque nardi magnâ ibi eſſe copiâ beneque odoratam. Poſt Gedroſiam ad ortum, Indus fluvius maximus, quem accolunt Scythæ auſtrales, qui voce etiam compoſitâ dicti Indoſcythæ. Et obſerva, non boreales modò Scythas eſſe; ſed ecce tibi hos etiam Scythas auſtrales. Fluere autem Indum aiunt, ſicuti etiam Gangem, initio ducto à Caucaſo quodam monte ſeptentrionali ad orientem; indeque cum vehementiſſimum ac rapidiſſimum fluentum, atque in primis celere, rectâ ad auſtrum agere, è regione Erythræ maris, Oceani nimirum Erythræi atque Æthiopici, ad partes orientales ſinûs Perſici; dividique ipſum ac ſcindi in oſtia duo, diſtantia inter ſeſe mille & octingentis ſtadiis, ut & ARRIANUS commemorat. Quæ certè quidem oſtia Patalenen, interceptam veluti inſulam faciunt. Quam etiam inſulam, veluti memoratu dignam, iterum per repetitio-

nem resumit, illis verbis: *mediam incurrit in insulam*, insulam, quam vocant Patalenen. Dicitur autem hæc insula assimilis esse Deltæ Ægyptiacæ. Immo verò eam etiam aliqui, pro figuræ similitudine, Deltam vocitarunt. Sic enim ARRIANUS: Ostio est duplici Indus: atque hic etiam in Indorum regione Deltam facit, Deltæ Ægyptiæ assimilem. Urbs in eâ celebris, τὰ Πάταλα, *Patala*, à quibus insula Παταλήνη, *Patalene*, voce oxytonâ, ut censent accuratiores Grammatici. Nam & aliqui voce barytonâ Παταλήνην, *Patalenen*, legunt, ut Πριήνην, *Prienen*. Magnitudinis porrò ac celeritatis Indi fluminis indicium hoc veteres esse aiunt, quòd, suo olim alveo relicto, atque ad loca quædam campestria & depressiora deflectens, ac veluti ruens, urbibus ampliùs mille, cum pagis, ablatis atque deletis, desertam regionem reddidit.

CXLV. Indo flumini ad occasum sunt Ὠρεῖται, *Oritæ*, quorum scriptura est cum ancipiti, ad differentiam τῶν

Ὠρει-

Ὠρειτῶν, *Oreitarum*, qui ſunt in Oreo Eubœæ. Illi namque, propter ſynæreſin, ſcribuntur cum diphthongo. Ibi quoque ſunt Ἄριβες, *Aribes*: quorum ſimiliter ſcriptura eſt per ancipitem illam ί in penultimâ: quos quidem aliqui triplici ά ſcribunt Ἄραβας, *Arabas*, ſcenitas fortaſſe aliquos, quales planè ſunt in interiori Arabiâ. Videndum tamen eſt, an hi ipſi Aribes ſcribi fortè debeant Arbies. Meminit namque hujus iſtius gentis Indicæ Geographus, illis verbis: Arbies, Arbii flumini cognomines, ſeparanti eos ab Oritis. Idemque etiam Oritas, gentem vocat ſui juris, ſuiſque legibus utentem. Arachotas λινοχλαίνους, *læna linteâ indutos*, dicit propter peculiare fortaſſe, ac proprium genus veſtimenti, quod & Melanchlænis uſu venit, ut ipſi etiam à veſtimentis, quippe lænâ atrâ induti, μελάγχλαινοι appellarentur. Ceterùm τοὺς Ἀραχώτας, *Arachotas*, vocant aliqui Ἀραχωτοὺς, *Arachotos*, voce oxytonâ, ubi narrant, eſſe poſt Indum Paropamiſadas; deinde

meridiem, Ἀραχωτὺς, *Arachotos*; Paropamasidis denique ad occasum Arios adjacere. Volunt nonnulli, Παρπάνισον, *Parpanisum*, montem Indicum, dici voce proparoxytonâ; non certè quidem Παρνισὸν, *Parnisum*, ut pleraque exemplarium habent. Multi tamen & acuunt, & scribunt cum μ', Παρπαμισὸν, *Parpamisum.* Verùm Geographus Παροπαμισὸν, *Paropamisum*, scribit syllabis quinque, & incolas vocat Παροπαμισάδας, *Paropamisadas.* Eos porrò, qui sub hujus istius montis jugis incolunt, DIONYSIUS communi universos cognomento dicit esse Arianos. Et eorum quidem regio, Ariana, secundùm Geographum, quo loci is affirmat, post Indicam, partem esse Arianam: ubi & Arbies, deinde Oritæ, post quos Ichthyophagi. Videntur autem sic appellati ab Ario flumine, ut non obscurè indicat ARRIANUS in Alexandri Historiâ. HERODOTUS verò scribit, Medos vocatos olim Arios; sed, posteaquam ad eos adiit Medea, nomen eos

mutasse.

mutasse. Agnoscit tamen & hos propriè dictos Arios, quos etiam ait arcubus Medicis instructos fuisse. Verùm Dionysius Arianos tradit malam regionem incolere, tenui subtus arenâ oppletam, & ῥώπεσι, *virgultis atque sentibus*, hispidam, hoc est, arbustis humilibus & fruticosis, quæ Poëta quidem dicit ῥωπῆϊα, vulgus verò ῥωπάκια. Sed quamvis regio illa sit hujusmodi; tamen aliæ, inquit, sunt iis viæ satis superque idoneæ ad vitam alendam. Fert enim iis tellus aliud opulentiæ genus incorruptum atque immortale. Ubique enim ibi locorum rubri corallii est lapis. Ubique sub rupibus pariunt venæ pulchram veluti tabulam aureæ cœruleæque sapphiri; atque inde incolæ, lapidibus defectis, pretium habent βιοτήσιον, *victuale*, iis nimirum emunt, quæ sunt ad vitam sustentandam necessaria. Est autem τὸ βιοτήσιον, *victuale*, seu *vitale*, simile atque τὸ φιλοτήσιον, *amicabile*, sive *aptum ad conciliandam amicitiam*, & νεοτήσιον, *juvenile*. Ubi

ſciendum, dicere eum ſapphirum auream ſimul & cœruleam, quoniam colores ea hujuſmodi emittit. Coralium porrò à Gorgonis ſanguine diſtillaſſe fabulantur, à qua, veluti κόρῃ, *puellâ*, inſedit in hoc lapide appellatio.

CXLVI. Indorum regio, gentis maximæ omnium, & beatiſſimæ, regionum omnium extrema, ſita eſt ad labra ipſa Oceani, quam primis ſol radiis incendit atque inflammat, cum ſupra terram aſcendit, hoc eſt, aſſurgit atque exoritur. Quare etiam ſol mane apud eos calidiſſimus, ut veteres aiunt; multòque certè calidior, quàm meridie in Græciâ, ideoque ſimili ſunt ii colore, atque Æthiopes. Atque id quidem ita. Verùm Dionysius multas Indiæ laudes exaggerat atque amplificat illis verbis: Quare colore incolæ ſunt cyaneo mirificè ipſi pingues; comaſque pinguiſſimas geſtant, caſque ſimiles hyacintho. Quod quidem Poëta alicubi dicit, ὑακινθίνῳ ἄνθει ὁμοίας, *hyacinthino flori ſimiles*, nigras nimirum.

Flos

Flos namque ille, niger. Capillis porrò nigris Indorum maximè sunt meridionales, coloreque similes sunt Æthiopibus, eò quia humor, qui est in summâ cute, propter exustionem solis, prorsus deficit. Unde neque crispos habent capillos. Sunt autem & vitâ iidem diuturnâ. Et alii quidem, inquit, auri originem in metallis scrutantur, aureolam arenam ligonibus λαχαίνοντες. *fodientes*, hoc est, patefacientes, effodientes: ex quo etiam τὸ λάχανον, *olus.* Alii verò telas texunt ex lino. Alii elephantum candidos dentes sectos abradunt, quos alii elephantum cornua appellant. Alii denique, inquit, Indorum ad torrentium προβολὰς, seu προμολὰς, *projectus*, nimirum effluxus, aut glaucum berylli lapidem, aut relucentem adamantem, aut viridi colore perlucentem iaspin, aut glaucum nitidi topazi lapidem, dulcemque amethystum, ac sensim purpurascentem vestigant. Ac vide, ut unumquemque horum lapidum profert cum epitheto maximè consenta-

æneo, atque congruente, quippe qui cum dulcedine ſcribat, & pulchra pulchrè eloquatur. Lapis namque topazon perlucidus atque perſpicuus, qui & topazion dicitur quatuor ſyllabis, ſplendore veluti aureo effulgens: quod de die non facile eſt videre. Perſtringitur namque, ut aiunt, atque obtunditur ejus fulgor luce ſolari. Sed de noƈte vident ii, qui colligunt, ſigniſque ad foſſam circumligatis, interdiu refodiunt atque eruunt. Ita quum DIONYSIUS ſolum Indicum pretioſis lapidibus conſtraviſſet, conciſo loquendi genere, in modum epiphonematis, ſubjungit illud:

Cunƈtas auget opes, tot ubique fluentibus undis.

Jam verò, inquit, prata ibi etiam comata perpetuò ſunt foliis. Alibi enim milium creſcit, alibi virent ſylvæ calami Erythræi, nimirum aromatici, Erythræi quidem appellati, eò quia India ad Oceanum Erythræum pertinet, quod inde

inde etiam liquidò apparet, quòd Gangitis regio, secundùm DIONYSIUM, protrahitur atque porrigitur ad terminos ferè Coliadis regionis, nimirum Taprobanæ: ubi cete maxima, quæ ipse quidem pecora dixit maris Erythræi. Ita sanè DIONYSIUS. Verùm alii Indiam & multorum medicamentorum, & multarum radicum; & multorum colorum feracem commemorant, eamque bis quotannis fructus producere, & biferam esse aiunt, valdeque proceros esse Indos, & quinque vulgò esse cubitis, vel paullò minùs. Quorum etiam rex Porus cubitos quinque excessisse traditur. Ad hæc, Indi Musices studiosiores feruntur, & saltationum, jam inde à Libero patre amantes. Liberi porrò universi Indi, & nemo quisquam Indorum servus. Sunt etiam ceterorum mortalium, præterquam Æthiopum, nigerrimi, maximèque in rebus bellicis strenui. Perhibent præterea, serica apud Indos fieri ex corticibus quibusdam, carptâ bysso atque carminatâ:

natâ : efflorefcere autem in arboribus fylveftribus, tanquam lanam, pulchritudine & bonitate multò præftantiorem atque excellentiorem lanâ ovinâ : ex quâ etiam, ut perhibent, findones texuntur *εὐήτειοι*, *bono tenuique ftamine*, hoc eft, *εὔμιτοι*, *bono tenuique filo*, ut & in Iliade fcriptum eft: ubi *ἐπήτειμοι* dicti iidem ac conferti & denfi. Tradunt etiam, plerofque Indorum effe Ichthyophagos, feu comefores pifcium, quippe qui pifcibus crudis vefcantur: quæque Indiæ funt ad orientem, loca effe deferta atque folitudinem, propter arenam: ac præterea Ichthyophagos navigia facere *καλάμινα*, *arundinea*; atque ex uno calami, feu arundinis, internodio totum navigium fieri, ut HERODOTUS fcribit. Ceterùm de calamo, feu arundine, de qua fuprà dictum eft, hæc ferè veteres commemorant: radices arundinum, feu cannarum magnarum, tum naturâ fuâ, tum cocturâ, effe dulces. Et rurfus: arundines mel facere, tametfi non fint ibi apes; eos
verò,


verò, qui hoc crudum comederint, inebriari. Præterea verò arundines penitùs diversas, easque perinsignes esse, ut dictum est, in Indiâ, sicuti etiam apud Æthiopes Occidentales: quarum arundinum internodia singula capere chœnices tres dicuntur. Fertur autem lex optima esse apud Indos, ut, qui lethale quid atque perniciosum repererit, necesse is habeat mali quoque remedium invenire. Torrentes hîc etiam Poëta vocat ἀναύρυς, *quasi expertes auræ*, eò quia non perinde, ut flumina perennia, auras efficiant.

CXXVII. Figura Indiæ, ut & Geographus docet, accommodata est atque aptata ad latera quatuor, obliqua omnia, rhombumque efficientia: quorum, occidentale quidem est ad Indum flumen; australe vergit ad Erythræum mare; orientale est Ganges; ad polum denique arcticum est Caucasus, nimirum, secundùm Geographum, extrema Tauri. Et observa, secundùm Dionysium, Caucasum quoque esse Indi-

Indicum, ut dictum est suprà. Ubi illud, πόλον ἀρκτῴων, *polum arctorum*, locum cœli arctoum, seu septentrionalem, significat, ut suprà jam scriptum est. Quod enim ad Gangem & Indum attinet, fluviorum eos maximos esse, suprà pariter dictum est. Quod autem, volo, observes, rhombus figura hîc est Geometrica quadrangula, cujus diametri non per decussationem ducti sint; sed pari spatio rectâ quodammodo inter sese diducti. Maximè verò, ut Geographus ait, rhombus est figura quadrangula concussa, atque dimota, non rectangula; sed duos quidem habens angulos acutos; reliquos verò obtusos, eosque inter sese oppositos, ut in descriptâ hac figurâ:

Orien-

Orientale latus, Ganges.



Tali quoque figurâ fuit gerrhum, ſcutum nimirum quadrangulum, non rectangulum. Itemque cavea avis lignea, nimirum aviarium, dimotum à naturali laterum ex æquo inter ſeſe diſtantium poſitione, rhombi figuram efficit. Et tali quidem rhombus eſt figurâ. Sed & invenitur piſcis dictus rhombus, ut & Athenæus tradit, & Theſſalorum ferè lingua uſurpat. Eſt etiam rhombus rota quædam, quam in gyrum ſcuticâ verſantes pulſanteſque, ſonitum edebant; & rhombus per onomatopœiam vocabatur. Itaque Apollonius in Argonauticis

cis dicit, ῥόμβῳ καὶ τυμπάνῳ, *rhombo & tympano*, Rheam à Phrygibus placari. Eſt quoque rhombus apud THEOCRITUM veneficarum rota, quam, circumagendo, ad incantamenta adhibebant. Quidam tamen ῥύμβον, *rhymbum*, ſcribunt per ύ, ut Euripides in Piritho αἰθέρειον ῥύμβον, *ætherium rhymbum*, dicit, hoc eſt, converſionem, motumque quaſi rotæ in gyrum ductæ, ſeu rotationem. Atque hinc motus ipſos Apollonius vocat ῥυμβόνας, *rhymbones*. Ac fortaſſe illa etiam, quæ legitur apud Ælianum, vox dubia, explicatuque difficilis, id eſt, ἐῤῥυμβόνα, *rotatilem*, hinc ferè initium duxit, ubi ſic ait: Quæ uſui erant, inſumebat atque diſſipabat profusè, & pretioſiſſima quæque in luxuriam ἐῤῥυμβόνα, *rotatilem, quæ in gyrum, rotæ inſtar, ac præceps ageretur*. Dardanenſes, gens Indica; at verò Dardani, Troica. Hydaſpes (fluvius hic etiam Indicus) navigabilis eſt navibus, in quem Aceniſes influit, flexuoſus, ex altis rupibus delapſus: quo de Geographus ſcribit, Acceſinen

nen solstitio æstivo ad cubitos quadraginta adscendere, quorum viginti quidem alveum usque ad labrum impleant; reliqui verò viginti exundantes, in campos effundantur; ideoque urbes, ut in Ægypto, insularum speciem referre, aggeribus namque eas esse impositas. ARRIANUS verò ita scribit: Hydaspes, totus in Acesinem illapsus, vocandum sese præbet Acesinem. Idemque narrat, triginta remorum naves Alexandri, quæ in tres partes divisæ jugatisque bobus deportatæ fuissent, compactas coagmentatasque in Hydaspe, easdemque visas fuisse aptas ad navigandum.

CXLVIII. Κώφης, *Cophes*, amnis est Indicus, quem HERODIANUS, ipse etiam in Prosœdiâ Universali effert barytonè, & cum σ', ut τὸ Χρύσης, *Chryses:* quamvis ARISTOTELES Lib V. de Alexandro, vocet, ut aiunt, τὸν Κωφῆνα, *Cophenem*, ut τὸν Σωλῆνα, *Solenem*. Verùm Geographus similiter effert ac DIONYSIUS, in illis verbis: Choaspes εἰς τὸν Κώφην, *in Cophem*, influit, &

rursus: *μετὰ τὴν Κώφην*, *post Cophem*, Indus, deinde Hydaspes, postea Acesines, postremus Hypanis. Quorum quidem Hydaspem, *πλωτὸν νήεσσιν*, *navigabilem navibus*, dicit DIONYSIUS. Veteres porrò, inter Hypanim & Hydaspem gentes quidem jacere novem; sed oppida ad quinque incoli, affirmant. Complura exemplaria Τοξίλυς, *Toxylos*, Indicam illam gentem, scribunt. Sed Geographus scribit Ταξίλυς, *Taxylos*, cum *ά*, eorumque urbem, Τάξιλα, *Taxila*, ubi magnam eam vocat, & beatam, & legibus optimis constitutam, & Taxylum nescio quem ejus regem commemorat; cumque tradit, & cives, quòd Alexandrum perhumaniter excepissent, plura esse consecutos, quàm dedissent; ideoque Macedones præ invidiâ dixisse, non habuisse Alexandrum, quibus benefaceret, priusquàm Indum trajecisset. Gens Indica, *οἱ Πευκαλεῖς*, *Peucalenses*, populi agrestes. Quidam tamen scribunt per *ν*, Πευκανεῖς, *Peucanenses*. Indi item Gargaridæ, quos Liberi

Liberi patris ministros ac famulos vocat: ubi, inquit, aurum deferunt tum Hypanis amnis, qui & suprà dictus est, tum Magarsus, fluviorum rapidissimi, ab Emodo monte in Gangitidem regionem, meridiem versus, profluentes, ad insulam, quam suprà scripsimus, Κωλιάδα, *Coliadem*, quatuor syllabis, aut Κωλίδα, *Colidem*, tribus syllabis, per syncopen, quam etiam propendere in Oceanum dicit, veluti ejus insulam, & volucribus inaccessam esse ait; ideoque Aaornin, quasi avium expertem, vocari, idque aut propter celsitudinem (est enim valde sublimis atque ardua) aut quia ipsa prima pervia est soli. Quare etiam volucres minimè omnium ferunt calorem solis ibi primùm exorientis. Sciendum autem est, hunc ipsum locum Ἄορνιν, *Aornin*, vocari per ί. Quanquam ipsa etiam dici possit per ό. Siquidem LYCOPHRON lacum nescio quem Ἄορνον, *Aornon*, nominat: & in Adiabenâ regione, quam suprà diximus, os quoddam, sive spiraculum,

esse traditur, nomine Aornon, tanquam ὀρνέοις ἄβατον, *avibus inaccessum*: ex quo halitus exitiosus atque lethalis ascendens, quum sese parumper levaverit, atque in altum sustulerit, inde deorsum versus deflectitur, quo sanè perimitur, si quod forte animantium occurrens mortiferum spiritum olfaciat. Quo etiam de halitu affirmant, si is extrà dispergeretur, fieri nullo modo posse, ut locus ille incoleretur. Talem autem halitum esse etiam narrant in Hierapoli Asiæ, qui animantia omnia odorantia, præterquam eunuchos, interficit. Fertur quoque petra quædam Aornos in Indicâ, quam adortus Hercules, ter inde repulsus fuit; Alexander verò uno impetu, primâque aggressione cepit. Aorni autem hujus radices Indus dicitur amnis subterfluere. Illos verò, quos diximus, amnes duos auriferos, Hypanim & Magarsum, perhibent, ex Emodis montibus excurrentes, quos quidem montes DIONYSIUS Emodum antea montem vocaverat, e

cons-

conſpectu deinde auferri, atque ad longum ſatis ſpatium occultatos, rurſus ſcaturiendo emergere. Multus porrò ac celeber in hiſtoriis Indicus ille Hypanis. Nam & optima eſt, ut aiunt, regio ab ulteriori ripâ ejus amnis, & formicæ ibi fodere aurum feruntur, & multa alia loco illi mira prorſus ac prodigioſa affinguntur. Quin etiam narrant Alexandrum, quum eò uſque perveniſſet, ultra progredi prohibitum fuiſſe, tum ut oraculis obtemperaret, tum quia exercitus ſeſe ultra perrecturum negaverat. Alii verò ultra Hypanim progreſſum illum uſque ad Gangem affirmant: quem Gangem fluviorum orbis terrarum maximum eſſe commemorant, atque ab Emodis montibus delabi: a quo ſecundum eſſe aiunt Indum, tertiumque & quartum, Iſtrum & Nilum. Ad hæc, perhibent, quinque & decem amnes maximè memorabiles in Indum influere, quorum poſtremus ſit Hypanis: quibus omnibus Indus receptis, ut ait ARRIANUS, nomineque atque appel-

latione ſuperior, in mare demum erumpit. Idemque contingere aiunt Tigri a compluribus aliis fluminibus: ideoque in exitu Paſitigrim eum vocari, quaſi non unum jam atque ſimplicem; ſed, ut ita dicam, παντοῖον, *omnigenum*, Tigrim. Sciendum autem eſt, ex HERODOTO, amnem etiam quendam Scythicum eſſe, Hypanim nomine, eumque ex palude magnâ exoriri, quæ mater Hypanis dicitur, ut nimirum Mæotis mater Euxini. Idemque etiam teſtatur, circum Scythicum hunc amnem paſci equos agreſtes albos; fontemque in eam paludem uſque adeò amarum influere, ut Hypanim ipſum, tametſi non parvum ſanè fluvium, inficiat. Indum porrò amnem, cum plenior eſt atque copioſior, patere alicubi in latitudinem aiunt ſtadia ampliùs quinquaginta; minimùm verò ſeptem ſtadia. Hunc dicitur Alexander navibus junxiſſe, Hephæſtione pontem conſtruente. ARRIANUS verò ſcribit, quà Indus anguſtiſſimus eſt, diſtare ejus ripas inter ſeſe

ſtadia

ſtadia quadraginta; quà verò latiſſimus, centum. Ceterùm τὸ Ἠμωδὸν ὄρος, *Emodum montem*, quod & multitudinis numero dicitur τὰ Ἠμωδὰ, *Emoda*, atque ad ipſum eſt Oceanum, veterum quidam acuunt in antepenultimâ, ut dictum eſt ſuprà. Multa porrò abies & larex, & cedrus in Emodis; & caudices apti ad naves ædificandas.

CXLIX. Bacchus ille Thebæus, nigris Indis cæſis, quòd ei reſtitiſſent, columnas duas ad terrarum terminos conſtituit; & rurſus καγχαλόων, hoc eſt, χαίρων, *gaudio exultans*, Thebas rediit. Ac vide, ut, quemadmodum alibi cyaneos Æthiopes vocat, ita hoc loci nigros dicit Indos. Atqui hi etiam vocari penitus poſſunt cyanei: quandoquidem, ut ſuprà dixerat DIONYSIUS, χρόα κυανέοισι, *colore ſunt cyaneo*. Deinde etiam exponit, quemadmodum θυμαίνοντος αὐτοῦ, *iraſcente eo*, nimirum θυμουμένου, *ad excandeſcentiam concitato*, nebrides, ſeu pelles cervinæ, Bacchis, ſeu Mænadibus, mutatæ ſint in clypeos;

 thyrſi,

thyrsi, qui antea dicti sunt, in enses, baltei denique, & capreoli τῆς ἕλικε, nempe τῆς ἀμπέλε, *vitis*, in draconum σπειρήματα, *sinuosa volumina*, hoc est, σπείρας, *spiras*, tractus. Unde etiam σπειροῦν dicitur fasciis involvere, fasciis circumdare, circumductâ in spiræ modum fasciâ cingere, & σπεῖρον nominatur fascia ad hoc ipsum commoda atque idonea. Locum porro, quem Liber pater iratus calcavit, mirandum, & honorabilem & sacrum vocat: atque hunc istum locum vocatum fuisse dicit Nyssæam viam, quæ est circa Gangem, sic quidem appellata à Nysâ Arabicâ, unde ipse etiam DIONYSIUS nominatus videtur. Nyssa autem, secundùm Geographum urbs est in Indiâ, à Dionyso, seu Libero patre, ædificata; & mons ibi Merus. Unde apud fabulas Liber pater habitus est Meroraphes, *quasi in μηρὸν*, id est, *femur*, *insutus*. Verùm HERODOTUS fabulam hanc editam facit in Ægypto, ubi Jovem narrat Bacchum εἰς τὸν μηρὸν ἀναῤῥάψασθαι,

θῆναι, *in femur insuisse*, atque in urbem Nyssam, quæ est supra Ægyptum, detulisse. Et vitis quidem, ut Geographus ait, fructum ibi non perficit. Defluit enim priùs racemus, quàm nigrescere à maturitate incipiat, propter copiosiores imbres. Sunt autem & aliæ Nyssæ, quarum una est in Thraciâ, cujus meminit HOMERUS, ubi de Lycurgo illo Edono. Sed & circa Tralles Nyssa quædam est, & pagus ibi Nyssaënsium; & antrum Charoneum, propter quod incubantes Sacerdotes, ex somniis injungunt ægrotantibus medicinas. Ceteris verò aliis locus ille secretior est atque exitialis. Ad hæc, ARRIANUS tradit, hederam, quum nusquam alibi Indiarum nascatur; tamen nasci apud Nyssæos; itemque Macedones, quum ad Merum, Nyssæum montem, pervenissent, hederam cum voluptate vidisse, atque ex eâ studiosè coronas fecisse; Nyssæorumque legatos, quum Alexandrum armatum, pulvereque ex itinere consperfum vidissent, tum adspectu ejus

obſtupuiſſe, tum in terram procidentes, diu ſilentium tenuiſſe. Quod autem eſt ſciendum, ἔλινος, id eſt, *vitis*, uſurpatur etiam apud alios; videturque fieri ab ἐλινύειν, quod eſt *quieſcere*, & *otiari*: cujus quidem rei in cauſsâ eſt Bacchus, id eſt, vinum. Scire rurſus oportet, aliquos hæc ipſa de Baccho, ſicuti etiam illa de Hercule, incredibilia & fabuloſa, figmenta denique adulationis, cenſere. Quæ enim de Prometheo Vincto circumferuntur, ea quum univerſi contigiſſe ſtatuant in Caucaſo ſeptentrionali; feruntur Macedones, aſſentatione in Alexandrum, ſermonibus ſuis Caucaſum ad Eoum mare tranſtuliſſe, monteſque quoſdam ibi Indicos, Caucaſum vocaſſe: iidemque aſſentatores, quum ſpecum quandam ſacram apud Paropamiſadas Alexandro oſtendiſſent, carcerem eum Promethei edixiſſe; dictitaſſeque etiam de Hercule, Herculem ad Prometheum ſolvendum eò veniſſe; atque ad hunc ſanè ſermonem inde ii adducti fuiſſe, quòd notam clavæ, quòd inſigne erat

erat Herculis, in bobus ibi impressam atque inustam vidissent, ita ut, hac ratione, ad utrosque terrarum terminos Hercules venisset; ipseque propterea Alexander, ex adulatorum horum sententiâ nullo modo dissimilis esset neque Herculi, neque verò Baccho, eo quia ipse quoque, pariter atque illi, longinquas maximè regiones peragravisset. Atque hæc quidem veteres. Quòd si cum assentatoribus illis jocari unà oportet, congruentius multò atque accommodatius ad assentationem erat, non talia hæc comminisci; sed potiùs Herculis atque Bacchi peregrinationes restringere, atque coangustare, ut Alexander, quem sibi blanditiis atque assentationibus conciliatum volebant, eò penetrasse videretur, quò neque Hercules, neque Bacchus, filii illi Jovis. Iidemque etiam adulatores, ut à veteribus proditum est, Caucasum simul & Paropamisum, & Emodum, & Imaum, Indicos montes, nominarunt. Vide verò jactantiam, sicuti etiam suprà diximus, Græcorum, si

si Hercules & Bacchus ex Græciâ fuerunt, qui rebus præclarè ac fortiter gestis terrarum fines obierunt. Verùm de Bacchi in Indos expeditione hæc scribit ARRIANUS: Fama est, Bacchum bellum cum Indis gessisse, quicunque demum Bacchus is fuerit, qui bellum Indis intulit. Non enim quidem certè videtur esse facile, invenire, neque Thebanum illum, Semeles & Cadmi filium, neque quem Athenienses in initiationibus Jovis ac Proserpinæ filium colunt, neque verò usquam gentium alterum quemquam Bacchum, qui Martia arma induerit.

CL. Hîc etiam narrationis suæ uno veluti in conspectu compendiariam brevitatem confitetur, cum summos duntaxat in terris populos sese descripsisse affirmat. Alios namque, qui hîc & illic innumeri in continentibus vagantur, quis unquam, inquit, homo quidem mortalis, perspicuè memoraverit? Deus verò unus ac solus omnia facilè potest. Deinde, pro loci & temporis opportunitate, Physiologiam, seu rationem naturæ

ma-

Mathematicam, & Theologiam quandam exponit, atque in notione prima divinitatis desinere facit *Periegesin*, quatenus Deum dicit & prima terræ fundamenta tornasse, & profundam immensi maris viam ostendisse, &, astris dispertitis, quibusdam veluti signis, firma omnia atque stabilia humanæ vitæ demonstrasse; singulisque stellis partem terræ ac maris veluti in sortem tribuisse, unde etiam pro stellis, quæ terram inter sese sortitæ sunt, singulas terras ait aliam alibi naturam sortitas fuisse. Alia enim, inquit, quod ad formam attinet, alba est atque argillacea, alia nigrior, alia inter utramque media, alia rubricata, alia denique alterius generis. Sic enim, inquit, Juppiter decrevit. Quocirca sententiosè profert illud:

Sic diversa deus mortalibus omnia fecit.

Et est hæc quarta aut quinta gnome DIONYSII. Vide verò, ut cum deos dicit, posteaquam astra dispertiverunt, firma omnia atque stabilia, quæ ad hominum vitam pertinent, certis signis demonst.

monstrasse; astris DIONYSIUS rerum mundanarum caussam attribuit. Porrò autem τὸ τορνώσασθαι, *tornare*, sumptum est ex HOMERO, & significat circumscribere ac definire. At verò τὸ ἀργινόεσσαν, *argillaceam*, pro litterarum cognatione, scribitur etiam per λ', ἀργιλόεσσαν. Sic enim & τὸ νίτρον, *nitrum*, Attici dicunt λίτρον, & τὸν πνεύμονα, *pulmonem*, πλεύμονα. Ac fortasse etiam αἱ ἀργίλαι, id est, habitacula subterranea, denominationem ab hac istâ voce habent, quippe quum id terræ genus, propter continendi tegendique firmitatem, maximè appositum sit ad hoc istud habitaculum, seu domicilium conficiendum. Ceterùm τὴν μίλτον, *rubricam*, per periphrasin, florem vocat Assyriæ regionis, id est, Sinopicæ. Assyria namque, secundùm DIONYSIUM, regio est Sinopica ad Euxinum, ut suprà dictum est. Ipsa porrò hæc miltos, Sinopica vocatur, ut veteres aiunt, non quòd ibi proveniat, sed quòd illuc à mercatoribus devehatur. Et hac fortasse de causâ hunc istum

tum colorem artifices, corruptâ paullulum voce, vocant Sinapidium. Sinopicæ autem huic milto comparari facilè posse affirmant milton Ibericam, seu Hispanicam. Dulcis pars hæc extrema atque conclusio Poëmatis. Perinde enim ac si inanima facultate discernendarum rerum valerent, sermonem cum iis confert DIONYSIUS, comparatâ ad dulcedinem oratione, in hæc verba: *Valete, ô continentes, & vos insulæ, & ô vos, & vos.* Ac postremò, *Periegesin* votis ac precibus claudens, illud exoptat ac precatur, ut sibi, quippe qui rem magnam perfecerit, supernè, nimirum divinitus, par fiat, ac pro dignitate, τῶν ὕμνων, *horum hymnorum*, remuneratio. Vocat autem hoc loci ὕμνους, *hymnos*, aut eam, quam modò diximus, Theologiam, aut sic sua generatim carmina. Namque aliquando etiam aliter dicitur ὁ ὕμνος, *hymnus*, & non tantùm de laude divinâ. Itaque PINDARUS versus suos epinicios, ὕμνους, *hymnos*, vocat. Et ÆSCHILUS, ex antiphrasi, sive

a contrario ſenſu, dicit *ὑμνεῖν*, *hymnis canere*, ſeu *decantare*, quod eſt maledictis celebrare, in illo verſu:

> Ὑμνεῖθ' ὑπ' ἀςῶν φρειμίοις πολυῤῥόθοις.
> *Hymnis notatur civium multiſonis.*

Quin & generatim aliquid divulgari, ſeu ſermonibus quomodocunque jactitari, dicitur *ὑμνεῖσθαι*, *decantari.* Ac præterea HESIODUS tractationem de re navali metricam, ſeu Poëmation, hymnum vocat, in illo verſu:

> *Nam docuere hymnum Muſa me dicere ſacrum.*

EURIPIDES denique *τὸν ὕμνον'*, *hymnum* intelligendum dat de vaticinatione, ſeu oraculo, ubi *τὸ ὑμνῳδεῖν*, *hymnum canere*, pro eo uſurpat, quod eſt oraculum edere, reſponſum dare, vaticinari. Dicit namque in Ione:

> *Delphico mortalibus*
> *In umbilico Phœbus ὑμνῳδεῖ ſedens.*

Hoc autem poteſt etiam pro eo intelligi, quod eſt metricè canere.

FINIS.

